es del Abad m.or de Alcala.

IOANNIS MARIANAE E SOCIETATE IESV TRACTATVS VII.

I. De Aduentu B. Iacobi Apostoli in Hispaniam.
II. Pro Editione vulgata.
III. De Spectaculis.
IV. De Monetæ mutatione.
V. De Die mortis Christi.
VI. De Annis Arabum.
VII. De Morte & Immortalitate.

Nunc primum in lucem editi.

IHS

COLONIAE AGRIPPINAE
Sumptibus Antonij Hierati, sub Monocerote
Anno M. DC. IX.

Permissu Superiorum, & cum gratia & Priuileg. S. Cæsar. Maiest.

Esta espurgado este libro conforme el espurgatorio nuevo del año de 16
salvo el tratado de Monetæ mutatione, porq dixo el S.r doctor Vila
Vera Abbad mayor de Alcala q tenia licencia de su S. Ill.ma p. tener
y leerle Simborra l. &a. Andres

Esta expurgado conforme al expurgatorio de 1632.

Juan Ant.º d'Sant.



SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

Paulo Quinto Pontifici Maximo Ioannes Mariana Societatis Iesu.

INFIMAE conditionis homo, exiguis animi & corporis dotib. nulla nobilitate Vicariũ Christi appellare constituo. Tua P. Beatiss. benignitas nostro huic decreto veniã facilis dabit. Charitas Christi vrget nos, & syncerus Catholicæ religionis pacis & trãquillitatis amor, spesque certa, vestrã prouidentiã finem aliquando & medicinam, vt cœpisti, nostris malis dissidijs & incommodis fore. Multa referre non arbitror necessarium: Puluis & cinis sum, neque me extendam, ad quod non pertingo, iuxta præceptum Pauli. Vetera carcinomata cõtactu sæuiunt amplius, neq; se manu aut stylo contrectari sinunt aduersus remedia peruicacia: quod supremum miseriæ genus est. Quod rei præsentis est tamẽ, & quo festinat oratio nostra: lis ante paucos annos exorta est grauissima: Venerit B. Iacobus Apost. Maior in Hispaniã, in eamq; primus Euangelij lucem intulerit. Hispani aiunt: negant alij pauci numero, sed eruditione & omni grauitate magni: quorũ sentẽtia in libros quoq; Ecclesiasticos

irrupit, vt conquerantur nostri, nondum diiudicata causa, neque auditis, quorum maximè intererat. Sic libris Romanis publico decreto & incommodo arcemur. nouum exemplum, quod sibi Hispanos sumpsisse profectò dolèmus. Tuū est P. Beatissime benignitate & indulgentiâ paternâ mulcere iras, litigantes componere, salutari manu dissidio mederi, aliquam prouidentiæ partem ad nostras referre querelas & voces: ne malum exemplum ab his initijs latius manet maiori cum molestia & damno. Eo studio quæ de hoc argumento collegi magna cura, sed in pauca collata, paternis oculis & censuræ subijcere statuo: vt quid Hispania, & quibus præsidijs ita sentiat, ex nostro labore melius intelligatur, finisque imponatur tandem importunæ controuersiæ, adhibitis in consilium, si placebit, viris eruditis & sedatis, quorum non sint animi aliquo præiudicio occupati. Nostræ tenuitatis non erat tantæ prudentiæ præscribere: sed fortassis publicas scholas consulere in rem sit: quas pro veritate pronuntiaturas minime dubitabā. Hispaniam Pontificijs decretis obtemperaturam pro certo habeo, causâ modò diligenter discussa denuò atque contestatâ. Neque enim ij sumus, vt priuatis affectibus & inani superstitioni seruiamus, & non potius consectemur veritatem. Pontificiâ P. Beatissime auctoritate in terris nihil potius ducimus. Ita à teneris, ita à maioribus instituti sumus. Si erramus, in errore non sumus contumaces. Si rectè sentimus, vnde melius quàm à patre & Domino; contumeliæ, quæ genti, veritati, & religioni fit, non dicam vindictam, sed certè remedium

medium, sed certè finem petamus? Plura non addam. Nisi, in meridiana luce exponimus errasse aduersarios, rectum iter Hispanos tenere, nulla dictis fides sit. Sed & ad disceptationem de B. Iacobi aduentu in Hispaniam, quasdam alias disputationes de varijs argumentis adiunxi nihilo minoris momenti, nisi animus fallit: easque in vnum corpus collatas sub tui sacrosancti nominis vmbra publicare, atque ad tuos pedes nos nostraque abijcere decreui; spe, nostræ audaciæ veniam, nostrosque conatus à pietate profectos fore non ingratos. Mola salsâ & frugibus supplicant, qui non possunt auro. Neque minuta duo viduæ pauperis respuit, qui ex animo & opportunitate magis quàm ex mole & copia oblata munera examinat benignus æstimator & arbiter.

INDEX CAPITVM.

DE ADVENTV IACOBI APOSTOLI MAIORIS IN HISPANIAM.

DISPVTATIO.

APPRO-

APPROBATIO



IOannes Garcia Præpoſitus Prouincialis Societatis Ieſu in prouincia Toletana, poteſtate ſpeciali, facta à noſtro patre Generali Claudio Aquauiua, do facultatem vt imprimantur ſeptem tractatus, quos De aduentu B. Iacobi Apoſtoli in Hiſpaniam. Pro editione vulgata. De ſpectaculis. De monetæ mutatione. De die mortis Chriſti. De annis Arabum. De morte denique & immortalitate, compoſuit pater Ioannes Mariana eiuſdem Societatis, quippè approbatos à cenſoribus eiuſdem noſtræ prouinciæ. In cuius rei fidem eas litteras dedi meo nomine ſubſcriptas, & mei officij ſigillo munitas. Madriti in collegio noſtro, die vigeſimo quarto Nouembris M. DC. VI.

Juan. Garcia

ERRORES, QVI INTER EXCVDENDVM IRREPSERVNT, RESTITVTI SIC LEGANTVR.

Pag. Col.

2. 2.b.*an venerit*
3. 1.b.Ioan.*Stoflerus.*
15. 2.c.*Antonius* item
38. 2.c. שלם אונגליון קדישא כברתא דמרקוס דמלל וסבר רהומאית ברהומא:
40. 1.c.cum cap.9.ipse
43. Act.4.
50. 2.c. } *cap.6.*
68. 1.d. }
68. 1.b.*Ecclesiastæ* 4.
   Ibid.2.d.*Chaldæus* sic
69. 1.d.e.*omni* loco
77. 2.e.*fimbrijs*
81 1.a.*corrupta*
   Ibid. b.*limen* portæ cal.vno *sit*
84. 2.b.*Sanctes* Pagn.
   Ibid. c.θεουδέος
87 1.e.*ambularetis* in at.
   Ibid.2.a.queadmodũ *eod.cap.* eiusdẽ quercus.*Et cap.5.* Vbi plant.
98. 2.e.videbatur.*Hierem.*12.
105. 1.d.polysemas
111. 2.e.osculari
120. 1.a.CAP.XXVI.

Pag. Col.

124. 1.e.imperitante
147. 2.d.δυσφύλακτον
165. 1.c.Aristoteles.
176. 2.d.Tertull.*ait*
198. 1.c.cap.27.*vers.*25.
358. 2.a.*Harmonia*
366. 2.c.κολάκων, ὀδυνής καὶ φροντίδος ὑς ἔχειν σ᾽ ὀδύνην.
370. 2.c.γεννώμεθα
378. 2.e.caussamque *sciscitanti*
385. 1.b.*integerrimis*
387. 1.d.*sine* fructu *superuacaneos*
Ibid. e.vitaque *explicauit*
408. 2.a.Orpheus
409. 2.e.Orpheus
410. 1.a.πάντα ὁρᾷς
424. 1.a.ὄρθιος οἶμος ἐπ᾽ ἵκηται. ἥπειτα πέλει
431. 1.c.dictum *est ei:* Quia
   Ibid.d.massa *faciendi*
433. 1.c.χαὶρ μαχαιραὶ

IOAN. MARIANAE

DE ADVENTU IACOBI APOSTOLI MAIORIS IN HISPANIAM


DISPUTATIO.

CAPUT PRIMUM.

Veritatem à Religione non diuelli.



MVlta sunt eà quibus Superstitio & Religio distinguũtur, tum nulla re magis discrepant inter se, quàm quod veritatis luce Religio perfunditur, Superstitio mendacio, & inanitate conficitur. Nec mirum: est enim Religio verus Dei cultus, ab animi pietate & rerum diuinarum cognitione profectus; contrà Superstitio Religioni aduersatur, cum improbitate, amentia, & errore coniuncta est. Eleganter Lactantius, vt multa, lib. IV. cap. III. Sapientiam cum Religione necessariò connecti disputat, eôque deorum cultores vera Religione destitui; apud quos Religio à Sapientia discreta erat, penitusque seiuncta: quando alios habebant professores sapientiæ, quos Philosophos nominabant, alios sacrorum antistites, nimirum Sacerdotes, per quos ad deos adibatur. Veritatis autem forma simplex est, multiplex Mendacium; ita vna tãtùm vera Religio esse potest; certè Christianorũ Superstitiones variæ & innumeræ, cùm ab scopo aberrare multis modis contingat. Mitto gentium superstitiones, quæ fusæ à primis tempori- A bus per orbem innumeras nationes dementarunt, egerunt in præceps: ac ne de hæreticis quidem commemorabo, qui ab antiquo religionis sinceritatẽ varijs erroribus multiplici superstitione fœdare aggressi sunt. De ijs superstitionibus ago, quæ intra ecclesiam sępe irrepsêre; religionis pulchritudinem, quasi inuectæ aliunde sordes, miserè deturpãtes. Quis enim negare possit, fastos ecclesiasticos aliquando B adulatione temporum, aut potius incuria hominum, multis maculis cõtaminatos; libris alijs, quibus preces ecclesiasticæ ritusq; sacrorũ continentur, multas fuisse inspersas confusasque fabulas & commenta? Addã, nonnũquam in templis reliquias dubias, profana corpora pro Sanctorum, qui cum Christo in cælo regnant, exuuijs sacris fuisse proposita. Est enim miserum, negare nõ posse, C quod sit turpe confiteri. Ac nescio quo pacto fictis sæpe fabulis, & præposteris mẽdaciorum nugis populus magis quàm veritate & sinceritate capitur. Ea est mentis nostræ inanitas. Has sordes, vbi semel irrepserunt in ecclesiam, sacrorum ritus, libros ecclesiasticos, nobis fortassis dormientibus, attrectare nemo audet, mutire nemo, ne impietatis suspicionẽ com- D moueat scilicet, & religioni aduersarius esse videatur. Quæ necessitas fuit Concilio Tridentino sanciendi superioribus annis, vt publica auctoritate ea religionis probra amouerentur à tẽplis, à sacris cæremonijs, à libris Ecclesiasticis. In quo consequentes Romani summique Pontifices strenuè



haud dubium, & magna cum laude & piorum approbatione laborarunt, diuinis & Ecclesiasticis libris pristino nitori restitutis. Desiderantur alia, quæ tempore accessura speramus optamusque. Hos ecclesiæ & Pontificum pro veritate conatus qui iussus aut sua sponte iuuare pro virili parte aggrediatur, non modo reprehensione dignus haberi non debet, sed potiùs laude præmioque Ecclesiæ, cui omnia debemus, nullum laborem nullum periculum denegare fas est. in structuram templi, exemplo antiquorum, conferant singuli quæ poterunt, ditiores aurum & argentum, coccum, purpuram; quorum tenuis erit census, certè caprarum pelles. Qui terram ad solidum fodiunt, qui sordes repurgant, eorum opera non minùs necessaria ad structuram est, quàm aliorum artificum, qui componunt lapides, ligna dolant, signa faciunt, & vestes sacras cõsarcinant, reliquumque componunt templorum apparatum. Verùm ij conatus pro veritate & aduersus mendacia, quæ irrepserunt, ita laudem merentur, si tempora distinguantur, neque temerè nouandi omnia cupiditas concipiatur; quoniam procùldubio non minùs noxia esset. Velim ergo initio magnam cautionem adhiberi, ne noua Sanctorum nomina facilè cudantur, cuius rei populus infinita cupiditate flagrat; ne nouæ Sanctorum reliquiæ sine magno delectu populo ad venerationem obtrudantur, in quo sæpe peccatum suspicamur; historiæ Martyrum ne insolentes atque malè cohærentes in libros ecclesiasticos irrumpant. Alioqui quæ antiquitus à populis sunt susceptæ religiones, persuasionesque, eas mouere non concedam, nisi iniuncta argumenta suppetant, quæ erroris confessionem vtique exprimant, quibus nulla ratione nullaque arte satisfacias. Homines enim antiquis, quàm nouis stare malunt; & periculum est si antiquitus suscepta conuellantur, ne cætera in dubium vocentur, nullaque religioni fides constet; quem scopulum vitandum prorsus censemus. Ego quidem veritatis eruendæ studiũ semper laudabo, sed nisi ad hanc regulam animorum impetus dirigantur, periculum est ne in maiora incõmoda incidamus. In pari ergo argumentorum pondere, & non multum dissimili veri specie, antiqua vt retineantur auctor sim. Hoc nostrum iudiciũ est, certaque sententia, hæc via, qua in propositam disputationem ingredi animus erat, ***venerit Iacobus Apostolus cognomento Maior in Hispaniam,*** in eamque primus omnium Euangelij lumen inuexerit.

CAP. II.

Quoto anno occisus S. Iacobus.

COmmodius de summa iudicabitur, si disputatio diuidatur in partes: atque in ipso ingressu quædam veluti fundamenta ponantur, quibus moles vniuersa disceptationis incumbat. Statuo ergo Christum passum anno ætatis trigesimo quarto inchoato, tum Iacobum Apostolum ab Herode occisum octauo post anno non amplius Christi quadragesimo secundo. Denique Petrum Apostolum Romam venisse post biennium alterum, anno Christi quadragesimo quarto. Poteram quidem Christi mortem vno anno præponere recentiorum secutus sententiam, qui Christum affirmãt actum in crucem trigesimo tertio vitæ anno, Aprilis die tertio. Quam rationem primus inuexit Rogerius Bachon epistola ad Clementem quintum Roman. Pont. secutus est haud longo proximus interuallo Paulus Burgensis ad cap. Matth. 26. facta, vti ipse affirmat, lunæ calculatione cum Hebræorum peritis. Quod Alfonsum Tonstatum prouocauit vt Senis in Hetruria, vbi Pontifex tunc e-

rat, inter vnam & viginti theses, quas more Peripatetico disputandas iunior proposuit, idipsum tueretur. Offendit quosdam nouæ vocis & placiti insolentia, atque inter alios Ioanem Turrecrematam Cardinalem, quamuis ex eadem gente Hispanum, neque prius destitit, quam ea thesi inter alias quasdam iudicio Pontificis reprobata, quæ occasio extitit auctori edendi *defensorij*, quo libro liberius quam par esset, in Pontificum auctoritatem & responsa inuehitur. Quod seueritatis exemplum non deterruit posteriores, quo minus eam opinionem sequerentur, Ioannes Stoflerinus in suo Kalendario, Ioannes Lucidus, Petrus Pitatus Veronensis, eo reliquorum applausu, vix vt quisquam auderet diuersam sententiam tueri. Nos quidem certè separata disputatione eos omnes falli in suis rationibus multis argumentis demonstrauimus, quæ vt hoc loco explicentur, operæ non est. Illud constat, haud dubium veteres Patres, tum Græcos tum Latinos ad vnum mensem Martium Christi morti adscripsisse, quamuis de die discreparint. Græci enim ferè vigesimum tertium eius mensis diem designant, Latini vigesimum quintum. Id Martyrologia fastique ecclesiastici secuti sunt pari consensu, certè Bedæ, certè Vsuardi, & propria singularum Ecclesiarum. Sed & Romanum vetus id expressum eo Martij die olim habuit, [redacted], antiquæ opinionis vestigium expressum reliquerint illis verbis : *Hierosolymis commemoratio sancti latronis.* Quo enim alio die ex hac vita quam Christus, latro migrauit? Qua ex sententia efficitur planè Christum occisum, non trigesimo tertio ætatis anno cum decima quinta luna mensis Nisan, quo die haud dubium occisus est Christus, eo anno non incide-rit in Martij diem vicesimam quintam. Ex magno Patrum numero paucos proferamus in hanc sententiam. De mense consentiunt Augustin. lib. IIII. de Trinitat. cap. V. & lib. XVIII. de ciuitate Dei, cap. vltimo. *Mortuus est*, inquit, *Christus duobus Geminis coss. octauo Kalend. Aprilis.* Cassiodorus de consulibus, alij de anno simul & die, tum Beda de ratione temporum cap. XLV. *Habet*, inquit, *ni fallor, Ecclesiæ fides dominum in carne plusquam triginta tribus annis vsque ad sua tempora passionis vixisse; cereisque Romanis, vbi anni à Christi morte descripti erant, id confirmari testatur.* Deinde subijcit. *Quod autem octauo Kalend. April. crucifixus, 6. Kalend. earundem die resurrexerit, multorum latè Doctorum Ecclesiasticorum constat sententia vulgatum.* Tum Sigebertus ad annum Christi 532. Dionysium Abbatem accusat, quasi suis computationibus veterum placita, & Euangelicam veritatem mouisset: Christumque die vigesimo quinto Martij obijsse affirmat anno trigesimo quarto. Sic legito locum vt eius ratio constet. Verum ais, eum Martij diem non incidisse in feriam sextam, quo die constat Christum occisum, idque ex litera Dominicali constare manifestius, quam vt subterfugio sit locus. Hæc ratio quosdam compulit, vt Christi mortem transferrent in proximum diem: certè Onuphrius & ad fastos consulares, & in chronicis, id est secutus, & Maurolicus in suo Martyrologio relicta die vigesima quinta Martij, necem Christi designauit die vigesima sexta. Mihi tamen graue videbatur, vel in ea re ab antiquorum consensu, & Martyrologijs discedere. Eoque verum puto quod Paulus Forosemp. docet 2. part. libr. XII. cap. III. ex antiquo errore sacerdotum, de quo tum Solinus agit, tum Macrobius libr. I. Satur. cap. XII. quo per inscitiam computandi initium anni tribus diebus postposuerant, ex eiusque er-

roris correctione, quæ iussu Augusti facta est, nouum natum errorem, quo anni initium vno die postquam deberet ponebatur, cuius erroris vestigia satis aperta in veterum calculationibus extare, in ea nostra disputatione de hoc argumento monstrauimus. Sic factum, vt dies primus cuiusque mensis haberetur, qui reuera secundus erat, ac vigesimus quintus, qui erat vigesimus sextus. Qua etiam ratione intelligamus, Christum die veneris conceptum, natum die Dominico, vti vulgo magnorum virorum opinio habet, quod nisi in errore animaduerso constare non potest, neque enim eo anno quo Christus conceptus est & natus, dies vigesimus quintus Martij in diem Veneris incidit, sed in diem Iouis, neque Decembris item vigesimus quintus in diem Dominicam, sed in Sabbathum. Longior quam putaram hæc disputatio fuit: ad Iacobi necem transeamus. Sanè per dies azymorum fuisse occisum Lucas indicat, qui Actor. 12. vers. 4. post necem eius subiungit. *Erant autem dies azymorum.* Quæ verba non ad vincula tantùm Petri referimus, sed ad Iacobi necem cum Chrysost. eo loco, & alijs, qui ex ijs colligunt per eos Paschæ dies occisum, quorum est magnus numerus. Petrus Comestor in Acta cap. LXV ait: *ante dies azymorum, Herodes occidit Iacobum.* Ioann. Beleth de diuinis offic. cap. CXL. *Martyrolog. Roma. Iulij 25. die, prope festum Pascha decollatum ab Herode ait:* quod non dixissent, nisi ea verba. *Erant autem dies azymorum*, ad Iacobi necem retulissent. Addo ego, non modo prope Pascha, sed in ipsis azymorum diebus necatum, sic Lucas Tudensis in Chronico ait: E diebus quidem septem quibus Iudæi azyma comedebant, primus tantùm & vltimus festi erant, reliqui negotiosi, Exod. 12. vers. 15. & 16. vt reddi ratio non possit, cur ijs diebus non liceret iudicia exercere. Verùm Petrum seruabat in carcere, volens post Pascha producere eum populo; sit sanè, dilationem tamen ego non ad festi sanctitatem referendam puto, sed ne cædes continuaret, seu vt Petro pro se respondendi tempus esset, neque, quamuis iniquus, videretur iudicium præcipitare. Sed qua ratione probabis, quod es pollicitus, intra azymorum dies occisum Iacobum? Ego verò sic colligam. Plerique omnes sentiunt planè Iacobum occisum Martij die vigesima quinta. Calixtus Papa libr. de miraculis Iacobi Apostoli, *Primus*, inquit, *Iacobus inter Apostolos martyrium compleuit: qui ipsa die & hora, qua Dominus, decollatus est, nempe octauo Kalend. Aprilis.* Vincentius lib. VIII. spe. histo. cap. VII. Rationale diu. lib. VII. cap. XVII. nempe de antiquioribus ij accepêre, ab ijs recentiores magno numero quasi rem minimè dubiam. Addo Onuphrium Iacobi cædem posuisse in Chronicis primo Claudij anno, quod ipsum Euseb. indicat libr. II. histor. cap. IX. ac ferè communis ea aliorum sententia est. Qui annus iuxta veriorem computandi rationem, quam Onuphrius sequitur, & nos secuti sumus in nostræ historiæ libr. IV. cap. II. incidit in annum Christi quadragesimum secundum: tametsi non ignoro, alios ad hunc annorum numerum biennium addere, quam prudenter, ipsi viderint. Eo quidem ipso anno quadragesimo secundo in Hebræo cyclo seu computatione Iudaica inuenimus, initium quidem anni feria quinta, Septembris die decima quarta, Pascha autem Iudæorum Sabbatho proximi Martij die omninò vigesimo quarto, vt necesse sit Iacobum occubuisse die altero azymorum seu Paschatis, quod ipsum Hieronymus ad Ezechiel. capit. 43. confirmat, occisum Iacobum die secundo Paschatis. Verba subijciam: *Hunc* (nempè Iacobum) *interfecit Herodes, & quasi hæ-*

dum

dum in macula . . m post passionem Saluatoris in die immolauit secunda, certè Paschatis. Vides certè mirificè omnia inter se & cum veritate consentire: vt pro certo poni possit, quod initio diximus, Iacobum cæsum octauo non ampliùs à morte Christi anno. Eo spatio an venire potuerit in Hispaniam, alio ex principio disceptandum erit. Nunc quod est reliquum agamus, de Petri Apostoli in vrbem aduentu. Eusebius quidem in Chronicis secundo Claudij anno Romam appulsum ait, quem ipse quidem Christi numerat quadragesimum quartum. Et ex Actis Apostolicis satis colligitur, cum primum è vinculis liberatus est, quod in Iudæa tutò versari non posset, ad eam profectionem continuò retulisse animum. Itaque tum Onuphrius, tum Cardinal. Baronius viri diligentissimi eundem annum adscribunt Petri aduentui, ille in Chronicis; hic in suis Annalibus anno Christi 44. cap. 26. A qua sententia, quoniam neque antiqui Patres discrepant, neque recentiores scriptores, eam pluribus confirmare esset planè superuacaneum.

CAP. III.

Quædam Apostolorum actiones.

MAior lux erit, si quasdam Apostolorum actiones seu profectiones quo tempore inciderint, explicuero. Ac primum statuo Apostolos omnes Hierosolymis expectasse vsque ad illapsum diuini spiritus iuxta præceptum Domini, Actorum 1. vers. 4. cum præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem patris. Quod factum est die quinquagesima à Christi ad vitam reditu salutari, cum paulò antè Matthiam sorte legissent Apostoli in locum Iudæ

A proditoris, vti eodem cap. refertur, vers. 15. Deinde Stephani ac sex aliorum diaconorum ijdem Apostoli ordinationem perfecerunt, vti Actorum cap. 6. vers. 5. refertur. Quod quo tempore contigerit non satis constat. Plerique annum adscribunt alterum à Christi morte, quidam trigesimum quartum, alij trigesimum quintum, quod nos sequamur opus est, qui Christum occisum

B credimus ætatis anno trigesimo quarto. Per hoc tempus existimo ab Apostolis symbolum Apostolorum confectum, à singulis Apostolis collatis in vnum singulis sententijs & articulis, vnde & *Symbolum* est dictum. In quo numero Iacobo Maiori tribuunt illam partem: *Credo in Iesum Christum filium eius vnicum*

C *Dominum nostrum.* Et quidem per eum modum symbolum factum viri eruditione & antiquitate conspicui non pauci scriptum reliquêre, quos nomine citare nolo. Illud contendo, non decennio à Christi morte, vt quidam designant, sed sub initia prædicationis Apostolicæ eam formulam fidei promulgatam, vt

D haberent omnes quod sequerentur, neque discreparent in doctrina. Quorsum enim rem tantopere necessariam sustentassent, plerisque iam Apostolis in varias prouincias profectis, atque Iacobo ipso mortuo. Eodem prorsus anno Stephanus occubuit, lapidibus à Iudæis petitus. De quo Actorum capit. 7. vers. 60. Consecuta eius necem

E est discipulorum fuga in varias partes necessitate declinandæ procellæ, quæ Hierosolymis cæso Stephano deseuijt grauissima. Restitêre tamen Apostoli Actorum 8. vers. 1. quorum erat magis stabilis & in fide fixa sententia. Simul Saulus cœpit continuò in pios sæuire eo capit. versic. 3. Saulus autem deuastabat Ecclesiam, irrumpebat in domos, refringebat claustra, inuentos in ferrum tradebat & vincu-

la. Neque domestica carnificina & sanguine satiatus, Damascum pergebat ferro armatus & litteris summi sacerdotis aduersus piorum nationem. Cum repente cælesti luce ad terram prostratus mutauit mentem. De qua re copiosè Actorum 9.cap. De tempore variant auctores. Eusebius annum designat Christi trigesimum quartum, Onuphrius trigesimum quintum. Sed quoniam Martyrologia ad diem Ianuarij 25. affirmant id accidisse, secundo à Christi Ascensione anno, sub initia trigesimi sexti anni Paulum conuersum putamus. Factus porrò Christianus continuò iuit in Arabiam, inde redijt Damascum, ac tum demum abijt Hierosolymam post annos tres ad Gal.1.ver.18.nempè à conuersione. Sic anno trigesimo nono eam suscepit profectionem. Quid verò Hierosolymis gessit? Mansit apud Petrum diebus quindecim, quo spatio nullum Apostolorum vidit nisi Petrum & Iacobum fratrem Domini, qui quod esset Hierosolymæ Episcopus ibi mansit, cæteris Apostolis alio atque alio dilapsis. Atque ea profectio Hierosolymam suscepta prima fuit ab eius cōuersione. De qua etiam Actorum 9. cap.vers.26.fit mentio. Cum autem venisset Hierusalem tentabat se iungere discipulis. Illi verò metuebant eum. Sed Barnabas apprehensum duxit ad Apostolos, certè Petrum & Iacobum, neque enim alios vidit neque Barnabas à Paulo ponitur in Apostolorum numero, quod non esset è primarijs à Christo ipso institutus. Subsecuta est AEneæ paralytici sanatio à Petro Lyddæ facta. Actor. cap.9.vers.32. Cornelij Centurionis Cęsareę eiusdem opera ad Christum facta conuersio cap.10. Et illi quidem qui Hierosolyma discesserant post Stephani cędem, iuerūt in Phœnicem & Cyprū, sed præsertim Antiochiæ multos adiunxerunt Christo: ad quos excolendos Hierosolyma missus est Barnabas. Ille profectu consideratо Saulum Tarso eò deduxit: & cum eo ibi annum moratus est. Tempora singulis actionibus designare non est promptum. Sed anno quadragesimo videntur contigisse & quadragesimo primo. Quo in proximū euoluto, Herodes vt acceptum recens à Claudio Augusto regnum à grato Iudæis initio auspicaretur, Iacobum Maiorem Hierosolymæ occidit ipsis azymorum diebus, Petrum etiam in vincula tradidit, vti Acto.cap.12.narratur. Aduerte Caium Imperatorem occisum anno 42. iuxta Eusebium, quod sequitur Onuphrius, addo ex Suetonio eam Caij necem factam nono Kal. Februar. Claudius in eius locum suffectus, Herodi vt merces operæ esset, delati imperij eius suasu, Iudææ regnum continuo tradidit, ac verò omnia quæ auus eius Herodes habuerat. Inde verò potestas Hierosolymę iudicia exercendi. Vides à morte Christi ad Iacobi necem annos plures intercessisse, quibus Hispaniam obire facilè fuit. Verùm de his Regibus ac de tota prosapia primi Herodis nouo ex principio dicendum est.

CAP. IV.

Herodis primi progenies.

HErodis primi, quem Ascalonitam vocant, pater fuit Antipater Idumæus. Is Hircano & Aristobulo è Machabæorum sanguine postremis de Iudæorum regno contendentibus Hircano adhæsit, qui ob ætatis prærogatiuam iure potior erat. Tum Iulio Cæsari in AEgypto (cum Pompeium oppressit) strenuā operam nauauit. Præmium fuit Hircano delatum sacerdotium, sibi Iudææ procuratio concredita, eo tibicine Hircani socordia fulcita. Antipatro Malichi dolo sublato, post Iulij Cæsaris interitum, Cassio eius interfectore rerum in Syria potiente, Iudææ procurationē Herodes quasi

hæredi-

hæreditariam accepit, quo maior esset auctoritas Mariamne ducta Hircani nepti. Quod non multò post M. Antonius Cleopatræ amoribus in AEgypto indulgens ratum habuit: quin eo & Octauio agētibus, Romanus senatus Iudææ regnum illi concessit. Regnauit Herodes annis septem & triginta. Dum viueret, Aristobulum & Alexandrum filios ex Mariamne susceptos prius sustulit, & quidem, vt Macrobius indicat, quo tempore in innocentes desæuijt. Antipatrum maiorem natu ex Doride natum, sub mortem peremit. Filijs alijs regnum in partes tributum reliquit: Archelaum Regem Iudææ esse iussit, Herodi Antipæ Galilæam reliquit, Philippo Ituræam & Trachonitidem, Lysaniæ Abylinam, vti Lucas ait cap, 3. ver. 1. tetrarchiæ nomine tribus postremis. Porro Aristobulus, quem pater occidit, Agrippam & Herodem teneros filios penes Augustum reliquit. Vnde illis gratia Romæ aditusque ex interuallo ad auitas opes. Herodes Antipas Ioannem Baptistam occidit, & Christi morti Hierosolymæ interfuit, Iudæa tum in prouinciæ formam procuratoribus permissa. Nam Archelaum Augustus decimo regni anno tyrannidis à subditis accusatum, regno detracto depulit in exilium. Ergò Agrippa, quem Lucas Actor. 12. cap. ver. 1. Herodem etiam vocat, vulgoque *Herodes Agrippa*, dicitur causa discriminis, defuncto Tiberio è carcere liberatus à Caio, post Philippum patruum defunctum ea ditione donatus est, regio etiam concesso nomine. Inuidit cum honorem Herodes Antipa, & dum apud Caium occultè illum criminatur, ipse ab Agrippa multis criminibus accusatus euertitur, & cum Herodiade Lugdunum relegatur. exilij & vitæ idem terminus fuit. Aderat Agrippa [redacted] tempore Caius Cher[redacted] occubuit anno Christi quadragesimo secundo, Patribusque de arripienda libertate cogitantibus pro ea gratia, quam superiori tempore nactus erat, suasit vt

A Claudium potius rebus præficerent. Merces patrocinij fuit aui regnum prouinciæque omnes. Sic Hierosolyma in ditionis partem redacta, & Iacobum maiorem interfecit, & Petro vincula iniecit, vti Actor. cap. 12. refertur. Vides certè quo tempore & à quo Herode occidi Iacobus potuit, ab hoc non ab Antipa, qui nullum

B Hierosolymæ ius habuit. Euse. planè in Chronico lapsus est, cùm Iacobi necem anno 36. designauit, vnde quidam putarunt in Hispaniam non venisse, cùm esset promptum errorem castigare ex historia lib. II. cap. IX. vbi ipsemet Claudij imperio cæsum Iacobum ait. A quo Agrippæ regnū est datum Herodi, quin etiam minori Agrippæ fratri Chalcidis regnū

C ab eodem Claudio tributū est, in fratris gratiam videlicet. Subsecutus est interitus Agrippæ septimo regni anno, Claudij tertio, Christi quadragesimo quarto ab angelo percussi Cæsareæ, quod se supra captum humanum extulisset superbia, sic Actor. 12. cap. ver. 23. Lucas ait, tum Iosephus lib. XIX. Antiq. cap. VII. filias reliquit Berenicem, quam Herodi Chal-

D cidis Regi vxorem dederat, duas alias filias, tum Agrippam, quem Hebræi Agrippinam vocant, alij minorem Agrippam. Hic à Claudio patris regnum obtinere nō potuit. Defuncti Herodis patrui & sororij ditionem tantum, sed regio nomine obtinuit. Hic est ille Agrippa Rex, qui Paulum dicentem causam coram Festo procuratore audiuit Cæsareæ,

E Actorum 25. cap. ver. 23. Quin & Berenice soror actioni interfuit, illa Berenice in historia Romana Titi nondum Augusti amoribus ad insaniam nobilis magis quàm clara.

CAP. V.

Argumenta Iacobum in Hispaniam non venisse.

INuicta sint argumenta necesse est, quibus viri docti & graues imprimis in conatum ingressi sunt conuellendi de omnium gentium pectoribus persuasionem non nuper, sed ab antiquis temporibus, neque temerè susceptam, sed validis, vt videbatur, radicibus nixam. Nam si causam tãtum dubiam facerent, eorum prudentiæ erat, antiquis potius stare, quæ in clarissima luce ponant errorem superioris ætatis, ijs rationibus vniuersos manus dare opus erit. Ea argumenta si hoc loco examinarem, facturum me operæ pretium putaui. Ac primum Thraseæ cuiusdam traditio mouet, quam refert Apollonius: & eius verbis Eusebius libro V. histor. c. XVIII. extremo: qua affirmat à Christo vetitum Apostolis Hierosolyma discedere ante annum duodecimum ab eius in cælum ascensione. Eam traditionem celeberrimam fuisse oportet, quando de ea multi auctores meminerunt. Beda certè in acta Apostolorum ad caput 13. initio. Io. Beleth. de diu. offic. cap. CXXXIX. Vincent. specul. hist. lib. VIII. cap. IX. Comestor in acta cap. 71. Consonant traditioni acta Apostolorum, ex quibus ostenditur initio eos à Gentibus abstinuisse, cõtentos Iudæorum conuersione, donec segregarunt Spiritu sancto dictante Paulum & Barnabam in id opus, Actor. 13. cap. ver. 2. quod non antè tredecimum à morte Christi annum contigisse plerique expositores explanant. Quí ergò Iacobus octauo post Christum anno cæsus, vti superius fassi sumus, potuit

A in Hispaniam longinquam, vbi terrarum finis est, proficisci, & contra CHRISTI præceptum intempestiuè Gentibus Euangelij lumen inferre? Hoc primum argumentum est validum, & inuictum quis negabit? quis non fateatur? Alterum desumitur ex Innocentij primi epistola I. ad Decentium Eugub. Episcopum, & habetur d. XI. cap. *Quis nesciat*: vbi cùm dixisset seruari debere quæcumque à Petro Apostolo Romanæ Ec-

B clesiæ tradita erãt, continuò subiungit. *Præsertim cùm sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispaniam, Africam, atque Siciliam, insulasq́ interiacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerunt sacerdotes. Aut legant si in ijs prouincijs alius Apostolorum inuenitur aut*

C *legitur docuisse.* Quis ergò aduersus Innocentij auctoritatem Iacobum amplius *Hispaniæ Apostolum* audeat nominare? Duobus accedat Ambrosius haud minori multo auctoritate. Is enim in ea verba ad Roman. 15. *Cùm in Hispaniam proficisci cœpero, videbo vos*, sic ait. *Venturum se promisit tempore quo ad Hispaniam erat iturus, quia illic Christus non*

D *erat prædicatus.* Vbi ergò Iacobi Apostoli prædicatio, si nondum eo tempore, quo iam ipse erat occisus, Christum audierant Gentes Hispaniæ? His similia Hieronym. ad caput Amos quintum de Paulo. *Qui vocatus*, inquit, *à Domino effusus est super faciem vniuersæ terræ, vt prædicaret Euangelium de Hierosolymis vsque ad*

E *Illyricum, & ædificaret non super alterius fundamentum, vbi iam fuerat prædicatum, sed vsque ad Hispanias tenderet, & à mari rubro, imò ab Oceano vsque ad Oceanum curreret.* Hæc sunt fortissima præsidia aduersus Iacobi Apostoli aduentum in Hispaniam. Quibus ego adiungo nouum, neque minus mea quidem sententia validum argumentum, ex altissimo silentio historicorum, qui de rebus Hispaniæ antiquis tempo-

ribus ſcripſere: neque meminêre tamen vel leuiter, Iacobum in Hiſpaniam veniſſe, ne inuentum quidem eius corpus Compoſtellæ, quod proximè eorum temporibus accidit, non Chronicon Alueldēſe ante ſexcentos amplius annos deſcriptum, non Alfonſi magni chronicon Sebaſtiano Salmāticenſi Epiſcopo dicatum ante ſeptingētos annos, non Iſidorus Pacenſis, aut Sāpyrus Aſturicenſis eorum temporum vetuſti admodum hiſtorici. Quod mirere amplius, in hiſtoria Compoſtellana ſatis antiqua, vbi eius Eccleſiæ dignitas maximè illuſtrari debuit, nihil de aduentu Iacobi Apoſtoli inuenias. Agit quidem de translatione ſacri corporis in Hiſpaniam, & de eius inuentione, de aduentu viuentis, & prædicatione, ne verbum quidem. An iniqui iudices & maligni in ſua cauſa eſſe vellent, ſi quid certè afferre potuiſſent? Quod idem contigiſſe video Roderico Toletano Archiepiſcopo, apud quem mirum eſt ſilentium in ſua hiſtoria, tum de aduentu Iacobi, tum de inuento eius corpore, & vt finis ſit in Breuiario Toletano, quo ea Eccleſia vſa eſt, antequàm noſtra ætate Romanum ſuſciperet, cùm datam Iacobo poteſtatem prædicandi in Hiſpania fateatur, viuentem in eam veniſſe non ait, neque mortui corpus antiquis temporibus inuentum. Ac ſentire potius videatur morte interceptum non potuiſſe in prouinciam ſibi demandatam proficiſci.

(:)

CAP. VI.

Superiora argumenta diſſoluuntur.

HAEc ferè ſunt argumenta, quibus impugnatur Apoſtoli in Hiſpaniam aduentus: quorum ſolutionem poteram in extremam diſputationis partem more ſcholaſtico ſuſtentare: non committam tamen vt mora de memoria excidant: ſed potius antequàm procedam amplius, tentabo quantum in nobis ſitum erit, eorum vires labefactare, non contentionis ſtudio aut victoriæ, ſed ſincero veritatis eruendæ amore incitatus. Ac Thraſeæ quidem traditionem Apoſtolis eſſe præceptum, ne antè duodecim annos à morte Chriſti Hieroſolyma diſcederent, vim magnam habere non negabo, idem tamen opponam ei traditioni Petri Apoſtoli non ſolum Hieroſolyma diſceſſum, ſed etiam in vrbem aduentum ſecundo Claudij anno, Chriſti quadrageſimo quarto, nempe decimo præcisè, ex quo in terris eſſe deſijt. Quo argumento, & quoniam Marcus proximo anno ſcripſit Euangelium poſt diuiſos Apoſtolos, vti illa verba indicant cap. 16. ver. 20. *Illi autem profecti prædicauerunt vbique.* Cardinal. Baronius anno Chriſti XLIV. cap. XI. contendit de eius traditionis, tum veritate, tum auctoritate meritò dubitari. Quid ais, Hieroſolymis non eſſe profectos Apoſtolos ante id tempus? ſed Petrus Actorum 9. ver. 31. poſt mortem Stephani pertranſibat vniuerſos, Cornelium etiam è Gentibus baptizauit, cap. 10. ver. 48. At vtrumque diuina reuelatione factum excuſas: ſit ſanè, ne-

que ipse cogitabam diuinum præceptum violatum à Petro, sed cur non liceat idem de Iacobo interpretari, iussos quidem Apostolos Hierosolymis resistere? Iacobum autem, quoniam mortis tempus instabat, ex diuino instinctu & inflatu in prouinciam suam abijsse? neque enim in Actis, aut alijs diuinis libris omnia Apostolorum gesta sunt conscripta. Quid denique prohibeat, sic diuinam iussionem emollire, vt præceptum esset ne diuiderentur ante id tempus Apostoli, non amplius redituri. Iacobus ita abijt, vt breui esset in Iudæam & Hierosolymam reuersurus. At rerum singularum idoneos testes requiris, merito quidem, si nouam inducere opinionem conaremur; vt autem susceptam tueamur, qualiscunque probabilis excusatio locum habeat. Debilitata vt puto, ea traditione ad Innocentium pergo. Negat quenquam Apostolum in Occidentis prouincijs docuisse, fundasseve Ecclesias. Verum quid de Paulo facias, quem ex ipsomet constat voluisse in Hispaniam proficisci, idque præstitisse: & ratio temporis mouet interuallum à vinculis Romanis vsque ad mortem aliquot annorum, & magni id viri testantur, Hieronymus, Chrysostom. Epiphan. Gregor. Isidorus, de ortu & obitu Patrum in Paulo. Fauent vestigia profectionis Dertusæ & Narbone relicta, quæ vrbes primos Episcopos laudant à Paulo ipso accepisse, quo tempore iuit in Hispaniam, quæ in ea verba dicunt Turrecremata & glossa, tum Lyranus ad cap. 15. extremum Epistolæ ad Rom. Quod si à verbis Innoc. excipis Paulum, ab eaque vniuersitate, cur non liceat tantundem Iacobo dare? Mitto quod in responsis Pontificum non omnia quæ inseruntur, fidem habent indubitatam, [redacted] si persuasero, satis habeam, ita Apostolos in his regionibus versatos, vt neque Ecclesias fundârint, neque passim Episcopos constituerint, ac ne ex professo diuque docuerint: Et alioqui quid Martyrologio Romano facias, Barnabam Mediolani primum Episcopum affirmanti die Septembris 25. verba sunt: *Mediolani sancti Anatalonis Episcopi, qui beati Barnabæ Apostoli discipulus in eius locum Ecclesiæ Mediolanensis Episcopus successit.* Simonem Zelotem in Africa & Britannia versatum. Dorotheus in synopsi & Nicephorus lib. II. c. XXXX. testantur. Benè habet, gemini arietes quibus nostra quatiebant, debilitatos satis putabam, ne nostræ gentis persuasionis arcem euertant. De alijs duob. testimonijs laborare non est necesse, Iacobi ad laborem fructus non respondit, vt eius prædicationis vix ratio haberetur, aut ne memoria quidem extaret. Sic iuuat Ambrosij verba interpretari negantis in Hispania prædicatum Euangelium. Paulus autem cum latissima locis esset Hispania, potuit ædificare, vbi nullum alterius extaret fundamentum; quemadmodum in alijs prouincijs Asia & Græcia, vbi alij Apostoli docuerunt, Hieronymus negat alienis fundamentis imposuisse fabricam. Quid? quod tanto locorum & temporum interuallo potuit eos Patres latere, quid primis temporibus in Hispania gestum esset, sicuti ex memoria Hispanorum penitus totum exciderat, quo tempore Iacobi corpus inuentum est. Quod ad historias nostras attinet, id enim postremum argumentum erat, planè mirum est de re tanta silentium. Suspicabar autem quod in sacro corpore accidit, vt diu ignoraretur vbi esset, idem de Apostoli aduentu contigisse, vt diutius aliquanto ea ignoratio tenuerit. An nouum id & insolens, & nō potius frequens, vt tēpore detecta fuerint, quæ multa secula nesciierant in hoc ipso rerum genere maximè. Aut potius quod in

alijs

alijs religiosis locis accidit, vt à modicis initijs in magnam deinde amplitudinem veniant, idem Compostellæ contigisse: eamque prætermissę mentionis causam extitisse. Nobilissima in Hispania templa sunt, plenaque numine Guadalupeum & montis Serrati, quis tamen antiquorum historicorum eorum initia tum modica & inchoata explicuit. Hæc de inuentione corporis sint dicta, quod tamen Compostellæ esse fatetur Sampyrus. De aduentu Apostoli siluisse non miror, nullus enim nostrorum illius ętatis historicus extat; neque verò, quos nominauimus, ad prima Ecclesiæ tempora suam narrationem extendunt, ijs contenti, quæ proximè eorum ætatem contigêre, fortassis etiam rem vulgatissimam, & quæ in ore omnium erat, intactam reliquerunt, venisse Apostolum in Hispaniam. Quod sigillatim historiæ Compostellanæ auctoribus contigisse magnæ coniecturæ sunt: vidisse eos Calixti secundi libros quibus id continetur, suo loco à nobis explicandæ. Rodericum Toletanum, qui meliora tempora, & maiorem lucem est assecutus, suspicabar infensum Compostellanæ Ecclesiæ, quæ Toletanæ primatum agnoscere recusabat, studio siluisse in historia, quæcumque eius dignitati patrocinari poterant. Itaque in disceptatione, quam Romæ ea causa habuit coram Romano Pontifice Innocentio tertio, Compostellano excusanti aduentum Iacobi, atque corpus eius Compostellæ esse tumulatum, quo potior ea Ecclesiæ Toletanæ esse videbatur, tum dignitate, tum antiquitate. Rodericus corpus quidem ibi esse negare non audet, quæ de aduentu eius dicerentur, ad rumores populi ablegat, ac tantum non ad anicularum fabulas studio prouectus disceptandi, vt est litigantium mos, & contra conscientiam sic arbitror. Ab eo sumpsere Toletani sacerdotes, vt è suo Breuiario expungerent, quæcunque Compostellanæ Ecclesiæ facere poterant, cōtra exemplum aliarum Ecclesiarum Hispaniæ, vti alio loco monstrabitur. De aduersę partis argumentis hactenus.

CAP. VII.

Antiquorum testimonia pro Iacobi in Hispaniam aduentu.

TEstimonijs potius quàm alijs argumentis decidenda hæc lis à nobis est. Ea quoniam in partem alteram pro aduentu Iacobi Apostoli multa, atque adeò innumera suppetunt, ad iuuandam memoriam, vitandam confusionem, in classes distribuere certum est. In quo antiquis scriptoribus primum locum damus. Inter eos Hieronymo in Martyrologio, quod Cromatio & Heliodoro dicauit. Sic citat Calixtus secundus in prologo secundi libri sui, cuius verba ex c. XII. petantur. Post Hiero. accedat Anastasius, quem Patriarcham Antiochenum faciunt vixisse anno salutis 560. is in libro de passionibus martyrum Arabicè scripto, Iacobum Apostolum abijsse in Occidentem ait: multaque ijs locis fecisse miracula. Hunc librum nos non vidimus, vir doctus & diligēs in disputatione de hoc argumento se legisse Romæ affirmat, fides auctorem appellet. Ac satis habeam, si credatur tanto locorū interuallo, & in lingua Arabica veritati reddi testimonium quocunque auctore & antiquitate. Isidorus ætate proximus certè subsequatur, cui maior fides haberi debet, ciui nostro & de reb. Hispanię disputanti quàm cuiquam externo, pręter eruditionē, viri antiquitatē, sanctitatem & grauitatē, contra quam nemo quidquā excipiat. Is in lib. de vita & obitu Patrū tum cap. LXXXI. in diui-

sione prouinciarum inter Apostolos Iacobo ait designatam Hispaniã; ratùm propriè LXXI. Iacobũ Hispaniæ ait & occidentalium regionum populis Euangelium prædicasse. Quid aduersus clarissimi viri clarissimum testimonium? Num librum eius esse negas? at Braulius & Illefonsus eius æquales sanè discipuli aiunt in eius vita. Sigebertus Gemblacensis, domo Belga, libro, vt puto, de viris illustribus, qui nunc nõ erat ad manum: Nicol. Lira ad cap. XV. epist. ad Roman. extremum: Trithe. de scriptoribus ecclesiasticis: Lipomanus etiam secundo tomo S. Iacobi vitam eisdem Isidori verbis eiusque nomine affert. Num obstinatè pergis tantis viris fidem detrahere? præfracto ingenio sis. Num locum corruptum esse causaris? vtrumque an è duobus alterũ? sed certè in cap. LXXI. inuehe ris, quoniam in eo ait, Iacobum duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione scripsisse, (nempe epistolã Canonicam cuius id initium est) & sepultum in Marmarica confirmat. Vocis te Barbaries & insolentia exagitat? Sed audi quæ faciant in alteram partem. Nuper is liber prodijt inter alia opera Isidori ad fidem octo veterum codicum castigatus. Nunquid castigatores loco mouerunt eum librum quasi nothum, num ea saltem verba è libro expungẽda iudicarunt? non planè. In Hieronym. etiam de scriptoribus Ecclesiasticis eadem verba leguntur: *Iacobus duodecim tribubus quæ erant in dispersione, omnibus prædicauit Euangelium.* tum in Dorothei synopsi: *duodecim tribubus quæ erant in dispersione Euangelium prædicauit.* Ex ijs Isidorus suo more quæ posuit verba est mutuatus, dempto verbo *scripsit*, quod additítium merito iudicant auctores annotationum ad ea Isidori opera recens Madriti edita. Et alioqui quid de auctore Epistolæ Canonicæ senserit Isidorus libro de procemijs cõstat, eam tribuisse eum Hieronymo & alijs Iacobo minori. Quid etiam quod præter auctoritatem Eus. lib. II. hist. cap. XXII. quem secutus est Hierony. nulla ratio conuincit à Iacobo minori potiùs quam à nostro eam epistolam conscriptam: quod multi senserunt, atque in eo numero Alfonsus Castellæ Rex cognomento Sapiens, libro quem *Thesaurum* dixit lingua vernacula, de quo me amicus monuit Conchensis patriâ, vir eruditus. Id etiam in Breuiario Mozarabum non semel inuenitur affirmatum, Iacobi nostri eam esse Epistolam. Ergo priorẽ maculam satis arbitror eluimus. Quod attinet ad posteriorem, codices variant. Parisiensis editio *Carmarica* habet, Madriti facta *Marmarica*. Ego vtramque lectionem corruptam statuo & castigandam ex breuiario Toletano: vbi in festo S. Iacobi lectione sexta habes, *sepultus est in arca marmorica* (seu *marmorea*) cuius lectionis vestigia in antiquis codicibus extant, cum quidam legat *Archis marmaricæ*, alius *Achimarmarica*, auctor qui eum librum nuper castigauit, aut potius *ex marmoris arca* (quod amicus monuit) *marmarica facta* vitiose est. Inde vero natam arbitror vulgi opinionem naui marmorea vectum sacrum corpus in Hispaniam, reique gestæ monimentum in littore ad Iriam Flauiam saxum ostẽditur in cymbæ modum conformatum. Nimirũ, vt ego interpretor, corpus quod, vt historia Compostellana ait, Iudæi sepultura prohibuerunt, discipuli clã ablatum, atq; marmoreo sepulchro inclusum nauique impositum in Hispaniam detulerunt. Vulgus viso sepulchro existimauit eo vectum fuisse per aquas, vt solet leui occasione popularis fama crescere. Vides à calumnia vindicatum Isidori & librum & locum planè, omniaque consentire, nulla vt ambigendi occasio relinquatur. Quis autem tanta confidentia sit, qui suum iudicium præferat Isidoro præsertim de rebus Hispaniæ? Verùm hoc caput præstabit concludere Bedæ testimonio qui in collectaneis dum agit de diuisione

prouinciarũ inter Apostolos ijsdem quibus Isidorus verbis, Iacobo Hispa A niam attributam ait. An erit aliquid quod aduersum Bedam obijciatur? Venantius Fortunatus adijciatur Isidoro æqualis auctoritate & fide non minor alijs. Is in B. Iacobi laudem multa carmina, magna & copia, & elegantia cecinit, è quibus binos distichos subijcio.

Cultoris domini totum sonus exit in orbem
Nec locus est vbi se gloria celsa neget. Rursus post multa.
Gentiles docet hic, Iudæos increpat idem
Fructificansq́; deo seminat orbe fidem.

Vides Iacobi doctrinam (id enim *sonus* est ex Ps. 18.) non se continuisse intra Iudææ fines? Vides non Iudæos tantum, sed gentiles docuisse fidem? C certè id præstitit, cùm ad Hispanos extremos profectus est. Et quidem hæc carmina inter alia Fortunati poemata non inueniebam: ex tertia homilia Calixti secundi in B. Iacobi laudem desumpsi, quæ supposita esse ne momus quidem dicat, vsq; eo ab elegantia & facilitate cum alijs eius auctoris carminibus consentiunt. Illud addam obseruatione dignum, superiora testimonia Patrũ ab aduersarijs adducta non negare sigillatim Iacobum venisse, sed ex propositionib. vniuersis id colligi, aduersus quæ multa excipi possunt; auctores quos pro Iacobi aduentu citauimus, & deinceps multo plures afferemus, sigillatim Iacobum confirmant venisse in Hispaniam. Lector per se videat vtra maiorem vim ad persuadẽdum habere debeant.

CAP. VIII.

Breuiaria Ecclesiastica.

PRoximè põst antiquos Patres Ecclesiarũ consensus accedat in hac re non discrepãtium eo maioris auctoritatis & fidei, quo plures non homines priuati, sed conuentus integri in vnam sententiam conspirârunt. Is autem consensus ex libris Ecclesiasticis habeatur, quib. ratio precum & ritus continentur, quæ Breuiaria vulgò dicimus. Atque in hoc ordine primum locum occupabit Breuiariũ Mozarabum propter antiquitatem, quam ipsa elegãtia & dicendi forma redolet, & quoniam Isidorum auctorem habuisse ex præcepto Concilij B quarti Toletani vulgò eruditi persuadent, & nos id attigimus historiæ nostræ lib. VI. cap. V. Id Breuiarium ipso Iacobi festo die in hymno, quo de more cuiusq; sancti res gestæ continentur, sic habet.

Magni deinde filij tonitrui
Adepti fulgent prece matris inclytæ
Vtrique vitæ culminis insignia
Regens Ioannes dextra solus Asiam
Et læua frater potitus Hispaniam.
Et rursus de eodem.
Caput refulgens Hispaniæ.
Quid ad hoc?

Post Breuiarium Mozarabum accedat Toletanum, quo ea Ecclesia antiquis temporibus vsa est, non dicit quidem venisse in Hispaniã, datam tamẽ ei potestatem in Hispania prædicandi, ait in prima lectione, tum in sexta concludit *sepultum in arca marmorica*, vt dicit B. Isidorus. Hæc sunt eius verba. Coniungã mox quatuor Breuiaria, Segũtinum, Cauriense, Ciuitatense, atque Palentinum, tum Romanum Quignonij Pauli tertij permissu consarcinatum, in alijs quidem discrepãtia inter se, sed cuncta tamẽ in Iacobi festo subiecta verba habentia, *Iacobus post Christi ascensionem, cùm fidem ipsius per Iudæam & Samariam mirabiliter prædicando propagasset, plurimosq́; & in his Hermogenem conuertisset, Hispaniam adijsse, & ibi Euangelium prædicasse, auctor est Isidorus.* Eadem sententia alijs verbis Tudense Breuiarium: *Hispaniam quoque Iacobus ad prædicandum adijt, vt auctor est Isidorus.* Salmantinum quoque pari & consona voce, *Hispaniam adijsse*, inquit, *& ibi Euangelium*

prædicasse auctor est Isidorus. Quo loco ordinis Prædicatorũ Breuiarium adiungatur, ne Hispanica tantum proferantur, sic enim habet: *Iacobus post Christi ascensionem, cùm fidem ipsius per Iudæam & Samariam prædicãdo non parum propagasset, & plurimos, atque in his Hermogenem hæreticum, & magum ad verum Dei cultum conuertisset, Hispaniam adijt; ibiq; Euangelium, vt auctor est Isidorus, prædicauit*. Quæ Breuiaria loco iunximus, vt intelligatur, non modo consentire de aduentu Iacobi in Hispaniam omnia, sed etiam librum de vita & obitu Patrum esse legitimum Isidori, quando ab omnibus citatur eius nomine. Adiungamus alia Breuiaria in sententia de Iacobi aduentu consentientia, nulla Isidori mentione. Pompelonense: *post ascensionem Domini dum per Iudæam & Samariam prædicaret, in Hispaniam tandem fuit, vt ibi verbum Dei seminaret*. Cæsaraugustanum. *In Hispaniam Christum annunciaturus profectus est*. Valentinum. *Cùm beatus Iacobus per Iudæam & Samariam Christum prædicasset, in Hispaniam venit: cùm autem Cæsaraugustæ*, &c. Pacense. *Cùm data esset ei potestas Christum prædicandi in Hispania, interim omnem Iudæam & Samariam visitârat*: & quæ sequuntur in eandem cum cæteris sentẽtiam. Dertusanum. *Post ascensionem Domini dum per Iudæam & Samariam prædicasset, in Hispaniam tandem iuit*: Burgense. *Duodecim tribubus quæ erant in dispersione omnibus Euangelium prædicauit, in Hispaniam tum etiam adijt*. Hispalense. *Tandem in Hispaniam venit, vt ibi Iesum euangelizaret*. Bracarense. *Vsque ad Calaciam Hispaniæ prouinciam prædicationem suam extendit*. Asturicense. *Deinde Hispaniam profectus, cùm post diutinam prædicationem nouem tantum discipulos Christo lucrifecisset*. Segobiense. *Deinde venit in Hispaniam, & extendit prædicationem suam vsque ad Gallæciam*. Accedit postremo inter Ecclesiarum Breuiaria Compostellanum, quoniam propriè de eius possessione & prærogatiua disceptatur. Eius hæc sunt verba: *Iacobus ergo post Spiritus sancti missionem, cùm per Iudæam & Samariam prædicasset, Christum annunciaturus profectus est*. Verùtamen cùm gentis Hispaniæ ingenium cõtumax in Christo suscipiendo videret (nouem enim tantum discipulos in tanta regione Christo acquisierat) illos secum adducens, in Iudæam redijt. Quid sancti Iacobi militum Breuiarium magna & ipsi certaminis pars? *Hispanis*, ait, *& populis occidentalium locorum Euangelium prædicauit*. Ad extremum gemina Breuiaria ordinis Carmelitani claudant vniuersum agmen, impressum quidem Venetijs anno 1568. sic habet: *Iacobus post ascensionem Domini, dum per Iudæam & Samariam prædicaret, in Hispaniam tãdem missus fuit*. Impressum aũt in eadem vrbe anno 1586. *post Iesu Christi*, inquit, *ascensum in cælos, in Iudæa & Samaria prædicans eius diuinitatem, plurimos, in quibus Hermogenem hæreticum ad Christianam fidem conuertit, mox peragrata Hispania, ibiq; prædicato Euangelio redijt Hierosolymam*. Vides quanto consensu non Hispani modo, sed etiam Italici generis homines conspirent in vnam sententiam: quod de Gallis & Germanis idem putarim, si eorum libros consulere licuisset & precandi rationem. Quis ergo persuasionem tot præsidijs munitam euertere audeat? sæpè vnius Ecclesiæ legenda idonea iudicatur, vt nomen aliquod addatur Kalendario, fastisque, id enim gesta vocãt, quæ in multis festis sola possunt afferre. Quæ ergo tanta libido contradicendi, vt præter alia præsidia, tot Ecclesiarum legendas seu traditionem flocci faciant? sed credam id nouatores ignorasse, admonitos mutaturos libenter. Verùm obijcias fortasse hæc Breuiaria ob eas sordes fuisse antiquata. De causis ea abrogandi disputare non attinet, aliæ accessêre. Sed qui poterãt Romani in hac parte ac-

te accusare Breuiaria vitij, quod ipsi secuti erant, & sequebantur in eo quod Ecclesijs substituebant Breuiario. Neque tamen Breuiaria quę protulimus, omnia sunt abrogata, non sanè Mozarabum, neque Dominicanum, neque Carmelitana.

A

CAP. IX.

Recentiores externi.

B

Magnam syluam scriptorum ingredimur, ac nescio an in Apostolorum cuiusquam peregrinationes actaque scriptorum plura testimonia consentiant. Primum ergo producam externos, quos gratiæ dedisse quæ dicunt, suspicari nemo poterit, non omnes, longum enim id esset, sed præcipuos & nobiliores. Otho Frisingensis occupabit primum in hoc genere locum: quem Trith. anno 1260. vixisse putat. Ego multo antiquiorem credam, ac vixisse ante quingentos fermè annos, qui dixerim in nostra historia lib. XI. cap. III. ex Radeuico in additione ad eius Chronica, Ricam ex Berta Othonis sorore natam nupsisse Alfonso Hispaniæ Imperatori anno 1150. & Radeuicus ipse lib. IV. cap. XI. obijsse Othonem, ait anno Christi 1159. Onuphrius in Chronicis ad annum 1152. eius nomen adscribit. Ergo Otho lib. III. rerum ab origine mundi, cap. XV. breuissimè. *Nam alter Iacobus*, ait, *ab Herode decollatus erat: qui tamen prius (vt dicitur) Hispanis prædicauerat.* Sequitur Ioannes Beleth proximus tẽpore, vixit enim anno 1200. auctoritatẽ & fide non minor. Hic lib. de diuinis officijs cap. CXL. *Huius* (Iacobi) *corpus quiescit in Compostella. Missus enim fuit, vt Hispanis verbum Dei concionaretur, sed propter malitiam & duritiem principum extra vnum (lege nouem) ad fidem Christi neminem conuertere potuit: Quod cùm videret vir sanctus, Hierosolymam redijt.* Adijcitque occisum ab Herode, & corpus à discipulis naui sine rectore in Hispaniam vectum. Sic Beleth. Vincentius Belouacensis tertius accedat. Hic vixit anno salutis 1240. teste Trith. & in speculo hist. libr. VIII. cap. VI. Calixti Pontificis verbis Iacobum plures discipulos habuisse ait, sed duodecim speciales, tres Hierosolymis accessisse, nouem verò in Gallæcia, cùm adhuc viueret Apostolus elegisse. Quorum septem alijs duobus in Gallæcia prædicandi causa remanentibus, cum eo Hierosolymam perrexerunt. Mox cap. VII. ex eodem Calixti libro tantundem de eius prædicatione, in Hispania discipulis, morte, & corpore in Hispaniam relato repetit, vt ea referre nõ sit necesse. Monitum tamen lectorem velim, ne ijs Vincentij codicibus fidat, qui ante paucos annos Venetijs prodierunt mendis fœdissimi, sed potius vetustiorum fidem & rationem, ex qua facilè operarum lapsus deprehendantur & castigentur. Gullielmus Duranti Episcopus Minacensis, Rationale diuinorum officiorum composuit opus vastum, sed eruditum & pium, annum circiter salutis 1280. In eius operis lib. VII. cap. XVII. sic ait: *Iacobus Maior filius Zebedæi frater Ioannis Euangelistæ, missus est ad prædicandum Hispanis: sed cùm non posset nisi vnum principem ibi conuertere, redijt Hierosolymam.* Nicolaus Liranus vixit salutis anno 1320. hic in Abdiæ verba illa: *& transmigratio Hierusalem, quæ in Bosphoro est*, sic ait: *In Hebræo habetur Sepharad, id est, Hispania, vt dicit Rabbi Selomo: quod fuit impletum per Iacobum Apostolum & eius discipulos, ibi fidem Christi penitus prædicantes, & bella gentium subiugantes.* Lirano æqualis Martinus Polonus in Chronicis anno Christi 43. paucis verbis cum prioribus de aduentu Iacobi in Hispaniam consentit. Antoninus item Florentinus proximi seculi scriptor nobilis historiæ 1. parte titulo VI. cap. VII. *Hic igitur Iacobus post ad-*

C

D

E

uentum Spiritus sancti ad Hispaniam accessit ad prædicãdum. Subsecuti sunt A haud magno interuallo Philippus Bergomas & Nauclerus Germanus, & Philippus quidem in suo supplemento Chronicorum lib. VIII. anno 43. *Iacobus maior hoc anno postquã prædicando vniuersam peragrasset Hispaniam, in qua nouem tantum conquisierat discipulos, in Iudæam reuersus, ab Herode Agrippa Regis fratre, qui in Hierusalem fratris vices gerebat, obtrũcatione capitis martyrij palmam adeptus est. Eius autem sacratissima ossa postmodum discipuli ipsius ab Hierusalem ad Hispanias transtulerunt.* Nauclerus in Chronicorum volumine secundo generatione secunda sic ait: *In illo autem tempore beatus Iacobus Apostolus, germanus Ioannis Euangelista venit in Hispaniam, & cùm videret gentem istam agrestem, nec se posse proficere, regressus est Hierosolymam.* Virorum eruditorũ par alterum extitit parentum, ætate Marineus Siculus & Vasæus Belga, qui quamuis externi diu in Hispania vixêre, & de rebus Hispaniæ scripserunt. Marineus quidem libr. V. de rebus Hispaniæ in Torquato sic ait: *Prout scribit Calixtus Romanus Pontifex in libro quem de vita sancti Iacobi & miraculis edidit in Hispania: Diuus Iacobus è Gallecia prouincia nouem discipulos elegit, quorum septem, duob. alijs in Gallacia prædicandi causa remanentibus, cum eo Hierosolymam perrexerunt.* Quid Vasæus? cum cæteris consentit anno Christi 40. in Hispania Iacobum Apostolum eos septem discipulos peperisse, qui occisi corpus in Calæciam detulêre. Accedant tãdem Martyrologia, quæ omnia Maij mensis die quinto decimo de septem Iacobi discipulis ipsorum nominibus expressis meminerunt, sed Iacobi discipulos fuisse non aiunt, tantum ab Apostolo Petro factos Episcopos in varias Hispanię vrbes Euangelij causa dimissos. Vnus Beda quæ miracula contigisse in Calæciæ ora scribunt, cùm corpus ij detulissent, & insidiis Lupę seu Luparię principis fœminæ ea ipsa ad Accim contigisse affirmat, nulla de corpore Iacobi mentione. Maurolicus tamen abbas Messanensis nostræ ætatis quidem scriptor, sed grauis in suo Martyrologio, postquam eorum discipulorũ Iacobi, nomina & Episcopatus expressit, in hunc modum subiunxit. *Quos Iacobus Apostolus Zebedai filius ex Hispania Hierosolymam secum duxerat, & qui magistri ab Herode perempti corpus in Gallaciam retulere, inde Romam profecti, à beato Petro* B *ad prædictas vrbes destinati, vt Calixtus Papa scribit.* Poteram proferre in eandem sententiam multos alios, quorum est innumera multitudo Primus Cabilonensis in Topographia sanctorum in Iacobo Maiore, Robertus Carazolus in delitio ordinis minorum, serm. XXXVI. Baptista C Mantuanus in Fastis lib. VII. Hartmanus Schedel in Chronico ætatis mundi in vita Iacobi Apostoli, Petrus de Natal. sanctorum lib. VI. cap. CXXXIII. Guillelmus Pipinus de imitatione sanctorũ in sermone S. Iacobi, Ioannes Lekius in sermone de sancto Iacobo, & in homilia de duodecim Apostolis. Christianus Masfæus in Chronico suo anno Christi D 44. Guillelmus Eisingrinus contra Cẽturias Magdemb. cẽtenarij primi, p. IV. d. IV. Feuerdentius annota. in Irinæ. cap. III. lib. I. aduersus hæreses annot. IX. Arnoldus Mermannus in Theatro conuersionis gentium. Petrus Galesinus in annotationibus ad martyr. 12. Kal. Febru. Iacobus Pamelius in Tertul. librum aduersus Iudęos annot. XCI. Genebrardus Chronologiæ lib. II. & III. Petrus Canisius E de virgine Deipara libr. V. cap. XXI. Iacobus de Voragine Dominicanus, ciuis Genuensis in legenda sanctorũ. Ioannes Tarcagnota in historia mũdi lingua Italica, p. II. lib. I. Ioannes Rioche in compendio temporum, & historiarũ Ecclesiasticarum, cap. IX. Num hoc sit ex vno Metaphraste nomina sanctorum in libros Ecclesiasticos transferre exiguæ eruditio-

nis

nis viro, diligentiæ, auctoritatis, sic nobis quidem videbatur. Sed pax sit rebus, modusque scriptores numerandi, ne in infinitum excurrat disputatio. Vnus Baronius Cardinalis instar multorum sit, qui annotat.ad Martyrologium Romanũ die Iulij XXV. qua modestia solet indicata, quamuis difficultate pro Iacobi Apostoli aduentu in Hispaniam pronunciat, ac potuisse contingere, cùm post necem Stephani protomartyris secuta est statim dispersio omnium discipulorum, & licet dicat sanctus Lucas in Actis, omnes dispersos esse præter Apostolos, intelligendum est maiori ex parte. Quæ sunt ipsamet Baronij verba. Tum in Annalibus doctissimis anno Christi 44. cap. I. sic concludit. *Cùm autem Hispaniarum Ecclesiæ omnes ex æquo profiteantur, eundem Apostolum antea in Hispanias esse profectum, illicq; primum prædicasse Euangelium, & aliquos collegisse discipulos, nihil amplius quod de ea re dicamus, habemus, quã quæ sunt à nobis in Martyrologio Romano notata.* Quib. in verbis id solũ nõ placet quod ait, *omnes Hispaniarum Ecclesias* id profiteri: dicere enim potuisset *vniuersum orbem* in eam sententiam conspirare, vti allata à nobis testimonia initio sunt. Mutatæ in nono Annali sententiæ idoneam causam non inueniebam, ac ne argumentũ aliquod satis efficax, vt ex ijs quæ dicemus manifestè constabit.

CAP. X.

Hispani recentiores.

SAtis multa ni fallor, suppetunt externorum hominũ in hac causa testimonia, ad nostrates sese conuertat oratio: quorum fides vacillare non debet, quod sint indigenæ, sed potius existimare æquum est res suas melius habuisse, quàm alios, exA ploratas. Rectè quidam. De gentis origine magis creditur ipsi genti, quàm externis & remotis. De quibus non negabo magnam antiquis temporibus extitisse barbariem, neque minus perturbatam historiam, quàm rempublicam. Sic vt nullus veterum historicorum Hispaniæ de aduentu Iacobi meminerit, translatione, inuentioneque corporis, creB do quoniam res celeberrimas, quæ in vniuersi populi ore erant, non putarunt indigere monimentis litterarum, vt memoria earum propagaretur. Itaque ex tanto numero vnum inuenio Sampyrum, antè sexcentos fermè annos Chronographum, qui Alfonsum magnum ait templum ex secto lapide super Apostoli Iacobi corpore posuisse. Sed qua ratioC ne & quibus de causis eo fuerit delatum, non explicat. Lucas item Tudensis ante quadringentos paulò minus annos Chronico Isidori multa de suo inseruit, plura adiecit ad suam ætatem, cuius operis prima pars Isidori nomine citatur à multis per errorem, cùm pleraque absona Lucas miscuerit, indigna grauitate Isidori. In eo opere neque de aduenD tu Iacobi meminit, neque inuentionem explicat sacri corporis. Ea tamen dicit, ex quibus intelligatur vtrumque eius ætate fuisse testatum. In Alfonso Rege Casto ait, Carolum Magnum venisse in Hispaniam vt inuiseret templum beati Iacobi, Compostellamque euersa Iria Flauia fecisse Metropolitanam. Non disputo de veritate huius narrationis, E sed certè qui poterat existimare venisse tantum principem Compostellam, eamque prærogatiuam ei templo concessisse, nisi ibi sacrum corpus esset? Tum in Ramiro Rege, nocte, quæ præcessit pugnam nobilissimam ad Clauigium, qua victi sunt Mauri, Hispania metu & dedecore liberata, confirmat Iacobum augusta forma, se videndum in somnijs Regi præbuisse, affirmasseque

in distributione prouinciarum facta à Christo inter Apostolos, sibi attributam Hispaniam, vt in eius patrocinio esset. Ex quibus verbis sensisse illum facilè arguas venisse Iacobum in Hispaniam, non secus atque alij Apostoli iuêre in attributas illis prouincias. Verum quid coniecturis est opus? In additionibus ad vitam D. Isidori Braulione auctore consarcinatam venisse Isidorum in Hispaniam, expressis verbis testatum reliquit. Eas Lucæ additiones quidam per errorem quasi ipsius Braulij verba citant. Sed fides veterum codicum omnium reclamat, vbi post librum Isidori de viris illustribus ponitur Isidori vita, auctore Braulio: in ipsa etiam operum D. Isidori editione nuper Madriti facta, tum eo loco, tum initio libri Etymologiarum, sincera extat ea Isidori vita alienis non fœdata centonibus. Ad Rodericum Toletanum Archiepiscopum, Lucæ æqualem transeamus, cuius silentij causam in historia superius ex coniectura explicuimus. Sed in disputatione tamen, quam Romæ coram Innocentio tertio habuit de primatu Toletanæ Ecclesiæ, Lateranensem Patrum conuentum celeberrimum agitanti, Compostellanus opposuit suæ Ecclesiæ dignitatem, quæ à Iacobo Apostolo fundata sacri eiusdem corporis possessione emineret alijs. Quam oppositionem vt eluderet Toletanus litigantium more fatetur quidem Iacobo datum, vt in Hispania prædicaret, venisse tamen negat, & ad vulgi rumores ablegat moniales sanctas, & viduas religiosas, quæ de prædicatione eius, & discipulorum paucitate prædicabantur. De corpore negare non audet Compostellæ esse, ac potius assentitur, licet quidam affirment corpus eius Hierosolymis requieuisse, postea raptum, à discipulis delatum esse, & sepultum apud Compostellam: quæ sunt ipsa Roderici verba: sed sanè quorsum Iacobo data cura est prædicandi in Hispania, si facultatem habiturus non erat? an Apostolos in ea re humanas rationes secutos putabimus, & non potius in re grauissima diuino instatu actos, ne errarẽt? ita ex cõfessione eius, quod facit dubium, refellitur: & ex concesso confirmatur, in quo nutare visus est. Præsertim cùm plerique non ab Apostolis, sed ab ipso Christo eam prouinciam Iacobo destinatam testentur, certè Ramiri Regis diploma, quod extrema disputatione ponitur, & Floriacensis bibliotheca. Verum pro Roderico Toletano substituamus Rodericum Sanctium Palentinum Episcopum, qui in historia Hispaniæ I. p. c. IV. de aduentu Iacobi Apostoli in Hispaniam & eius prædicatione multa dicit. Tum Ioãnes de Turrecremata Cardinalis id testatur ad cap. Matth. 20. & in quæstionibus Euang. in festo S. Iacobi, quod personaliter, primo per se, deinde per discipulos, quos ibi reliquit, illuminauit terram Hispaniæ. Item Alfonsus Madrigal Tostatus primi prologi in Matthæum, qu. V. & tomo III. in Matthæum cap. X. q. XXXIII. & tomo IV. in Matth. capit. XVII. q. XIII. S. Vincentius Valentinus Tomo tertio, sermone de sancto Iacobo cum cæteris consentit. Atque hi quidem quatuor auctores antè centum septuaginta plus minus annos vixerunt in Hispania eruditionis laude celebres. Qui nostro hoc seculo ab anno 1500. & deinceps scriptorum fœcundo idem senserunt, numerari non possunt. Nomina recensêre satis erit, nulla locorum designatione. Martinus Garcia Episcopus Barcinonensis in suis sermonibus, Petrus Antonius Neuter in Chronicis Hispaniç, Franciscus Ossuna in sanctuario Biblico, Thomas Villanoua Archiepiscopus Valentinus in suis sermonibus, Ambrosius, Morales, Garibaius, Illescas in historia sua Pontificali, Hieronymus Romanus in opere quod Respublicas inscripsit, Franciscus

Tara-

Tarapha, Ferdinandus Castillius, in sui ordinis Dominicani historia: Hieronymus Blanca, in commentarijs rerum Aragonensium, Ioannes Marieta Dominicanus de sanctis Hispaniæ. Et his antiquior, Franciscus Ximenius Franciscanus, in vita Christi Hispanicè conscripta libr. X. cap. de mirabilibus, quæ fecerunt Apostoli: qui liber in Cistercienſi bibliotheca suburbani eius ordinis monasterij Toleti extat. In diuisione inter ipsos prouinciarum diuino inflatu facta Iacobo attribuit Hispaniam. Postremò Petrus Cenedus, & Bartholomæus Laurentius Canonici Cæsaraugustani, hic in propria disputatione de hoc argumento, ille in opere quod collectanea ad ius Canonicum inscripsit, multa testimonia congesserunt, idipsum affirmantium. Sed age caput hoc concludat Garsias Loaysa ciuis noster è Philippi tertij Regis nostri magistro, nuper Archiepiscopus Toletanus, magnus virtutum & eruditionis cultor & fautor, quem importuna & sæua mors vix delibato primo honoris delati fructu sustulit, Februarij die 22. anno 1599. Is in disputatione erudita de primatu Ecclesiæ Toletanæ, quam concilijs Toletanis, à se castigatis inseruit ad marginem sic ait: *Beatus Iacobus Apostolus filius Zebedæi in Hispaniam venit, & ibi prædicauit Christi Euangelium, & in tota prouincia nouem tantùm ad fidem asserũt conuertisse. Verùm beatus Calixtus Papa in epistola translationis ipsius dicit illum plures fecisse discipulos, sed duodecim habuisse speciales, quorum nouem, dum adhuc viueret in Gallæcia, elegisse.*

CAP. XI.

Pontificum Romanorum testimonia.

TRium aut quatuor Romanorum Pontificum suppetunt de hoc argumento rescripta. Primùm Leonis tertij epistola de translatione sancti Iacobi, quæ celeberrima olim fuit, passimque illius veteres meminerunt: in qua Iacobi Apostoli mors, translatio & miracula continebantur, ijs quæ dicta sunt cuncta prorsus consentanea. De ea epistola meminit Calixtus secundus, libris de hoc ipso argumento editis, ac verò eam ponit libr. II. cap. III. Vincentius Bellou. libr. VII. specul. histor. cap. VI. Lucas Tudensis in Alfonso Rege Casto extructum Compostellanum templum ab eo Rege ait, venia Leonis tertij, tu intellige consecratum; quod cum in conuentu Episcoporum fieri vellet solenne, ex voluntate & mãdato Romani Pontificis cogebantur patres: vti factum est à Constantio Augusto cum Antiochenum templum ab eius patre Constantino Magno extructum dedicare vellet, vti refert Socrates libr. II. cap. V. adijciẽs; *Cum Canon Ecclesiasticus habeat, non oportere præter sententiam Romani Pontif. Ecclesias canonizare*, Sic verba Græca habent. Longo item interuallo quo tempore Compostellanum templum ex secto lapide ab Alfonso Rege magno denuò extructum est, Sampyro teste, atque ex eo Roderico Toletano gemina diplomata à Romano Pontifice Ioanne octauo venerunt: atque in altero facultas id templum consecrandi, quæ nos diplomata ex vtroque sumpta lib. VII. nostrorum annalium cap. XVIII. posuimus. Sed & epistolæ Leonis meminère Vasæus, Maurolicus, Baronius, Garsias Loaysa locis superius notatis. Extat prætereà Calixti secundi opus de miraculis & vita sancti Iacobi tribus libris distinctum, tum varij sermones de eodem argumento, & de translatione D. Iacobi. In ijs libris duodecim sibi Iacobum adiunxisse præcipuos discipulos confirmat, tres in Iudæa, nouem in Hispania. Ex his nouem duobus in ea prouincia relictis, qui Euangelium annunciarent, septem alios secum in Iu-

in Iudæã detulisse, qui magistri corpus ab Herode occisi, naui retulerunt in Hispaniam. Eorum nomina vt hoc loco referantur, operæ non est. Sed certè post magnas difficultates editaque miracula sepulto sacro corpore redierunt Romam, & à Petro Apostolo Episcopi facti in varias Hispaniæ vrbes sunt remissi, sic Calixtus. Qui initio in Calecia permanserunt Athanasius & Theodorus, eos à magistri sepulcro nũquam discessisse, ac verò dextra leuaque fuisse sepultos ea Leonis epistola testatur, & ex illa Maurolicus affert in Martyrologio die Maij quinto decimo. Fuêre hi Calixti libri olim celeberrimi, quando eos Innocentius secundus suo diplomate probandos duxit, vti Baronius affert, ad Martyrologium Roman. die XXV. Iulij, de quibus tamẽ paulò pòst propriè disputare constitui. Possem ad superiora adijcere Calixti tertij diploma, quod Cæsaraugustæ in Tabularijs seruatur S. Mariæ de Pilari, quod cõsona cum cæteris voce venisse Apostolum in Hispaniám ait, virginisque monitu id templum in ea vrbe eius nomine posuisse. Verba diplomatis non exiguumque fragmentum Bartholomæus Laurentius affert disputatione propria de quo agimus. Ad nos etiam ij Canonici exemplum eius diplomatis, ex autographo testato descriptum misere superiori tempore, quo nostros annales de rebus Hispaniæ publicauimus in linguam vernaculam, ex Latina conuersos. Accedit Sixti quinti diploma anno 1589. datum, quo probat officium eius festi per totam Hispaniam, cum sua octaua celebrari. In eo tum Iacobum in Hispaniam venisse, tum sacrum corpus in Compostella esse testatur. Quæ causa priora responsa & vetera, & recentia noua censura mutandi? Verùm negas propter exiguum tempus, quo Christo superuixit Apostolus, potuisse tam longinquam obire peregrinationem. Ego quidem superius dedi octo tantùm annis superuixisse, A idem tamen contendo à morte Stephani, quæ Christi in cælum ascensionem proximè est subsecuta, quando alij discipuli sunt dissipati, remansit autem pars maxima Apostolorum Hierosolymis, potuisse Hispaniam obire, ibique si non quinque (vt quidam aiunt) certè aliquot annos subsistere. At vestigia itineris requiris. Sanè in Hispania multa monstrantur. B Cæsaraugustæ templum ab eo extructum, de qua re modo non disputamus, ad Iriam Flauiam & Compostellam plura, vbi orauit, vbi docuit, diuina hostia sacrificauit, vbiq; delituit, cum ad necem quæreretur, loca omnia oratorijs erectis, aut lapideis crucibus insignia. Hæc inuertere quis ausit? In Italia Verulana Ecclesia, C in Hernicis Aprutij, parte Mariæ Salome matris Iacobi possessione gloriatur eo loco extinctæ, cum grandæua filium euntem redeuntemue comitaretur scilicet. Quæ omnia in ludibrium vertant, quicumq; pergunt negare Iacobum ex Iudęa vnquam discessisse, quod hi faciunt. Ac verò Iacobi corpus Compostellæ esse tumulatum, vix ac ne D vix quidem consistat ea persuasione mota versatum ijs locis Apostolum. Hęc enim ita sunt connexa, vt diuelli non possint, neutrumque profectò stabit alterutra parte mota: locique celebritas ac religio toto orbe celeberrimi, ne nouis opinionibus & litibus labefactetur penitus & cõcidat periculum est, vti ex alio principio monstrabitur, Si priùs quæ reliqua sunt executus fuero. E Et alioqui quę causa esse potuit extinctũ corpus in Caleciam vehendi terrarum extremam, si in tutela eius non erat Hispania, viuensque eam Euangelij luce non illustrauit?

CAP.

CAP. XII.

Calixti secundi liber.

CElebertimum fuisse librum Calixti secũdi de miraculis & trãslatione Iacobi Apostoli necesse est, quando passim ab antiquis scriptoribus & à posterioribus citatur integris etiam narrationibus ex eo in sua sæpè scripta translatis, nostra ætate à quibusdam quasi suppositius sugillatur nullo antiquitatis exemplo aut testimonio producto. Quod quoniam neque temere videntur facere. Neque sine argumento probabili, de eo pauca hoc loco subijcere visum est. Hunc librum sanè vestigijs omnibus inquisitum, ad nos tandem Cæsaraugusta misit Bartholomæus Morlanius præcipua eruditione & humanitate vir, donum auro & gemmis maius, propter insatiabilem eum videndi cupiditatem; quoniam ex eo vel maximè litem hanc dirimere cogitabam; neque fefellit opinio, vti sequentia declarant. Itaque statuo Calixtum librum de Iacobi miraculis scripsisse, quid enim in eam sententiam antiqui conspirassent, vt de nullo libro Hieronymi, Augustini, aliorum magis: cum tamen Calixti librum syncerum nusquam extare certum habeo, sed additionibus & centonibus alienis fœdum, frequenti eius sæculi more, quo veterum scripta additionibus locupletandi specie miseris potius modis sæpè fœdarunt: cuius licentiæ non vnum exemplum extat, sed ad singulas eius partes propriè accedamus. Ergo primus Calixti liber, qui *de miraculis B. Iacobi* inscribitur, eius auctoris procul dubio est, quod indicat Calixti nomen præfixum operi, & prologus, sed admixtis aliunde multis miraculis, vti tituli ipsi declarant, quibusdam capitibus Calixti nomine expresso, quibusdam Humberti, Anselmi, Alberici, Bedę, pleraque etiam nullius auctoris nomen præferunt, nempè quę posterior compilator de suo adiecit, vsq; eo, vt posterioris temporis quædam fuisse constet miracula ex annorum numero in ijs designato. Secundus liber titulo *de translatione B. Iacobi* ex inscriptione & prologo totus Calixti est: nihilque habet quod lectorem iure offendat; nisi fortassè mouet quod ca.IV. affirmat, festum trãslationis B.Iacobi mense Decembri celebrari solitum, Aldefonsum inclytum Imperatorem Hispanum bona memoria dignum ante ipsum in Gallæcia instituisse. Quod dictum non de Alfonso eius Põtificis ex fratre Raymũdo nato, qui inter Hispanos Reges nomen vulgo tulit Imperatoris Hispaniæ, sed de Alfonso sexto Castellæ Rege interpretamur, qui post captam Toletum se dixit Imperatorem Hispaniæ, quod eius exemplo Alfonsus Aragonius eius gener etiam vsurpauit, vti in nostris Annalibus refertur lib.IX.cap.XVI. & lib.X.cap.VIII. Venio ad tertium librum *De itinere ad B.Iacobum*, qui Calixti non est haud dubium, nam neque nomen eius in fronte pręfert, secus quam alij duo libri: & totus ex fabulis & mendacio est compactus, eius, qui sinę iudicio ex alijs fabulosis libris corrasit. Quæ vt sigillatim prodantur singula, operę non erat; ipsa se produnt. Quid quod capit.XIV. auctor Calixti meminit tanquam mortui; quippè *bona memoria dignum* dicit. Sed neque verum, ex vno alios duos, quasi nothos & fabulosos damnare. Quatuor homiliæ opus claudunt de beati Iacobi laudibus & translationibus eius varijs; singulæ Calixti nomine præfixo: in quibus quid esset reijciendum non inueniebam, ac potius auctoris grauitatem, & eruditionem & elegantiam præ se ferunt, nisi fortè mouet epistola eiusdem post primam homiliam non suo loco posita fortassis, quod

tanti non erat, vt totus liber ex eo refellatur. Verùm de ea sermo recurret, quoniam abijcere quædam fragmenta ex eo libro visum est: vnde vna opera & librum esse Calixti, & B. Iacobum, de quo lis erat, venisse in Hispaniam liquido comprobatur.

Leonis (nempè tertij) epistola de translatione B. Iacobi Apostoli.

Noscat fraternitas vestra, dilectissimi rectores totius Christianitatis, qualiter in Hispania integrum corpus beati Iacobi Apostoli translatum est. Post Ascensionem Domini nostri Iesu Christi & Saluatoris ad cælos, aduentumque Spiritus sancti super discipulos ab ipsa passione Christi in reuolutione anni vndecimi tempore azymorum beatissimus Iacobus Apostolus perlustratis Iudæorum synagogis Hierosolymis captus ab Abiatar Pontifice simul cum Iosia suo discipulo, iussu Herodis capite plexus. Sublatum est autem corpus illius sanctissimi Iacobi Apostoli à discipulis suis nocte præ timore Iudæorum, qui Angelo Domini comitante peruenerunt in Iopem ad litus maris. Ibi verò hæsitantes ad inuicem quid agere deberent, ecce nutu Dei parata affuit nauis. Qui gaudentes intrant in eam portantes alumnum Domini nostri Redemptoris, erectisque velis simul cum prosperis ventis cum magna tranquillitate nauigantes super vndas maris collaudantes clementiam nostri Saluatoris Iriæ peruenerunt ad portum: vbi præ gaudio cecinerunt hunc Dauidicum versum: In mari viæ tuæ, & semitæ tuæ in aquis multis. *Egressi de naui deducentes deposuerunt beatissimum corpus in quoddam prædiolum vocitatum nomine Liberum donum, distat à præfata vrbe octo millibus, vbi nunc veneratur. Quo in loco inuenerunt vastissimu idolum à paganis constructum, ibi vero* A *circumspicientes inuenerunt cryptam, in qua erant ferrea instrumenta, cum quibus artifices lapidum erant assueti agere domorum ædificia. Gaudentes igitur ipsi clientuli præfatum idolum diruerunt atque minutatim in puluerem redigerunt. Deinde cauantes in altum posuerunt firmissimum fundamentum, ibique desuper fecerunt paruam arcuatam domum, vbi construxère lapideo o-* B *pere sepulchrum, vbi artificiali ingenio conditur corpus Apostolicum. Superædificatur Ecclesia quātitate nimia, quæ altari ornata diuino fœlicem deuoto pādit aditum populo. Post humationem sanctissimi corporis laudes celebrauerūt supremo regi psallentes hos Dauidicos versus:* Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo, & laudabūt omnes C recti corde. *Et iterum:* In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit. *Post aliquantum vero temporis ab eiusdem Apostoli alumnis in fidei agnitione plebibus edoctis, breui adoleuit fœcunda ac Deo multiplicata messis. Inito autem salubri consilio duo clientuli remanserunt ibi ad custodiendum pretiosum talentum, beati scilicet Iacobi corpus venerandum, quorum vnus dictus est Theodorus, alter verò A-* D *thanasius. Alij verò discipuli Deo comite ad prædicandum Hispanias ingressi sunt, vt præmisimus, illi duo discipuli persequi pro reuerentia illius magistri, dum summo cum affectu præfatum sepulchrum peruigiles indesinenter peruigilarent, iusserunt se post obitum suum à Christianis iuxta magistrum suum, vnus ad dexteram illius, alius ad si-* E *nistram sepeliri. Sicque definito termino vitæ naturæ debitum persoluentes, fœlici excessu spiritum exhalarunt cæloq; animas gaudendo intulerūt. Quos præceptor nō deserens, egregius cælo terraq; secum collocari obtinuit diuinitus, stolaque purpurea in æterna curia, cum eisdem discipulis gaudet ornatus corona, miseris se deposcentibus inuicto suffragio patrocinaturus, Auxiliante Domino & Saluatore nostro Iesu Christo, cuius regnum & Imperium cum Patre*

& Spiritu sancto perenniter manet in sæcula sæculorum, Amen.

De hac Leonis epistola frequens mentio extat in scriptoribus Ecclesiasticis; ac sigillatim initio historiæ Compostellanæ, ex ea epistola affertur, corpus B. Iacobi, postquàm cæsus est, extra ciuitatem proiectum canibus, discipulos collectũ, vti ille monuerat, & cum capite compositum in Hispaniam detulisse. Ex quibus verbis & auctores eius historiæ suspicabar Calixti librum vidisse, quando nusquam nisi in eo extat ne vestigium quidem eius epistolæ: deindè in nostro hoc epistolæ exemplo deesse aliquid cogitabam: quando quod in historia Compostellana ex ea refertur in nostra desideratur: atque post illa verba, *capite plexus est*, addendum quod Compostellana ait de corpore abiecto canibus, & de capitis cum corpore collectione.

Epistola Innocentij Papæ (certè) secundi.

INnocentius Episcopus seruus seruorum Dei, vniuersis Ecclesiæ filijs salutem & Apostolicam benedictionem in Christo. Hunc codicem à Domino Papa Calixto primitus editum, quem Pictauiensis Americus Picardus de Partiriaco veteri, quem etiam Oliuerius Deiscani Villa sancta Mariæ Magdalenæ de Vitiliaco, & Girberga Flandrensis socia eius, pro animarum suarum redemptione sancto Iacobo Gallacianensi dederunt, verbis veracissimum, oratione pulcherrimum, ab hæretica & apocrypha prauitate alienum, & inter Ecclesiasticos codices authenticum & carum fore auctoritas nostra vobis testificatur, excommunicans & anathematizans authoritate Dei Patris omnipotentis, & Filij, & Spiritus sancti illos, qui eius latores in itinere sancti Iacobi fortè inquietauerint, vel qui ab eiusdem Apostoli basilica, postquam ibi oblatus fuerit, iniustè illum abstulerint, vel fraudauerint. Ego Aimericus Cancellarius hunc librum authenticum & veracem fore ad honorem sancti Iacobi manu mea scribendo affirmo. Ego Giraldus de sancta cruce Cardinalis hunc codicem pretiosum ad decus S. Iacobi penna scribendo corroboro. Ego Guido Pisanus Cardinalis quod dominus Papa Innocentius testificatur affirmo. Ego Vio Cardinalis quod domini Papa Innocentij auctoritas affirmat laudare non recuso. Ego Gregorius Cardinalis nepos domini Papæ Innocentij, hunc codicem optimum ad honorem beati Iacobi laudo. Ego Guido Lombardus Cardinalis librum istum bonum & pulcherrimum ad decus S. Iacobi glorifico. Ego Gregorius Genua Cardinalis hunc codicem optimum similiter ad decus S. Iacobi laudo. Ego Albertus legatus præsul Ostiẽsis ad decus sancti Iacobi, cuius seruus sum, hunc codicem legalem, & carissimum, & per omnia laudabilem forè prædico.

Hanc epistolam confictam non esse subscriptiones adiectę euincunt, atque in eis nomina Cardinalium cum ijs conuenientia prorsus, quæ ex tabularijs Romanis deprompta posuit Onuphrius tanto post interuallo in suo de Cardinalibus libro. *Aimerici Cancellarij, Gerardi, Guidonis, Gregorij* aliorum tantum pro *Vio* lege *Iuo* pro *Albertus Albericus*, qui fuit Ostiensis Cardinalis, quo etiam nomine vocatur libr. 1. Calixti cap. 27. Miram veritatis vim, quæ sibi tota consentit. Et alioqui vnde ea nomina fingendi facultas, nullo tunc de eo argumento & Cardinalium numero, & creationibus libro. Itaq; ea epistola, qua liber primus clauditur de miraculis B. Iacobi pro legitima & vera habeatur, atque ex ea liber ipse quem Calixti esse confirmat.

Porrò Innocentius Calixtum subsecutus est vno interiecto Honorio secundo.

Prologus Calixti in secundum librum nempè de translatione B. Iacobi Apostoli.

A

Hanc Beati Iacobi translationem à nostro codice excludere nolui cum tanta prodigia & trophæa ad decus Domini nostri Iesu Christi, & Apostoli in ea scribantur, quæ etiam minimè ab epistola discordant, quæ B. Leonis nomine intitulatur. Sed sciendum quod beatus Iacobus plures discipulos sed duodecim habuit speciales. Tres in Hierosolymitanis oris elegisse legitur, quorum Hermogenes præsul effectus & Philetus Archidiaconus post eius passionem apud Antiochiam multis miraculis decorati, sacra vita in Domino quieuerunt, & beatus Iosias Herodis Dapifer vna cum Apostolo martyrio extitit laureatus. Nouem verò in Galætia, dum adhuc viueret Apostolus, elegisse dicitur, quorum septem alijs duobus in Galæcia prædicandi causa remanentibus, cum eo Hierosolymis perrexerunt, eiusque corpus post passionem per mare ad Galætiam deportauerunt. De quibus beatus Hieronymus in suo Martyrologio sic dixit, ac beato Cromatio scripsit. Quod sepulto in Galæcia beati Iacobi corpore, ab Apostolis Petro & Paulo insulis Episcopalibus apud Romam ordinantur, & ad prædicandum Dei verbum ad Hispanias adhuc gentili errore implicitas diriguntur. Tandem verò prædicatione sua innumeris gentibus illustratis, Torquatus Acci, Ctesiphon Vergi, Secundus Abule, Endalecius Vrci, Cecilius Eliberi, Esicius Caicesce, Eufrasius Eliturgi, 5. Idibus Maij quieuerunt. Alij verò duo discipuli, Athanasius scilicet, & Theodorus, vt in ipsa beati Leonis epistola scribitur, iuxta Apostolicum corpus vnus ad dexteram & alius ad læuam sepeliuntur.

B C D

Ex hoc prologo duo miracula quasi male cohærentia, & posteriori, vt videtur, tempore ad Calixti verba adiecta, quasi malè assutos centones loco mouimus.

Epistola eiusdem Calixti.

Calixtus Episcopus seruus seruorum Dei sanctissimo cõuentui Cluniacensis Basilicæ, sedis Apostolicæ suæ electionis, heroibusque famosissimis Gulielmo Patriarchæ Hierosolymitano & Didaco Compostellanensi Archiepiscopo, cunctisq; orthodoxis salutem & Apostolicam benedictionẽ in Christo. Quoniam in cunctis cosmi climatibus excellentiores vobis heroës dignitate & honore reperire nequirem, hunc beati Iacobi codicem P. V. misi, quatenus si quid corrigendum in eo inuenire poteritis, auctoritate nostra, amore Apostoli diligenter emendetur. Veruntamen innumeras pro hoc codice passus sum anxietates. Dum verò essem scholaris ab infãtia Apostolum diligens, quatuor decim annorum spatio perambulans terras & prouincias barbaras, quæ de eo scripta inueniebam, paucis & vilibus & hirsutis schedulis diligenter scribebam, vt in vno volumine ea comprehendere potuissem, quatenus sancti Iacobi amatores aptius simul inuenirem, quæ necessaria sunt festis diebus ad legendum. O mira fortuna! inter prædones cecidi, & raptis omnibus spolijs meis, codex tantùm mihi remansit. In pelagis aquarum multarum crebro cecidi proximus morti, & euasit codex minimè infectus. Ergastulis trusus fui, & perdito toto censu meo, codex remansit. Me exeunte domus qua eram crematur, & consumptis rebus meis, euasit codex mecũ infustus. Quapropter cœpi cogitare, si iam codex iste quem manibus meis perficere studebam, Deo foret acceptabilis. Cumque hoc summo studio præmeditarer, nocte raptus per extasim in quandam aulam regiam fulgentem, vidi iuuenem quendam inæstimabili pulchritudine decoratum, splẽdida luce circumdatum,

E

regia

regia veste mirabiliter indutum, regali laurea laureatum, orientalem valuam eiusdem aula cum quibusdam socijs ingredietem, quorum vnus sic ait. Ecce filius Regis, et statim ille cathedra optima sedens mihi sedēti pedibus eius ait: Prabe mihi quas in manib. habes chirothecas, cui libēter obtuli. Qui cum eas manibus acciperet, thalamumque ingrederetur, quidā ex socijs eius, quasi dapifer esset ipsius, mihi de illo ait; Quia ipse est filius Regis summi, & addit dicens: sicut chirothecas à manibus tuis accepit, sic codicem Apostolicum postquam compleueris placidè ac voluntariè suscipiet. Rursum translationis Apostolica sermonem venerandū diu mihi ruminā ti, ac quinternum eius scriptura inter manus tenenti, vna cum beato Iacobo in extasi ipse apparuit dicens; Hac nobis pracepta grata, omnibus obseruanda scribere non differas, scribe qua cœpisti corripiens scelera prauorum hospitum manentium in itinere Apostoli mei. Et idcirco nemo putet me aliquid ex pprio sensu meo scripsisse, sed ex libris authenticis vtriusque scilicet testamenti, sanctorumque Doctorum Hieronymi, Ambrosij, Augustini, Gregorij, Beda, Maximi, Leonis, caterorumq; Catholicorum: Ea qua in primo codice habentur, intelligat, vt in eo patet excerpsisse. Catera verò q̄ in libris sequētibus historialiter scribuntur, aut pprijs oculis vidi aut scripta reperi, aut verissima relatione didici, & in eis scripsi. Nemo igitur hunc librum despiciat cū inuenerit in eo leuidictatum. Idcirco è leuidictatu nostros sermones in eo scripsimus, vt tam imperitis quam peritis aperirentur, multi quod non intelligunt despiciunt. Sic igitur omnibus patefactum est opusculum istud, vt tam peritis arte grammatica quam non intelligentibus magna proficiat. Quisquis igitur ea qua hic liber cōtinet inanibus argumētis vel vanis disputationibus suis irrita fecerit, vel spreuerit, vel loqui contra ea prasumpserit, anathema sit cū Arrio & Sabellio. Valete omnes in Domino. Data Laterani Idib. Ianuar.

In hac epistola mouere possit suspicionem, quod Patriarchæ & Archiepiscopo *Patrum* nomen & honorem adscribat, cum *Paternitatis vestra* titulus deberetur. Verùm *Patriarchas*, non *Patres* vocari à Pontificibus, sed maiori honorum titulo, ex multis Gregorij magni epistolis intelligitur, vt qui in concilijs generalibus sellis sublimioribus à cæteris præsulibus, etiā à Cardinalibus sunt discreti, titulis honestioribus illustrentur. Deindè cum librum eorum censuræ subijciat, quasi iudices maiori quam alios honoris præfatione alloquitur. Neq; mouere magis debet vox *heroës*, aut vox *leuidictatum*. Neque enim præscribere possumus Pontifici vt eleganti nomine nō eos compellaret *heroës* vocando, aut titulum libro non adscriberet; *Leuidictatum de miraculis B. Iacobi Apostoli* vocans, vt videtur, quasi non eleganti & accurato stylo, sed tumultuariè compositum. Et alioqui pro sinceritate epistolæ militant, ea duorū præsulum nomina, qui haud dubiū Calixto æquales fuêre, Gullielmus Patriarcha Hierosolymitanus, Belga natione, patria Mechliniensis, & Didacus Gelmirius Compostellanus, par præsulum ea ætate longè grauissimum, alter in Syria, in Hispania alter, tam disiuncti locis quam pietate eruditiōeq; pares. Quod si in *Guillelmo* ratio temporum nonnihil discrepare videatur, pro eo *Guarimundus* substituatur ob festinationem librarij in nominibus proprijs, prima tantū littera expressa quod in diplomatis & priuilegijs olim vsitatum fuit.

CAP. XIII.

Corpus S. Iacobi Apostoli, esse in Hispania.

NOuandi licentia non vno loco solet resistere: ex vno incōmodo nectuntur alia. Ac verendum est ne si semel obtinuerint Iacobum Apostolum in Hispaniam non venisse,

quod fortaſsè agunt, nouo impetu ſuſcepto irruant in eius ſepulchrum priori victoria validiores, nobiſque extorqueant pari libertate prònunciandi ſacrum corpus, tribuant alijs, qui ſe aut totum, aut partes habere iactant. Ea extitit occaſio in extrema diſputatione cõfirmandi corpus Apoſtoli Iacobi, non alibi, quam in Hiſpania eſſe. Piget harũ litium, & pudet mouere quæ immota melius ſtarent: ſed quid facias! ſuccurrendum patriæ religioni, quæ profectò venit in periculum, ne templum numine plenum, toto orbe celeberrimũ ſua dignitate ſpolietur. Mitto hoc loco Sampyrum Aſturicenſem, qui initio ſuorum Chronicorum de Alfonſo Magno ſic ait: *Tum in Gallæcia Compoſtellæ ſuper corpus beati Iacobi Apoſtoli Eccleſiam quam conſtruxerat Rex dominus Aldefonſus, Magnum vocat, qui Caſtus eſt dictus, magnam ex lapidibus, & luto opere paruam, Rex iſte præcipitauit eam, & ex calce quadratiſq; lapidibus marmoreiſq; columnis ſiue baſibus cõſtruxit eam valde pulcherrimam era 860*, nẽpè anno Chriſti 822. Quid hiſtoria Compoſtellana: nil aliud toto opere agit. Quorſum Lucas Tudẽſis in Alfonſo Caſto reſpexit, cum dixit Carolum Magnum veniſſe Compoſtellam, eamq; Metropolitanæ iure donaſſe! In diſputatiõe de primatu Toletanæ Eccleſiæ Rodericus Toletanus luce veritatis conuictus, nõ audet negare Compoſtellanam Eccleſiam præſentia & poſſeſſiõe ſacri corporis eminere. Quid Leo tertius Epiſtola ſuperius adducta? Quid Calixtus ſecundus dicatis libris aliud agunt, quã corpus eo à diſcipulis mari vectum, atque eo loco tumulatum? Feſtum trãſlationis S. Iacobi paſſim per Hiſpaniam celebratum, Romanorum Pontificum iuſſu aut permiſſu, an aliò ſpectat quam eo loco corpus eſſe? id apertè docent eius feſti lectiones nuper à Sixto quinto probatæ. Prodijt recens Floriacenſis Bibliotheca, atque in ea ante ſexcentos annos deſcripta narratio trãſlati corporis ſacri Iacobi Hieroſolyma in

A Hiſpaniam, ijs, quę nos dicimus conſentanea prorſus, vt ea repetere non ſit opus. Deniq; nullum hiſtoricum legi, neq; quemquam alium ſcriptorem, ac ne eſſe quidẽ puto, qui auſus ſit Compoſtellæ eam poſſeſſionem detrahere: aut producant ſi qui contra ſentiunt. Eodem ſpectat votum Cõpoſtellanæ peregrinationis, quod cum Hieroſolymitano & Romano

B tertium adiungitur, ne facilè homines eo & promiſcuè ſoluantur ſine peculiari auctoritate Romani Pontificis expreſſa, qui eam facultatem retinere penes ſe, alijs auferre cõſueuit extrau. Etſi Dominici II. de Pœn. & remis lib. V. Eodẽ pertinet à multis Regibus & Principibus ſuſcepta peregrinatio ad ea loca varijs tempo

C ribus, quorũ numerus iniri non poſſit. Quæ enim alia præcipua cauſa extitit, ingenti labore aſpera & inculta loca ſuperandi longinqui itineris, ſi corpus ſacrum ibi non erat? Verùm Regum Hiſpaniæ plura diplomata attingamus, & priuilegia tẽplo Compoſtellano conceſſa, non alia cauſa, quam colendi ſtudio ſacrum Apoſtoli corpus. Alfonſus cognomento

D Caſtus quo tempore ſacrum corpus eſt inuẽtum poſt extructum à ſe templum, in alimenta miniſtrorũ millia paſſuum tria circa illud concedit. Integra diplomata inſerere lõgum eſſet, verba quædam proferre neceſſarium. Ait ergo: *Huius enim beatiſſimi Apoſtoli pignora ſanctiſſimum videlicet corpus reuelatum eſt in noſtro tempore.* Alfonſi ſucceſſor Ramirus ob victo-

E riam ad Clauium Apoſtoli ope partam de Mauris, reã ex voto fecit Hiſpaniam vniuerſam pendendi quotannis ex ſingulis iugeris modiũ frumẽti templo Compoſtellano. In eo diplomate, quod celeberrimum ꝑfecto eſt, & à multis Pontificibus Romanis deindè confirmatum, nulla mentio extat ſacri corporis quo loco eſſet: ſolum ait Apoſtolum ſibi dormienti hæc verba dixiſſe. *Nunquid ignorabas quod Dominus noſter Ie-*

ſus

sus Christus alias prouincias, alijs fratribus meis Apostolis distribuens, totam Hispaniam mea tutelæ per sortem deputasset, & meæ cōmisisset protectioni. Verùm integrum diploma, quoniā celeberrimum est, præstabit ad calcem adijcere. Ramiri filius Ordonius eo nomine primus quo diplomate ad tria terræ milliaria circū templū cōcessa antea, denuò adijcit alia tria, sic inchoat. *Pro reuerentia & honore beatissimi Iacobi Apostoli nostri totius Hispaniæ patroni, cuius corpus tumulatum est in Gallæcia in finibus Amaiæ.* Quid Alfonsus Ordonij filius cognomento Magnus? diplomatis quod illi tēplo concessit, quo tempore consecrandum curauit, hoc initiū est: *Supplex ego Adefonsus Princeps egregij eximijque principis Ordonij proles cum coniuge mea Scemena sub Pontifice loci eiusdem Sisnando statuimus ædificare domum Domini & restaurare templum ad tumulū sepulchri sancti Iacobi.* Quid plura? An est aliquis posteriorū Regum, qui suo diplomate nō aliquod donum Compostellano templo cōcesserit, ea à plerisque causa expressa quod ibi sacrū corpus esset? Verùm in magna copia eorum, quæ in tabularijs Compostellanis cū fide seruantur, priorum Regum diplomata ad confirmandam hanc persuasionem protulisse satis habui, ac simul monere aduersarios, ne inutili nouatione ac noxia loci toto orbe celeberrimi religionē pulcherrimè stantem labefactare aggrediantur, quæ certè constare non potest corpore sacro inde praua persuasione moto, ac ne negato quidem Iacobum venisse in Hispaniam.

CAP. XIV.

Conclusio operis.

MEritò pictores illi accusantur qui ignorātes quid sit satis, manum de tabula tollere nesciūt, dum fingunt & refingunt singula, neq; sibi imperare sciūt inexhausta artis intemperātia & pruritu: & nos iure vituperemur, nisi longæ disputationi finem faciamus tandem. Modesto lectori quæ diximus fidem faciant, contentiosos sanandi nulla spes, qui prauo infecti præiudicio veritati & luci oculos claudunt. Finis ergo disputandi erit, si ex tanta rerum sylua præcipua fundamenta causæ breui repetita in memoriam reuocauero. Ea numero tria sunt. Ex Isidori testimonio primum, quod nullæ calumniæ labefactent, nullæ euertant machinæ. Nam liber *de vita & obitu patrum* Isidori esse, Braulius & Illefonsus eius ęquales & eruditione clari in eius vita testantur, quo grauius testimonium esse non potest. Dubitas id eos scripsisse? lege eorum scripta ad calcem libri de viris illustribus Isidori. Si pergis præfractus esse, debes saltem aliquem probatæ fidei auctorē proferre, pręter vnum aut alterū nostræ ætatis, qui eorum fidem dubiam faciat. At librum non reijcis, qua enim id fronte? sed locum corruptum contendis, vbi venisse Iacobum in Hispaniam ait. De quo superius copiosius, sed audi rursus quæ pro nobis faciāt. Nuper is liber Madriti prodijt ad fidem octo codicum castigatus, num in aliquo ea verba deerant? in nullo planè, vt duæ Parisienses editiones mittantur in ea parte consentientes. Plura & maiora testimonia requiris? euertas omnia, & fundamenta conuellas fidei faciendę, & libros sinceros confirmandi, si talibus præsidijs demis fidem. Sed & integras Ecclesias tibi protuli ca. VIII. non pauciores octo aut decem, quæ in suis Breuiarijs Iacobum venisse in Hispaniā ex Isidori auctoritate confirmant. Superiora recognosce, si ficta putas; testato descripta mittere promptum est. Sed nimirum præstabat vno verbo Isidori auctoritatem flocci facere, quod mihi videris agere; aut fortassis pro Isidoro tāta præsidia extare ignotum erat, cum ingressus es in hanc causam, quod magis arbitror. Alterum causæ funda-

mentum liber Calixti secundi esto, ad id comparatus, vt Iacobum venisse in Hispaniam, eoque post mortem relatum corpus, persuadeat. cõfictus inquis mendacio. Quis id ante te dixit! A quadringẽtis annis is liber passim citatur, num aliquis reiecit tanquam falsum? certe Vincentius, libr. VIII. specul. cap. VI. & VII. ex eo cõfirmat inter alia Iacobum in Hispaniam venisse, nouemq; in ea elegisse discipulos, nimirum præcipuos ex omni numero. Plura lib. XXVI. cap. XXX. ipsius libri verbis, tum de labore, quo librũ Calixtus scripsit & conseruauit in multis periculis & casibus, qui illi contigerunt, tũ deinceps plura miracula B. Iacobi cõmemorat: subsecutus est longo proximus interuallo Antonius Florẽt. qui parte II. histo. tit. XVII. cap. I. §. II. eadem totidẽ fermè verbis refert. Post hunc Trithemius accedat de scriptoribus Ecclesiasticis, vbi cum librum Calixto tribuit, tum nostra ætate Maurolicus in suo Martyrologio Maij XV. die. Mitto multos alios tũ antiquos, tum nostræ ætati proximos. Num ex eo numero vnus saltem de fide eius libri dubitauit? nemo prorsus, an cęci omnes fuerunt, tu solus sapis? At rationes, inquis, inuictæ extant, quibus is liber falsi damnatur. Credo equidem ita tibi videri, alioqui non mouisses quæ immota melius starẽt. Sed age, oppido libenter eas audiam. Nempè in disputatione de primatu à Roderico Toletano habita coram Innoc. III. Romæ, de eo libro Compostellanus, quo aduersarium refelleret maximè, de Iacobi aduentu dubitantem, nullam fecit mentionem. Pugionem non plumbeum, sed è calybe. Quo vno impetu Isidori etiam testimonium prosternas, cuius nihilo magis meminit. Sed nimirũ neq; in codice referuntur omnia, quæ in ea disceptatione dicta sunt. Neque Cõpostellanus libros omnes nouerat, aut in prõptu habebat, quos pro se citaret. Ipse etiam qui in literis omnem ætatem contriui, & magnam

A Europæ partem obiui eruditionis ergò, in luce orbis terrarum diu versatus, ante paucos annos libri eius notitiam habere cœpi. Quid ergo mirũ in eo sæculo tam rudi & inerudito, ea librorum penuria, à præsulè alijs curis districto, eum librum ignorari? At in eo multa miracula continentur, quæ posteriori tempore contigerunt. Nimirum collectionum similium libris & rapsodijs id accidit, vt
B pleraque adijciantur à posterioribus auctoris & libri nominibus intactis. Sed illud ait quispiam maximè mouet, quod in historia Compostellana, quæ ipso Calixti tempore cõsarcinata est à tribus auctoribus nihilominus Munione & Hugone & Gerardo, nullam de Calixti libro extare mẽtionem. Sed facilè ea criminatio refellitur ob longinquitatem regio-
C nũ, Calixto in Gallia & Romæ agente, nondumq; eo fortassis libro euulgato, certè per multorum manus, quæ nisi progrediente tempore vix vnquam fiebat, nondum inuenta typographia incredibili rei litterariç profectu & commodo; & alioqui eos vidisse Calixti opus, tametsi nihil meminerunt, vehemẽter suspicabar ex
D epistola Leonis, quã citant, & ex Calixti secundi epistola ad Didacũ Gelmirium cap. XII. posita de hoc argumento. Sed & Innocentij secũdi pro libro Calixti approbatio pluris esse debet, quã omnia argumenta in contrarium: cuius germanam epistolam eam esse superius liquidò monstrauimus, omni subterfugio contra tendẽdi sublato aduersarijs. Sed age po-
E stremum nostræ causæ præsidiũ proferatur. Id ex traditione Ecclesiarum peti debet, traditio ex Breuiarijs, quæ magno numero superius cap. VIII. protulimus. An est aliqua peregrinatio alicuius ex antiquis, pro qua plura Ecclesiarum testimonia extẽt? At falli omnes potuerunt. Esto, num solus qui contra tendis, nũquam es falsus, in quo quã latus se campus aperiebat? Sed temperandum est tamen stylo, & frenãdus animi motus, dum

quæ

quæ sunt reliqua perago. At traditionem Ecclesiarum Hispaniæ sic habere non negas, præclarè profectò nobiscum agis; in quo potuisses addere, si mens propitia fuisset, alias præterea extra Hispaniam Ecclesias tantundem sentire, quod ignorare non poteras: sineque additione confiteri verum erat, & ponere in Hispaniam B. Iacobum venisse, quando quod multis testibus confirmatur, id æqui iudices verum certumque esse pronunciant: nos autem non multos pro nobis testes, sed innumeros, incorruptos, & integros protulimus. An ad victoriam superest aliquid? nihil arbitror planè: benignus modo lector accedat & arbiter, qui amoto præiudicio nostra hæc, qualia sunt, patienter legat aut audiat. Acrimoniam, si quo loco nimia videtur, iustus dolor excusabit ex rei indignitate susceptus. Atque illud postremò addam, longè aliam rei & accusatoris conditionem esse: cum sit reo satis ne causa decidat & possessione, si probabilia in defensione afferat; & nos tamen inuicta protulisse præsidia putabamus, accusatoris partes sint, perspicua ad victoriam proferre argumenta nullo ea euadendi loco, ac quæ confessionem exprimāt ab inuictis quamuis pectoribus. Quod an illi fecerint, an verò nos suscepto muneri nostra defendendi satisfaciamus, prudens & modestus lector & iudex considerabit, cuius censuræ nostra libenter subijcimus, veniam daturus, si quid prętereà in hac disputatione est erratum.

A

Votum Ramiri Regis eo nomine primi, quo ream fecit Hispaniam pendēdi modium frumenti quotannis per iugera B. Iacobi Apostoli templo Compostellano.

B

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Aaen. Antecessorum facta, (per quæ successores ad bonum poterunt erudiri) non sunt prætereunda sub silentio, verum potius debent committi monumentis literarum, vt eorum recordatione ad imitationem bonæ operationis inuitentur. Ea propter ego Ranemirus Rex, & à Deo mihi coiuncta Vrraca Regina cū filio nostro Rege Ordonio, & fratre meo Rege Garsia, oblationem nostrā, quam gloriosissimo Apostolo Dei Iacobo *fecimus, cum assensu Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & nostrorum principum, & omnium Hispaniæ Christianorum, committimus obseruationi: ne fortè successores nostri quod à nobis factum est, per ignorantiam tentent irrumpere, & etiam per recordationem nostræ operationis, ad similiter operandum moueantur. Causas, quibus ad faciendam istam oblationem cōpulsi sumus, scribimus, vt ad notitiam successorum reseruentur in posterum. Fuerūt igitur in antiquis temporibus (circa destructionem Hispaniæ, à Sarracenis factam Rege Roderico dominante) quidam nostri antecessores pigri, negligentes, desides, & inertes Christianorū principes, quorum vtique vita nulli fidelium extat imitāda; ij (quod relatione nō est dignū) ne Sarracenorū infestationibus inquietarētur, cōstituerunt eis, nefandos redditus annuatim persoluendos, centū videlicet puellas excellentissimæ pulchritudinis, quinquaginta de nobilioribus, quinquaginta verò de plebe. Proh dolor,*

C

D

E

& exemplum posteris non obseruãdum, pro pactione pacis temporalis & transitoria, tradebatur captiua Christianitas, luxuriæ Sarracenorum explendæ. Ex prædictorum principum semine nos producti, ex quo per Dei misericordiam regni suscepimus gubernaculum, diuina inspirante bonitate, prædicta nostræ gentis opprobria cogitauimus abolere. Hac de tam digna cogitatione perficienda, cõmunicauimus consilium primo Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & religiosis viris, postmodum verò vniuersis nostri regni principibus. Accepto tandem sano, & salubri consilio, dedimus apud Legionem legem populis, & posuimus cõsuetudines per vniuersas nostri regni prouincias obseruãdas. Deinde, vniuersis nostri regni principibus edictum commune dedimus, quatenus quosque robustos, & ad præliandum fortes viros, tam nobiles, quã ignobiles, tam milites, quã pedites, ab extremis nostri regni finibus euocarent, & vsque ad constitutũ diem in expeditionem facerent, congregare. Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & religiosos viros, vt interessent rogauimus, quatenus eorum orationibus nostrorum per Dei misericordiam augmentaretur fortitudo. Completum est itaq; imperiũ nostrum, & relictis ad excolẽdas terras tantummodo debilibus, & ad bellandum minus idoneis: congregati sunt cæteri, non de nostro imperio, sicut solent, inuiti, sed Deo ducente per Dei amorem spontanei. Cum his ego Rex Ranemirus (de misericordia Dei potius, quam de gentis nostræ multitudine confidens) per agratis interiacentibus terris, iter mei exitus direxi in Naiaram, ac deinde declinaui in locum, qui nuncupatur Albella. Interim autem Sarraceni nostrum aduentum (fama præcone) cognoscentes, omnes cismarini in vnum contra nos cõgregati sunt: transmarinis etiam per literas, & nuncios in suum auxilium conuocatis, inuaserunt nos in multitudine graui, & in manu valida. Quid plura? quæ sine lachrimis nõ recordaremur, peccatis exigentibus, multis ex nostris corruentibus, percussi & vulnerati, cõuersi sumus in fugam, & confusi peruenimus

in collem, qui Clauigium nominatur, ac A ibi in vna mole congregati, totam ferè noctem in lachrymis & orationibus consumpsimus, ignorantes ex toto, quid in die essemus postea acturi. Inter ea somnus arripuit me Regem Ranemirum, cogitantem multa, & anxium de periculo gentis Christianæ. At mihi dormienti Beatus Iacobus Hispaniarum protector corporali specie est se præsentare dignatus. Quem cum interrogassem cũ B admiratione, quisnam esset, Apostolum Dei, beatum Iacobum, se esse confessus, est. Cum ad hoc verbum, vltra quam dici potest, obstupuissem, beatus Apostolus ait. Nunquid ignorabas, quod Dominus noster IesusChristus alias prouincias, alijs fratribus meis Apostolis distribuens: totam Hispaniã, meæ tutelæ per sortem deputasset, & meæ commisisset protectioni? Et manu propria manum meam a- C stringens, confortare (inquit) & esto robustus, ego enim ero tibi in auxilium, et manè superabis in manu Dei Sarracenorum, à quibus obsessus es, innumerabilẽ multitudinẽ. Multi tamen ex tuis, quibus iam parata est æterna requies, sunt instante pugna pro Christi nomine martyrij coronam suscepturi. Et ne super hoc detur locus dubitationi, & vos & Sarraceni, videbitis me constanter in albo D equo, dealbata grandi specie vexillum album deferentem. Summo igitur manè facta peccatorum vestrorum cõfessione, & accepta pœnitentia, celebratis missis, & accepta Domini corporis & sanguinis cõmunione, armata manu ne dubitetis inuadere Sarracenorum acies, inuocato nomine Dei, & meo: & pro certo noueritis, eos in ore gladij ruituros. Et his di- E ctis, euanuit à cõspectu meo, visu desiderabilis Dei Apostolus. Ego autẽ pro tãta, & tali visione vehementer è somno excitatus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatib⁹, & religiosis viris seorsum vocatis, quicquid mihi fuerat reuelatũ, lachrymis & singultibus, & nimia contritione cordis eodem ordine propalaui. Illi ergo in oratione prius prouoluti, Deo & Apostolo, pro tã admirabili consolatione gratias egerunt innumeras, ac deinde rem administrare (prout nobis fuerat reue-

latum

latum) festinauimus. Armata itaque & ordinata nostrorum acie, venimus cum Saracenis in pugnam, & beatus Dei Apostolus apparuit, sicut promiserat vtrisque, instigando, & in pugnam animando nostrorum acies, Sarracenorum verò turbas impediendo & diuerberando. Quod quam citò nobis apparuit, cognouimus, beati Apostoli promissionem impletam, & de tam praeclara visione exhilarati, nomen Dei, & Apostoli in magnis vocibus, & nimio cordis affectu inuocauimus, dicentes, Adiuua nos Deus, & sancte Iacobe. Quae quidem inuocatio ibi tunc primum fuit facta in Hispania, & per Dei misericordiam non in vanum, eo namq; die corruerunt circiter septuaginta millia Sarracenorum. Tunc etiam euersis eorum munitionibus, eos insequendo, ciuitatem Calaforram cepimus, & Christianae religioni subiecimus. Tantum igitur Apostoli miraculum post inopinatam victoriam considerantes, deliberauimus statuere patrono & protectori nostro, beatissimo Iacobo donum aliquod, in perpetuum permansurum. Statuimus ergò per totam Hispaniam, ac in vniuersis partibus Hispaniarum, quascunque Deus, sub Apostoli Iacobi nomine dignaretur à Sarracenis liberare, vouimus obseruandum. Quatenus de vnoquoque iugo boum, singulae mensurae de meliori fruge ad modum primitiarum, & de vino similiter, ad victum Canonicorum, in Ecclesia beati Iacobi commorantium, annuatim ministris eiusdem Ecclesiae in perpetuum persoluantur. Concessimus etiam, & in perpetuum confirmamus, quod Christiani per totam Hispaniam, in singulis expeditionibus, de eo quod à Sarracenis acquisierint, ad mensuram portionis vnius militis, glorioso patrono nostro, & Hispaniarum protectori beato Iacobo, fideliter attribuatur. Haec omnia donatiua vota & oblationes (sicut superius diximus) per iuramentum nos omnes Christiani Hispaniae promisimus annuatim Ecclesiae beati Iacobi, & damus pro nobis & successoribus nostris canonice in perpetuum obseruanda. Petimus ergò pater omnipotens aeterne

A Deus, quatenus intercedentibus meritis beati Iacobi, ne memineris, Domine iniquitatum nostrarum, sed sola tua misericodia nobis prosit indignis. Et ea quae ad honorem tuum beato Iacobo Apostolo tuo dedimus & offerimus, de eis quae per te (ipso opitulante) acquisiuimus, nobis & successoribus nostris proficiant ad remedium animarum, & per eius intercessionem nos recipere digneris, cum electis tuis in aeterna taberna-

B cula, qui in trinitate viuis & regnas in saecula saeculorum, Amen. Vouimus etiam & in perpetuum statuimus tenendum, quatenus quicunque ex genere nostro vel aliorum descenderint, semper suum praestent auxilium, ad praetaxata beati Iacobi Ecclesiae donatiua. Quod si quis ex genere nostro, vel aliorum ad hoc nostrum testamentum violandum venerit, vel adimplendum non adiuuerit, quisquis ille fuerit clericus, vel lai-

C cus, in inferno cum Iuda traditore, & Datan & Abiron, quos terra viuos absorbuit, damnetur in perpetuum, & filij eius fiant orphani, & vxor eius vidua, & regnum eius temporale accipiat alter, & à communione corporis & sanguinis Christi fiat alienus, aeterni verò regni participatione priuetur perenniter. Insuper Regiae Maiestati, & Eccle-

D siae beati Iacobi per medium, sex mille libras argenti pariat, & hoc scriptum semper maneat in robore. Nos etiam Archiepiscopi, Episcopi & Abbates, qui illud idem miraculum quod Dominus noster Iesus Christus famulo suo illustri Regi nostro Ranemiro, per Apostolum suum Iacobum dignatus est monstrare: proprijs oculis, Deo iuuāte, vidimus:

E praedictum ipsius Regis nostri, & nostrū, & totius Hispaniae Christianitatis factum, in perpetuum confirmamus, & canonice sancimus obseruandum. Si quis ad hoc scriptum & Ecclesiae beati Iacobi donatiuum irrumpendum venerit, vel persoluere renuerit, quisquis ille fuerit, Rex, vel Princeps, rusticus, clericus vel laicus, eum maledicimus, & excommunicamus, & cum Iuda traditore gehennali poena damnamus in perpetuum cruciandum. Hoc

idem successores nostri Archiepiscopi, Episcopi faciãt deuotè annuatim. Quod A si renuerint, omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti, auctoritate, & nostra damnentur, & excommunicatione & potestate sibi à Deo tradita rei teneantur. Facta scriptura voti, donationis, oblationis huius, in ciuitate Calaforra, noto die octauo Calend. Iunij, Era DCCCLXXXII. Ego Rex Ranemirus B cum coniuge mea Regina Vrraca, & filio nostro rege Ordonio, & fratre meo Garsia hoc scriptum, quod fecimus, proprio robore confirmamus.

Ego Dulcis Cantabriensis Archiepisc. qui præsens fui, confirmo.

Ego Suarius Ouetensis Episc. qui præsens fui, confirmo.

Ego Salomon Astoricensis Episc. qui præsens fui, confirmo. C

Ego Oueto Auriensis Episc. qui præsens fui, confirmo.

Ego Rodericus Lucensis Episc. qui præsens fui, confirmo.

Ego Regina Vrraca confirmo.

Ego Rex Ordonius eius filius confirmo. D

Ego Rex Garsia frater Regis Ranemiri confirmo.

Osorius Petri mayordomus Regis, qui præsens fui, confirmo.

Pelagius Guterici Regis armiger, qui præsens fui, confirmo.

Menendus Suarici, potestas terræ, qui præsens fui, confirmo.

Rodericus Suarez, potestas terræ, qui præsens fui, confirmo.

Suarius Menendus potestas terræ, qui præsens fui, confirmo.

Gudesteus Osorij, potestas terræ, qui præsens fui, confirmo.

Qui præsentes fuerunt testes.

Martinus	Testis
Petrus	Testis
Pelagius	Testis
Suarius	Testis
Menendus	Testis
Vincentius sagio Regis.	Testis.

Nos omnes Hispaniæ terrarum habitatores populi, qui præsentes fuimus, & suprascriptũ miraculum patroni & protectoris nostri gloriosissimi Apostoli Iacobi proprijs oculis vidimus, & triumphũ de Sarracenis per Dei misericordiam obtinuimus: quod superius scriptum est sancimus, & in perpetuum confirmamus permansurum.

(?)



IOAN. MARIANAE

PRO EDITIONE VVLGATA.

Capitum Index.

CAPVT PRIMVM.

Disputationis scopus.



OPVS molestum suscipimus, multaque difficultate impeditum, periculosam aleã, ac qua nescio an vlla disputatio his superioribus annis inter Theologos, in Hispania præsertim, maiori animorum ardore, & motu agitata sit, odioque partium magis implacabili, vsq; eo, vt à probris & contumelijs, quibus se mutuo fœdabãt, ad tribunalia ventum sit: atq; quæ pars sibi magis confidebat, aduersarios de Religione postulatos grauissimè exercuit, quasi impios, superbos, arrogantes, qui diuinorum librorum auctoritatem, atque eius interpretationis fidem, qua Ecclesia vtitur passim, & *vulgata Editio* nũcupatur, audacter eleuarent, nouis interpretationibus prælatis inuectisq; contra diuinas leges & humanas, Concilij Tridentini decreta non ita pridem promulgata. Tenuit ea causa multorum animos suspensos expectatione, quem tandẽ exitum habitura esset, / [redacted]

A / Quod alios terrere potuisset, mẹ magis ad conandum incitauit. Quid facias? ita est ingenium: in locis salebrosis & asperis iuuat stylũ versare, periclitari, si quo modo possim pacem inter dissidẽtes cõponere, quod fore nõ desperamꝰ. Hac quãuis eruditionis ingenijq; imbecillitate suscepi opꝰ, fortasse maius quàm ꝙ possit meis viribus sustineri, B ꝙ tamen, & si ego defecero, bonitas causæ supplebit, studiumq; reuocãdæ inter viros doctos cõcordię eruenda veritate atq; illustrãda laborare certũ est, quoniã partiũ contentione obscurata potius est, ac densis tenebris impedita: dũ vtraq; pars vincendi cupiditate opprimẽdiq; aduersarios lõgius æquo prouecti sunt; cùm modestia potuissent rectũ iter tenere, atq; C ad ipsum veritatis cubile & fontes peruenire, per deuia fatigati sunt exiguo laboris ꝓuentu. Quidam .n. editionẽ vulgatam sugillãt quasi multis vitijs fœdã, ad fontes identidẽ prouocantes, vnde ad nos ij riui manarunt, ac contẽdentes, Græcorũ Hebraicorumq; codicũ collatione castigãdam videri, quoties ab illis discrepãrit, linguarum peritia tumidi, D Ecclesiasticã simplicitatẽ ludibrio habẽtes; quorũ profectò audacia ac temeritas ꝓnunciandi meritò frẹnanda est. E contrario alij maiori numero aduersariorũ odio nefas putãt vulgatam editionẽ attrectare, atque in impiorũ numero habẽt, si quis vel leuem vocẽ castigare tentet, si locum aliquẽ aliter explicare contendat, quàm vulgata inter- E pretatio præ se ferat (quos imitari ꝑfectò nõ debemus) pusillo homines animo, [redacted], angusteque sentientes de Religionis nostræ maiestate, qui dũ opinionũ castella pro fidei placitis defendunt, ipsam mihi arcem ꝓdere videntur, fraternã charitatẽ turpissimè violantes. Ergo extrema & deuia vitata, quæ in præcipitia desinit, mediam viam tenere constituimus, qua ferè in omni disputatione vitatis erroribus ad veri-

tatem

tatem peruenitur. Vtinam tam læto successu conatus noster procedat, quàm syncero vacuoque affectionibus animo suscipitur; tametsi (quod ingenuè ꝓfiteor) maiori defendēdi, quàm accusandi voluntate: cùm humanum sit errare, sordidi autem animi viros doctos insectando videri velle laudem aucupari, atque contra præceptum Pauli, ad quod non pertingunt quidam, *se superextendere* conari. Verũ quoniam disputationis cardo in Concilij Tridētini decretis vertitur, quo pacto accipienda sint, priusquã disputationem ingrediar, ea subijcere visum est, ex sess. 4. his omnibus verbis:

2. Cor. 10. 14.

Si quis libros ipsos (nempe canonicos) *integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata latina editione habētur, pro sacris & canonicis nõ susceperit, anathema sit. Sacrosancta Synodus statuit et declarat, vt ex omnibus latinis editionibus, quæ circũferuntur, vetus & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus, pro authentica habeatur, & vt nemo eam quouis prætextu reijcere audeat vel præsumat.*

CAP. II.

Plures extitêre editiones vulgatæ.

MAiori in luce tota disputatio versabitur, si ab explicatione nominis procedatur, & an plures extiterint editiones vulgatæ, fuerit explicatũ. Etenim *editio vulgata* eam interpretationem seu versionem diuinorum librorũ in aliam linguam significat, qua vulgo Ecclesia vtitur, & cùm non vna omnibus temporib. interpretatio communi vsu recepta sit, plures vna editiones vulgatas alijs atque alijs temporibus extitisse, neq; apud omnes nationes easdem, fateamur necesse est. Multi veteris testamenti (de nouo modò non agitur) varijs temporibus extitêre interpretes, omnes numerare nõ attinet, neque de linguis modo Chaldaica & & Syriaca agimus, sed ex Hebraica lingua, in qua ferè ij libri primum scripti fuêre, in Gręcam, quę celeberrima olim fuit, & totum ferè orbem peruasit, Primi septuaginta interpretes iussu Ptolemæi Philadelphi regis, AEgyptij diuinos libros Gręcè interpretati sunt, antè Christi ortum trecentis amplius annis, omnes, an partem, nõdum disputamus. Post Christum natum *Aquila* primus Hadriani imperio septuaginta interpretum imitatione, veteres scripturas Græcè reddidit locis non paucis corruptas, nimirum ad Iudaismũ, vnde discesserat antea, à religione Christiana deficiens: sic Hieronymus epist. ad Pammach. nam Epiphan. Græcũ natione fuisse apertè ait in lib. de pond. & mensu. Subsecutus est in opere *Theodotio* patria Ephesinus, ex Martionis secta ad Iudæos & ipse transfuga, Commodo Imperatore, salutis anno centesimo nonagesimo. Post hos *Symmachus* ex Samarita Iudæus Seuero Imperatore, anno 210. quartam in Græcarum numero adornauit, perfecitq; editionem. Quinta sub Antonino Caracalla, anno 215. Hierechũnte inuenta est. Sexta Alexandro Seuero Imperatore, ann. 230. Nicopoli, vtraq; nullo certè autore. Origenes has sex versiones Græcas nactus ex ijs in vnũ corpus ordine collatis incredibili labore, vasta cõfecit volumina, *Octapla* ex eo dicta, quod ad sex editiones duas Hebraicas adiunxerit, seu potius vnam bis, caractere nimirũ Hebraico semel, Græco iterum in eorũ gratiam, qui Hebraicas litteras nesciebant, nam *exapla* dicebantur, cùm ad duas Hebraicas quatuor priores Grǽcè interpretationes adijciebantur, quinta & sexta prætermissis, Epiphanius autor lib. de pond. & mensu. Ex hoc numero nulla apud Græcos vulgata seu communis dicta est, tametsi non nemo initio glossæ ordinariæ quintam

editionem affirmet, Isidorum secutus lib. VI. Etymol. c. IV. vulgatæ nomen tulisse, falsus procul dubio cum septima potius ex prioribus conflata & confusa, vulgatæ nomẽ tulerit. In qua cum editione septuaginta verba quædã & sententias inseruêre Hesychius, Lucianus, Origenes, vt cuique commodum fore visum est. Itaque apud omnes nationes non eadem in vsu erat: nam Hieronymo teste præfatione in librũ Paralipomenon Alexandria & AEgyptus Hesychij diligentiam, Constantinopolis Luciani martyris exemplaria sequebãtur: quæ propriè editio vulgata seu communis vocabatur. Aliæ prouinciæ Palæstinos codices legebant ab Origine elaboratos, neq; enim tantum exapla confecit, sed cum editione septuaginta, Theodotionis versionem miscuit: qua diligentia multæ Ecclesiæ vtebantur. Nam quod vulgata editio ab editione septuaginta differret, Hieronymus ad Suniam & fratellam his verbis affirmat. *Sciatis* (inquit, *aliam esse editionem, quàm Origenes & Cæsariensis Eusebius, omnesque Græci tractatores* κοινὴν, *id est, communem appellant, atque vulgatam (& à plerisque nunc Lucianus dicitur) aliam septuaginta interpretum, quæ in exaplis codicibus reperitur, & à nobis in Latinum sermonem versa est, & Hierosolymæ atque in Orientis Ecclesijs decantatur.* Et præfatione in lib. XVI. Commentariorum in Isaiam Prophetam disputans de octo versiculis, qui desunt Hebraicè. Ps. 13. ait, *Denique omnes Græci tractatores hos versiculos verũ annotant atque prætereunt, liquidò confitentes in Hebraico non haberi, nec esse in septuaginta interpretibus, sed in editione vulgata, quæ Græcè dicitur,* κοινὴ, *& in toto orbe diuersa est.* Sanè post tam aperta verba Hieronymi, & cùm in epistola paulò antea adducta sæpè dicat verba non pauca non esse in alijs versionibus, neque in septuaginta, sed in editione tantum vulgata, ferreus sit, qui apertæ veritati vulgatam Græcam differre à versione septuaginta manus dare recuset, & præstat errorem confiteri, quàm in eo mordicus perstare. Verùm obijcis in ea epistola à Hieronymo additum: κοινὴ, *autem ista, hoc est, communis editio, ipsa est quæ & septuaginta.* Quibus verbis si mens tranquilla fuisset, quæ mox sequuntur adijcere, & cum illis componere debuisses. Ait enim. *Sed hoc interest inter vtramque, quod* κοινὴ, *pro locis & temporibus, & pro voluntate scriptorum veterum corrupta editio est.* Est ergò communis editio ipsa, quæ & septuaginta, quia ipsi quasi stamini cæteræ editiones intertextæ, confusæque sunt, ita tamen vt ex ea permixtione diuersa re & nomine editio fuerit conflata, quæ à Græcis vulgatæ nomen tulit. Sic accipi debẽt Augustini verba cum lib. XVIII. de ciuit. Dei cap. XLIII. editionem septuaginta eandem, qua vulgo Græci vtebantur facere, his verbis videtur. *Hanc tamen,* inquit, *quæ septuaginta est, tanquam sola esset, sic recepit Ecclesia, eaq; vtuntur Græci populi Christiani, quorum plerique vtrum alia sit aliqua ignorant.* Hæ fuerunt olim editiones Græcæ. Latinarum numerus iniri non poterat, vti Augustinus ait lib. II. de doctrina Christiana cap. XI. his verbis: *qui scripturas ex Hebræa lingua in Græcam verterunt linguam, numerari possunt: Latini autem interpretes nullo modo. Vt enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibimet vtriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari, quæ quidem res plus adiuuit intelligentiam quàm impediuit.* & quæ in eam sententiam sequuntur, eo libentius à nobis adducta, quod Augustini modestiam de interpretibus sui temporis vellem nonnulli nostra ętate imitarentur, neque contentionis studio aliena contemnerent, Ecclesię pacem turbarent. Sed ex ea certè interpretationum varietate factum est, vt antiqui patres non eisdem verbis diuinarum scripturarum locis vtãtur; nam fermè quot erant prouinciæ, tam

multæ editiones latinæ circumferebantur, ex septuaginta interpretati- A one tamen omnes in Latinam linguam transfusę, vti Augustinus affirmat lib. XVIII. de ciuit. Dei, cap. XLIII. Inter eas autem maiori fama celebris ea erat, qua Romana Ecclesia vtebatur mater & magistra aliarum Ecclesiarum, quæ nonnunquam vulgata nominatur à Hieronymo ad Pammachium de optimo genere interpret. *Vulgata quippe editio ita se habet, & dicam ad eos si bonum est in oculis vestris afferte mercedem.* B & in Isaiæ c.26. illa verba, *sed & spiritu meo in præcordijs meis. Volumus*, inquit, *& Hebraicum sequi, & vulgatam editionem non penitus præterire.* & in cap.30. in illa verba, *& non faciet auolare à te vltra doctorem tuum.* Similia prioribus repetit. Neque moueat quod eandem vocat editionem septuaginta: nam cùm ex ea manârit, vtroque nomine nuncupatur, vti videmus in Commentarijs Hieronymi in Prophetas, vbi alter textus Latinus, nempe vulgatę eo tempore dictæ, septuaginta nomen habet. Aliquando eadem editio vetus dicitur comparatione eius, quam Hieronymus fecit, certè à Gregorio extremis verbis epistolæ ad Leandrum initio Commentariorum in lib. Iob. *Nouam*, inquit, *translationē dissero, sed vt comprobationis causa exigit, nunc nouā, nunc veterem per testimonia assumo, vt quia sedes Apostolica (cui autore Deo præsideo) vtraque vtitur, mei quoq; labor studij ex vtraque fulciatur.* Eodem nomine in Concilio Toletan. VIII. eadem editio vocatur. Sic vetus editio Latina, quæ vulgata olim dicebatur, vsque ad Gregorij tempora conseruata est; ex eo tempore perijt, vti multa alia monimenta vetustatis. Incubuit enim cùm bellorum procella in orbem Christianum pudenda barbaries, perijt, inquam, nisi si qua pars eius in ea editione Latina permansit, qua ad nostram ætatem vsa est, vtiturque Ecclesia Romana, quæ proculdubio plurima ex parte ex Hieronymi interpretatione est, vti alio loco copiosius explicabitur, & quæ sola nostra tempestate inter Latinas vulgatæ nomen retinet, de eaque Concilij Tridentini decreta loquuntur, nosque de eius auctoritate disputare aggressi sumus.

CAP. III.

Quibus linguis libri sacri sint scripti.

Vetus ferè testamentum Hebraica lingua, nouum Græca scripta sunt, paucis tantummodo libris ex vtroque canone, ordineque detractis. Nam in veteri testamento pars Esdræ & Danielis Chaldaicam linguam in ipsa origine præferunt, multo tamen elegātiorem ea, qua Chaldaici paraphrastæ vtuntur in alijs libris, ad eius linguæ normā, ad quam cætera dirigātur, & vnde ratio Chaldaicæ Grammaticæ peti debet, alioqui inconstantis, variæ, multiplicis. Tobias & Iudith Chaldaico sermone inuenisse se scriptos Hieronymus in præfationibus ait: Ecclesiasticum Hebraicè extare sua ætate. Sapientia, Baruc, duo libri Machabęorum Gręcè tantum extant, nusquam Hebraicè: tametsi Eusebius lib. VI. hist. Eccles. c. XIX. Origenis verbis ait, *Extra numerum istorum librorum viginti duorum veteris testamenti sunt libri Machabaici, qui inscribuntur Sarbethe, Sarbane.* Quod si verū est, licet ex titulo conijcere eos libros etiā Hebraicè extitisse. De auctoritate horū librorū nondū disputabam: & constat eos libros sex, quos postremo numerauimus, ab Hebræis non haberi in numero diuinorum librorum, recipi tamen ab Ecclesia, cuius authoritas maior est, certior fides. In nouo testamento euangelium Matthei & epistola ad Hebręos Hebraica lingua sunt scripta, vti Eusebius docet lib. III. hist. Eccles. postremo capite,

& lib. V. cap. XI. præterea lib. VI. cap. XIX. tum Hieronymus idem vbique A asserit, ac nominatim de viris illustribus in Mattheo Pauloq;. Qui libri à Luca Euangelista, siue à Clemēte Romano in linguā Græcā mutati fuisse creduntur, haud minori interpretationis authoritate & fide, quā ipsorū librorum, si nostra ætate extarent, vti *Euangelium Matthæi* Hebraicè in Cæsariensi bibliotheca sua ætate extare Hieronymus ait, eoque passim Nazaræos vti solitos. Nam quod Euangelium Matthæi Hebraicum formis expressum vulgò circunfertur, non ita pridem ab aliquo Iudæo ex Latino fuit in eam linguam conuersum. Neque enim cùm Hebraicè dicimus eos duos libros fuisse cōscriptos, intelligere debes de Hebraica lingua pura atque syncera, sed potius de Syriaca, qua vulgo Iudæi, Christi & Apostolorum ætate in Palæstina vtebantur, Chaldaicæ ad instar. Cuius rei magna argumenta sunt, & verisimile est Christum & Apostolos cum Hebraica lingua vtebantur, non alia quàm eius ætatis fuisse vsos. Itaq; cōsideramus voces Hebraicas, quæ in nouo testamento leguntur ex Syriaca lingua fuisse desumptas, non ex Hebręa veteri, vt *Golgatha, hoc est Caluariæ locus*, Matth. 27. *Boanerges, id est filij tonitrui*, Mar. 3. *Bethesda, Gabbatha*, hoc est, pauimentum lapidibus constratum, quod ab architectis *lorica* vocatur. Prętereа *Thalita cumi, puella surge. Haceldema, ager sanguinis.* In actis *Tabitha, quod est interpretatū dorcas* seu *dama*, apud Paulum *Maranatha*, id est, Dominus venit, non ex Hebraica lingua, sed ex Syriaca desumptum est, ipsa quoq; testimonia scripturę nonnunquam ea lingua citata legimus, quale illud est, *Heli Heli lamasabbathani*, ex Ps. 21, quæ verba nonnulli ex Hebraicis psalmis ausi sunt castigare legentes *lamahasabthani*, quouis ipsi supplicio digni. Quidam etiam ad *Sabec* arborē Gen. 22. c. in septuaginta interpretibus positā vocem, transtulit Commentarijs in Isaiam initio c. 29. & in Apologetico. Sed quid nisi hoc sit mera somnia vēditare in re seria, cùm Epiphanius hæresi LXIX. affirmet Christum his verbis Syriaca potius lingua fuisse vsum, *vt conuitium faceret ijs, qui Hebraicam iactant, aliasq; linguas in pretio se habere monstraret, ad quas cælestis doctrina breui peruentura erat.* Neque existimes, quod nonnulli confirmare contēdunt, Euangelium Matthæi B quod nuper Syriacè prodijt esse illud, quod à Matthæo scriptum est, cùm credam potius, ac magnis argumentis fixum habeam, nouum testamentum Syriacum ex Græco fuisse conuersum, cum quo magnam affinitatem habet, quo tempore non facilè dixerim: non ita pridem suspicabar: nam qui à Marco Euangelista contēdunt persuadere præfatione ad testamentum nouum Syriacum in Biblijs regijs, C nę ij multo quamuis labore parū promouere videntur, cùm non pauci noui testamenti libri post Marci mortem fuerint cōscripti. Neque negabo id testamentum vtile fore, si vitia præsertim in eius interpretatione latina, quæ incuria fudit, aut humana parum cauit industria, non pauca castigentur, quæ hoc loco designare non est necesse ad alia D festinantibus, & alio loco commodius & fusius de Syriacis codicibus propriè agendum est. Marci Euangeliū Græcè fuisse scriptum, antiqui ferè patres affirmârunt. Quidam minuti scriptores atque recentes latinè dixerunt, Ioannes Cantacuzenus Imperator Apologia IV. Armacanus lib. IX. de quæstionibus, Iacobus de Voragine E cōcione de sancto Marco, quę sentētia à Syris traditur ad calcē eius Euāgelij his verbis: אונ׳ ליון קדישא סב־רתא דפ־קרוז דבלל וכבר ותופאית שלם, hoc est: *Explicit Euangelium sancta annūciatio Marci*, quod Romanè annunciauit, & Adonis Viennensis auctoritate fulciri possit, anno Christi 45. affirmantis Marcum Euangelistam Euangelium, quod Romæ scripserat Petro mittente, primum Aquileiæ

præ-

prædicasse, ibique ordinato Hermagora discipulo suo in AEgyptū contendisse. Neque enim in Italia Græca lingua Euangelium fuisse annunciatum ac non potius Romana, quæ illis hominibus erat familiaris, facilè quis credat. Verùm leuiora sunt argumenta minor auctoritas dicentiū, quàm vt propter ea sit ab antiquiorum placitis & sententia recedendū.

CAP. IV.

De auctoribus sacrorum librorum.

QVibus auctorib. singuli diuinarum scripturarum libri cōscripti sint statuere certa ratione difficile est. Controuersa quæstio, & plena dissensionis inter viros doctissimos, sed hoc loco dijudicādā doctiorum opinione designata; neque aduersariorum rationib. examinatis; ne vltra modum disputatio crescat: ac ferè D. Isidorum sequemur lib. VI. Etymologiarum c. II. paucis tantummodo commutatis. Ac primū quinque libri legis Mosem auctorem habent. Iosue librum suum edidit; præterea vti Hebræi addunt octo versus postremos Deuteronomij: resistunt quidam, negātes à Iosue librum eius scriptum, quod cap. 10. *Iustorum liber* citetur, in quo tamen res gestæ Dauidis continebantur lib. 2. Reg. c. 1. adijciunt cap. 15. eius libri expugnationem Cariatharbe & Axæ filię Caleb historiam contineri, quæ Iosue mortuo contigerunt. Quid si id negem, post Iosue obitum ea certè contigisse, & est turpe Theologo id afferre, quod certa ratione confirmare non possit. Quod si August. in glos. ordin. ad illud cap. aliter sensit; eius opinioni plures nec minori antiquitate licebit opponere: nam *liber Iustorum* additione aliqua facta res gestas posteriori tempore continere potuit. Libros Iudicum & Ruth scripsit Samuel, præterea primum librum Regum ad cap. 25. reliqua eius libri & vsq; ad finem secundi à Dauide sunt scripta. Et vterque tamen liber apud Hebręos Samuelis dicitur, quod Saulis & Dauidis res gestas describant, quos Samuel reges futuros inunxit. Duos postremos Regum libros Hieremias composuit; argumento probabili ex fine horum librorum, qui cū extrema parte vaticinij eius prophetæ mirum in modum conuenit; collecti autem sunt ex varijs libris, qui regum posteriorum res gestas explicabāt. Paralipomenon auctorem Isidorus nullum designauit, fortassis vitiato etymologiarum loco, Hebręi Esdram nominant, indicio haud leui veritatis, cū finis Paralipomenō idem initium sit Esdræ. Tametsi secundum Esdræ, cuius nomē præfert; Nehemiæ potius tribuere quidā malunt. *De libro Iob* bifariam auctores variant. Hebræi Mosem auctorem nominant, quos sequi videtur Origenes initio Commētariorum in eum librū; resistit Gregorius, ac ipsum qui pertulit sua certamina, ea existimat litteris commendasse. Similis cōtrouersia de Psalmorum auctoribus est. Multi tum Hebræi, tum Orthodoxi, non vnum, sed plures auctores habuisse putant, nempe quorum nomina in Psalmorum titulis adscribuntur Adæ, Melchisedech, Asaph, filiorum Core, aliorum, quod sequitur Isidorus & Rabbi Isaac Harama præfatione in Cātica. Diuersam opinionem sequuntur alij maiori numero & antiquitate. Augustinus varius est, sed lib. XVII. de ciuit. c. XIV. omnes Psalmos à Dauide scriptos existimat, re cum ætate melius considerata. Nomina autem quæ præferunt in titulis, aut cātorum sunt, aut quorum res gestæ in illis psalmis narrātur, vt Psalmus 90. Mosis nomen præfert, Salomonis 98. A Salomone tres libri confecti sunt, Prouerbia, Ecclesiastes, Canticum; de Ecclesiastico & Sapiētia magna quæstio est. Antiqui eos libros Salomonis nomine citāt; & constat à Salomone tria millia

parabolarũ fuisse conscripta, disputasseque de rebus omnibus à cedro Libani vsque ad hyssopum. Ergo vterq; liber Salomonis est dictus, quãdo quidẽ quę ab eo sapienter dicta sunt, explicant, quamuis aliorum diligentia collecta. Ecclesiasticum collegit Iesu aut sacerdos magnus: de quo in Zacharia fit mentio, quæ est sententia Isidori, aut potius quod Galatinus ait lib. I. contra Iudæos ex septuaginta interpretibus, vnus eo nomine, cùm nepos eius Iesus filius Sirach libri interpres in AEgypto se eum librum inuenisse affirmet, vt initio eius libri dicitur, tẽpore Ptolemæi euergetis trecentos circiter annos, postquam Iudæi redierunt è captiuitate, vixitque Iesus sacerdos magnus, & in septuaginta interpretibus Iesus quidam ab Aristæa certè numeratur. Sapientiæ liber maiori iure Salomoni tribuatur, cùm cap. 10. ipse de se loquatur ac dicat, *Tu me constituisti regem super Israel.* Collector eius libri Philon aũt Iudęus, qui post Christum vixit Caij & Claudij imperio, vti plerique arbitrantur, & in eo numero Abulensis in Matthæum cap. XXIV. q. LIX. Neque desunt qui eundem affirment Christiana sacra suscepisse. Galatinus lib. I. contra Iudæos cap. IV. coniuncta tamen cum Iudaicis ritibus, vti erant eius ætatis mores. Photius in Bibliotheca cap. CV. *Fertur*, ait, *Christianam religionem quam susceperat, ob iram aliquam abdicasse.* Haymo lib. II. cap. XXII. Petro Apostolo prædicanti adhæsisse confirmat, religionis communione, an familiaritate tantum, non explicat, ac credam potius *sapientiam* antiquiori Philoni tribui debere, cùm Eusebius in præparatione, & Theodoretus contra Græcos, Philonis alterius frequentem mentionem faciant, quem Biblicum nominant, quod liber eius inter alia sacra Biblia locum habeat (sic ipse interpretabatur) & in recẽtioris Philonis breuiario (si eius haberi conuenit) Philon antiquior nominatur ante Christum 160. annos æqualis Oniæ sacerdotis magni. Itaque Hieronymus, qui *sapientiam* Philoni Iudæo tribuere videtur in prologis, cum eius Philonis, qui post Christum vixit, scripta commemorat libro de viris illustribus, nullam de libro Sapientiæ mẽtionem facit. Libri prophetarum ab ijs, quorum nomina præferunt, omnes putantur scripti: tamen Isidorus affirmat Ezechielem & Danielem à viris quibusdam sapientibus fuisse conscriptos. Isaac Harama Iudæus præfatione in Cantica, scribit viros synagogæ magnæ Ezechielem, & prophetas duodecim, Danielem etiam & Esther scripsisse, quod vellem valido aliquo argumento, aut maiori auctoritate fulciret: nam librum Esther Esdræ Isidorus tribuit, cui magis assentiebar. Iosephus lib. X. antiq. cap. VI. & Zonaras annalium lib. I. Ezechielem aiunt duos libros scriptos reliquisse de Babylonica captiuitate. Ex his fortasse ij, quos diximus, crediderunt à sapientibus Synagogæ librum Ezechielis qui extat, fuisse conflatum. Hieronymus prętatione in Malachiam non leui argumento confirmat eum prophetam Esdram fuisse mutato nomine, id sequitur August. lib. XX. de ciuit. Dei cap. XXV. eamque vnam extitisse causam putant, cur inter prophetas postremo loco ponatur. De Baruch magna quæstio est, Hebraicè nusquam extare Hieronymus auctor est. Origenes eius vaticinij auctorem Hieremiam ipsum nominare videtur, cùm apud Eusebium Græcè lib. VI. histor. cap. XXV. ait: Hieremias cum lamentationibus & epistola vno nomine & vno libro, ἱερεμίας σὺν θρήνοις καὶ τῇ ἐπιστολῇ ἐν ἑνὶ ἱερεμία. Epistolæ nomine haud dubium Baruch vaticinium intellige. Atque ea causa extitit cur à veteribus ferè in catalogo librorum sacrorum de Baruch mentio propriè non fiat, quòd Hieremiæ certè tribuerent. Reliqui sunt ex veteri testamento tres modo libri Iudith &

Tobias & Machabæorum libri, quibus ij auctoribus conscripti sint, minimè constat, ac verò quibus temporibus vixerint Tobias, Iudith, atque Esther magna concertatio est, neque necessarium hoc loco omnia explicare. Quidam Machabæorum libros duos (nam tertius apocryphus est) Iosepho Iudæo tribuunt (quem Galatinus etiam in Christianorum numero ponit pari cum Philone conditione) duobus Hieronymi testimonijs inducti; alterum de viris illustribus, *conscripsit* dicentis, *Iosephus librum elegantem, in quo Machabæorum sunt digesta martyria*; alterum desumunt ex lib. 2. contra Pelagianos, vbi Hieronymus ait, *Iosephus Machabæorum fertur scriptor historiæ*. Sed extat separatum Iosephi opus de septem Machabæis nuper in lucem Græcè Latineque datum, & constat non eundem vtriusque libri Machabæorum auctorem extitisse ex mutato ordine historiæ, atque multis rebus repetitis argumēto certissimo, & in his libris Iasonis quinque libros summa esse comprehensos, eorummet testimonio docemur. Hi sunt veteris testamenti libri. De nouo magis expedita disputatio est. De Euangelijs præsertim, Actis Apostolorum, tredecimq; Pauli epistolis ab auctoribus, quos præferunt fuisse compositos. Nam quarta decima epistola, quæ est ad Hebræos, an à Paulo fuerit conscripta, primis temporibus est dubitatum. Arriani constanter negabant, nempe eorum causam in primis iugulantem. Sic scribit Epiphanius hæresi LXIX. Verum antiquissimi patres eam epistolam Pauli nomine citarunt; & Clemens Alexandrinus atque Origenes apud Eusebium libr. VI. histor. Ecclesiast. cap. XI. & XIX. eam manifestè Pauli esse affirmant. Grecè à Luca redditam Clemens ait, argumento ex styli similitudine cum Actis Apostolorum; quo minus elegantia epistolæ abuti debent aduersarij, vt eam Paulo detrahant: multo minus, quod dictiones Hebraicas fuerit interpretatus, vt Melchisedech, cùm interpretatur rex iustitiæ, cùm id etiam interpreti tribui consentaneum sit, nam quod nomen suum initio epistolæ non præposuit, vt inuidiã amoueret, qua apud eam gentem flagrabat, factum, Clemens auctor est. Testimonia veteris testamenti ex septuaginta interpretatione citantur, quoniam ea interpretatio, non minus quàm libri Hebraici Iudæis erat eo tempore familiaris, vsque eo, vt in Synagogis eorum publicè legeretur, auctores Tertullian. in Apologetico cap. XVIII. Iustinus oratione Parænetica contra gentes. Iustinianus Imperator sua fieri ætate testatur. Nouella 146. & maior Iudæorum pars inter gentes ac Græcos dissipata vitam agebat. Quinque epistolas canonicas, de quibus fuit etiam olim dubitatum, Iacobi epistolam, & Iudæ, duas Ioannis, Petri alteram ijsdem auctoribus fuisse conscriptas veteres ac recentes Conciliorum catalogi diuinorum librorum aiunt. Concilij Carthaginensis III. Laodiceni, Florentini, Tridentini, Innocentij, Gelasij, Isidori, Augustini, Damasceni. Apocalypsim quidam tribuebant Ioanni cuidam seniori: resistūt maiori numero & auctoritate patres. Origenes loco paulo antea adducto de Ioanne ait. *Scripsit item Apocalypsim, in qua præcipiebatur illi vt conticesceret, & septem tonitruorum voces minimè omninò scribere, epistolam etiam reliquit, eamq; perbreuem, verum esto, quod secundam quoque & tertiam texuerit*, &c. Mitto alios. Epiphanius hæresi LXXVI. texens catalogum diuinorum librorū, sic ait. *Viginti & septem veteris testamenti libros, qui viginti duo ab Hebræis numerantur & quatuor Euangelia; & quatuordecim Epistolas sancti Apostoli Pauli, & vna cum Actis Apostolorum ante hæc & in eisdem temporibus factis, etiam Catholicas epistolas Iacobi, & Petri, & Ioannis, & Iudæ, & Ioannis*

Apocalypsim, *& sapientias Salomonis inquam & filij Sirach:* Neque plura de A
auctoribus diuinorum librorum: de auctoritate disputare nõ attinet auctoribus designatis, disputatio magis impedita est, quam hoc loco necessaria. Eugenij III. Toletani catalogum diuinarum scripturarum versibus, vt eius sæculi, comprehensum, ad calcem huius disputationis adijcere visum est (quoniam vulgo non circunfertur) in studiosi lectoris gratiam. B

Regula quos fidei commendat noscere libros
Hos nostra præsens bibliotheca tenet
Quinque priora gerit veneranda volumina legis
Hinc Iosue Sophtimque, hinc Ruth Moabitica gesta.
Bis bini regum nectuntur in ordine libri
Atque bis Octoni concurrunt inde prophetæ. C
En Iob Psalterium, Salomon, & verba dierum
Esdra consequitur, Ester, sapientia Iesu
Tobia & Iudith concludit Machabæorum
Hic testamenti veteris finisque modusque: D
Nunc reserare libet carmine scripta noui.
Quatuor in capita sacrorum dicta librorum
Quos Euangelia rectè dixêre priores
Hæc conscripsêre clara quos nomine produnt
Matthæus, Marcus, Lucas sanctusque Ioannes, E
Hinc Pauli monita doctrina floreque corruscant
Qui bis septeno concludens fine volumen
Corda pia mulcet, & terret impia corda.
Iacobus hinc nitido præpollens ore nitescit,
Et Petri gemina resplendet epistola dictus.
Ac triplex legitur magni doctrina Ioannis,
Paruaque, sed prudens gestatur pagina Iudæ.
Hinc & Apostolicos percurrens inuenit actus
Quos sanctus merito conscripsit nomine Lucas.
Hos sequitur plena verbis, & plena figuris
Visio Ioannis consummans omnia legis.

CAP. V.

De citationibus Apostolorum & Euangelistarum.

VEteres ac nouos scriptores diuinorum librorum pari ac consona voce fuisse locutos, tantumque in ratione tẽporum discrepare præteriti, instantis, futuri, argumento est multa ex veteri testamento in nouo citari testimonia, vt non paucis locis videatur nouum ex veteris sentẽtijs & verbis esse compactum. De his citationibus quam rationem Apostoli & Euangelistæ tenuerint disputare conuenit, de quibus Hieronymus prologo in Pentateuchum, & de optimo genere interpretandi ad Pammachiũ Apostolos sæpè ait veteris testamenti nõ pauca ex Hebraicis codicibus testimonia citâsse, quæ in versione septuaginta interpretum non extabant, quale illud est Matth. 2. ~~*quandoquidem*~~ *Nazaræus vocabitur*, atque illud eodem cap. *ex Aegypto vocaui filium meum*, & Ioannis 19. *videbunt in quem transfixerunt*, & primæ ad Cor. 2. *quod oculus non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum*: quos locos in Hebraicis codicibus legi ait, in septuaginta versione extare negat. Rursus manifestum est, tametsi alicubi Hieronymus reclamet, lib. II. apologiæ contra Rufinum, multa in

nouo

nouo testamēto ex versione septuaginta interpretū adduci, quæ in Hebraicis codicibus haudquaquam reperiantur. Nam illud Matth.24. ex Daniele desumptum, *cū videritis abominationem desolationis*, & illud ad Rom.10. *In omnem terrā exiuit sonus eorum*, vbi Hebræi habent Ps.18. exiuit regula eorum, deindè 1. ad Cor.15. *vbi est mors victoria tua?* & ad Heb.10. *Iustus autem meus ex fide viuit*, & c.11. eius epistolæ, *Fide Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ eius*. Prętereà Act.13. *Videte contemptores, & admiramini*, aliaque innumera ex veteri testamēto adducta testimonia atque in nouum transfusa, hæc inquam omnia in Græcis codicibꝰ modò sunt, in Hebræorum libris vbi inuenias! nimirū vtrosq; codices Hebraicos & Græcos perpetuò Ecclesiæ esse cōmendatos voluerunt Apostoli, quorū testimonijs tanquam diuinis ipsos esse vsos non poterat ignorare. Deindè diuinorum librorum plures esse sensus ac significationes, neque mysticos tantummodo, sed etiam plures aliquando litterales manifestum est, quod quandoquidem ex Augustini sententia S. Thomas confirmat, p.p. Summæ. q.1. art. vltim. estq; receptissimū inter Theologos, pluribus confirmare superuacaneum est. Sed neq; illud dubium est Apostolos sæpè, aut ex duplici sensu litterali elegisse alterum, aut etiam aliquando mysticum sensum fuisse secutos, quod cū multis Theologorū testimonijs cōfirmari possit, exemplis illustrare satis habeo, atque ita vt nemini ampliùs in re apertissima dubitandi locus relinquatur. Nos typi significationē hoc loco inter sensus mysticos numeramus S. Thomā secuti, quodlib. VII. artic. XV. in corpore & ad 1. tametsi quosdam secus statuere nō ignorem haud magno inter vtrāq; sentētiam discrimine; ac satis habeā si cōcedatur loci vniꝰ plures esse sensus literales. Exempla ponamus. Matth.2. cap. affert ex Oseæ 2. c. *Ex AEgypto vocaui filium meum*. Quę verba Hieronymus cōmentarijs ad eum locum Oseæ, & S. Tho. in Matthæum de liberatione Iudaici populi ex AEgypto intelligunt, atque explicant simpliciter, de Christi aūt fuga τυπικῶς. Neq; alij expositores dubitāt apertius dicere nō ἱστορικῶς citari & intelligi de Christo, sed μυστικῶς. & Gregorius Nyssenus apud Euthymium de ipso quidē Israël dici ait, verum in multis exemplaribus non haberi, nimirum fraude Iudæorum post promulgatum Euangelium resecatum. Quid verò si ego dicerem de vtrisq; intelligi iuxta historiam? & vtrumq; fuisse propositū Prophetę explicare, tum populi liberationem ex AEgypto, tū Christi ex AEgypto regressum: nam video etiā Iudęorum antiquissimos ea verba de Messia accepisse, quasi prędictū esset, fore vt in AEgyptū descenderet, atq; inde reuocaretur. De qua re Galatinus disputat lib. VIII. contra Iudæos cap. IV. Neque ignoro nostra ætate quosdam de scripto confirmare totum hunc locum non Iudæorum liberationē, sed Christi tantùm regressum significare, quæ sententia vel eo nomine Catholicis viris minus placere debet, quod princeps eam inuenerit Osiander. Deindè D. Petrus Act. 2. affert ex Ps.2. verba illa de Christo *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania*, atque ita acceperūt veteres omnes patres, sed & antiqui Rabbini teste Rabbi Selomo initio explanationis eius psalmi his verbis המשיח רבותינו דרשו את הענין על מלך, hoc est, magistri nostri explicarunt de rege Messia, Iudæi recētiores, & ex nostris nōnulli explicant de Dauide, nescio aūt quid vetet de vtroq; intelligi secundùm historiam, & hostium vtriusq; cōiurationē ijsdē verbis declarari, cū sit fœcunda scriptura diuina, mira sententiarū varietate grauida, & Dauid rex typū expresserit Christi. Sed maiori argumento rē vniuersam confirmat locus ex Isai.42. c. adductus Matthæi 12. *Ecce puer meus quē elegi, dilectꝰ meus in quo benè cōplacuit*

cuit anima mea. Quæ verba Hebraicè quidem extant, pro illis tamen Græci codices habent: *Iacob puer meus assumã eum, Israel electus meus suscepit eũ anima mea*, argumẽto certissimo quãdo vtrosq; codices recipit Ecclesia tãquã sacros diuinosq;, de vtrisq; Christo atq; Iudaico populo locũ prophetæ intelligi atq; explicari posse, neq; quod Christus, aut Apostoli vnam significationẽ amplexi fuerint, repudiari alterã; qꝫ video quendã virũ nõ indoctũ nostræ ætatis magno animo contra disputantẽ, tanquam in tactã foueã præterijsse. Tũ illud 1. ad Cor. 10. *bibebant autem de spirituali consequẽte eos petra, petra aũt erat Christus*, & illud Ioan. 3. *Sicut Moses exaltauit serpẽtẽ in deserto*, & illud ad Gal. 4. *quoniã Abrahã duos filios habuit*. Tũ illud, *os non cõminuetis ex eo*, quis neget aut ad allegoriam omnia pertinere, aut certè non tantùm de his rebus intelligi de quib. Christ⁹ & Apostoli ea testimonia explicant. Opponet aliquis ex Origen. lib. III. cõtra Celsum à Iudæis accusari quosdã ex sua gente se ad Christum ob inanes allegorias adiunxisse, Deo verò & antiquis prophetis relictis, & Tertullianus de resurrectione carnis c. XX. iuxta sectionẽ Pamelij extitisse ait, qui cõtẽdebant omnia prophetas per imagines cõcionatos, hæreticos certè maleq; de diuinis scripturis sentiẽtes. Rectè, neq; enim nostra ea sententia est, omnia allegoricè accipiẽda, multa enim historicè, ac ferè quib. aduersarios reuincim⁹ accipi debere putam⁹, apertè de Christo dicta, ex quib. allegorijs etiã fides conciliatur, sic Tertullianus capitibus consequentib. in eo libro, multa allegoricè de Christo dicta producit testimonia, multa Origen. lib. IV. contra Celsum his verbis. *Quo magis autem appareat meram esse calumniam, quod Celsus ait, scripturas nostras non admittere allegoriã, paucà è multis exempli causã proferã, apud Paulum Iesu Apostolũ, sic legitur. In lege scriptum est, nõ obturabis os boui trituranti*, & quæ in hanc sententiã sequũtur. Tum August. cõtra Faustum lib. XII. c. VII. & VIII. & XLI. & XLII. contendit in veteri testamẽto multa vtroq; modo de Christo dicta inueniri iuxta historiã, nẽpè & allegoriã. Opponas secundo, non licere eiusdẽ loci in nouo testamento adducti à Christo, aut ab Apostolis explicati: alias significationes afferre, ex Hieronymo ad cap. XIII. Oseæ illa verba, *Ero mors tua ô mors*, dicente, *quod Paulus de resurrectione interpretat⁹ est Domini, nos aliter accipere nec possumus, nec debemus*, & Amos c. 9. ad illa verba. *Suscitabo tabernaculum Dauid*, &c. *vbi Apostolorũ, ait, præcedit auctoritas, maximè Petri & Iacobi, quos columnas Ecclesiæ, vas electionis vocat, ibi omnis variæ expositionis tollenda suspicio est.* Nos equidem nouas expositiones temerè adduci, præsertim his locis, qui nouo testamento explicati sunt, non probamus, præsertim si nõ nouæ modò sint, sed aduersari etiã receptæ expositioni videãtur, ac ne locis quidẽ omnibus recipimus varias explicationes discrepantesq; ab ijs, quas Christus & Apostoli ac Dei Ecclesia sunt secuti; in quo nonnullos expositores diuinarum scripturarũ nostris & antiquis temporibus peccasse non negamus. Sed certè verba illa Psal. 68. *Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui habitet in ea*, q̃ D. Petrus Acto. 1. cap. ad Iudam proditorem retulit, numero etiam multitudinis in singularem numerũ mutato, quid prohibeat cum Hieronymo & Augustino de vastitate Hierosolymæ explicare? cum ipsa psalmi verba numero multitudinis concepta vel maximè huic explicationi faueant. Hæc autem quæ hactenus dicta sunt, duas res consequi necesse est. Primùm nõ ita Ecclesiam alicuius loci vnam lectionem probare vt diuersam lectionem improbet: neq; enim Apostoli cum testimonia ex septuaginta interpretibus afferebant, quæ nõ ignorabãt sec⁹ in Hebraicis codicib. extare, aut è cõtrario diuersã lectionẽ discrepantẽ ab ea q̃ ipsi vsurpabãt, cõti-

nuò

nuo codemnarunt. Ne Ecclesia quidem, cum vtrosq; codices, vt dictum A est, amplectatur, & diuersam sæpè lectionẽ in diuersis locis sequi consueuerit. Verbi gratia, illud ex Ps.67. citatum à Paulo ad Ephes.4. *Ascendens in altum, captiuã duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*, Ecclesia in precibus quotidianis, legit, *accepisti dona in hominibus*. Et Ps.93. *Dominus scit cogitationes hominũ*, apud Paulum 1. ad B Cor.3. legimus. *Dominus scit cogitationes sapientium*. atq; quod amplius mirere, cũ Hieronymus ad Gal.3. in ea verba: *Maledictus omnis qui nõ permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis*, multis probet ex Deut. cap.27. ver.26. à Paulo desumpta, & à Iudæis esse vitiata expuncta dictione, *omnibus*, in qua vis argumenti tota, quo Paulus vtebatur, est posita; ita tamen C Ecclesia lectionem, quam Hieronymus probat amplexa est, vt diuersam nunquam reiecerit, sed retineat in editione vulgata Deuteronomij, qua vsa tamdiu est, & quam probauit Ecclesia. Et cum Iustinus cõtra Triphonem asserat Iudæos ex Ps.96. vbi legimus. *Dominus regnauit*, expũxisse vocem quæ sequebatur, *à ligno*, ita Ecclesia in hymno de cruce & quibusdam D psalterijs quarundam Ecclesiarum, certè Romano & Gothico, Iustini lectionem secuta est, vt alteram quã Iustinus vitiatam esse arbitratur, nõ modo in Græcis, Latinis, & Hebraicis codicibus retineat, verum etiam in breuiario Romano. Anguste ergo iudicat de Ecclesiæ amplitudine & religionis nostræ maiestate, quicunque E loci alicuius lectionem vnam in Ecclesiæ precib⁹, aut libris Ecclesiasticis vsurpari cõsiderans, cõtinuò omnes alias fore repudiandas pronunciat. Deindè illud etiam ex ijs, quæ dicta sunt, colligatur quod Apostoli quod Ecclesia locum scripturæ aliquem in aliquo sensu afferant non continuò effici, aut eum sensum historicũ esse, aut cęteros omnes fore repudiandos ac illos pręsertim, qui seruata linguę proprietate atque lectionis quę in vsu est integritate, ex Hebraicis codicibus exprimuntur, neq; merito accusari interpretem Hebraicorũ Gręcorumve librorum, si diuersum sensum reddat, ac ne si contrarium quidem, vt Genes.8. vers.7. de corui reditu & 1. ad Cor.15. vers.51. de mortuorũ suscitatiõe fieri necesse est (nam fortassis Hebraici, Græciq; codices sunt vitiati, quos ipse non debet immutare, sed fideliter conuertere) omninò ab interprete librorũ sacrorum exigi debet, vt si Hebraica aut Gręca verba & lectionis integritas patiatur, poti⁹ faueat ei lectiõi, atq; eam sentẽtiam exprimat, quam Christus, Apostoli & Ecclesia maximè amplecti videntur atq; probare, qua in re nouos quosdam interpretes diuinorum librorũ in suis versionib. sæpè peccasse, postmodum commodius fortassis explicabimus.

CAP. VI.

An aliquid sensu humano sit in sacris litteris positum.

CVm multa sint de citationib. dicta ac multo plura adijci possẽt; vnã tantũ quæstionẽ disputare cõstitui: ea ẽst an in diuinis libris credam⁹ cõtineri aliquid spiritu humano, sensuq; dictũ, atq; adeò errori obnoxiũ, cui subiecti sum⁹ ac vanitati, nos nostraq; nisi superiori prudentia regamur, ductuq;. Est quidem nefas de diuinorũ librorum veritate dubitare, quorũ Deus ipse auctor est, vt mortis & interitus expers, ita ab omni mẽdatio alienus. Anomęi erãt, qui vti Epiphanius refert, cum diuinis Prophetarum & Apostolorum testimonijs premebantur, eos vt homines fuisse locutos excusabant. Paulus autẽ 2. ad Thim. c.3. *scripturam diuinitus inspiratã* esse ait. Petrus 2. c.1. Spiritu sancto inspiratos locutos esse sanctos Dei homines affirmat. Dauid aliquando eloquia domini casta esse ait, aliquando affirmat Deum fidelem in omni-

omnibus verbis suis. Accedunt patrũ testimonia. Origenes homil. XXVI. in Num. Spiritum sanctũ scribit esse eum qui loquitur in scriptura. Chrysost. hom. XXV. in Gen. negat, quę in scriptura sunt, leuiter transigenda, cũ nihil in ea scriptum sit, quod nõ multas sensuũ habeat diuitias; nempè ab Spiritu S. conscripta ingentem in se continet thesaurum. August. de consensu Euangelistarum lib. I. & II. Prętere a copiosius lib. III. c. XIII. cõtendit, Spiritũ S. Euangelistis verba suggessisse, ipsumq; adeò narrationis ordinẽ; & epist. VIII. & XIX. in scripturis diuinis vel leuissimũ mẽdaciũ sine crimine admitti nõ posse, ac solis diuinarum scripturarũ libris eũ honorem deferendum, vt nullũ eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credamus, quod est à Gratiano inter decreta relatum, dist. IX. c. Ego solis. Sed quid opus est in re aperta testib⁹ vti minimè necessarijs! Neq; dubiũ est, mẽdacia nõ pauca in diuinis libris narrari, sed eorum verbis explicata verissimè à quib⁹ dicta sunt, cacodæmõis, stultorum hominum, Iudęorum, cõtra Christũ & Apostolos. De Legib. tantũ & citationib. disceptatio est, an humano sensu & auctoritate sint certæ aliquæ in diuinis libris positę; quæ duę res nõ magis difficultate sua quàm varietate loquentiũ sunt impeditæ. Leges quidẽ quasdam à Moyse & Apostolis fuisse promulgatas non ex ipso Dei ore, sed pro ea quã ipsi acceperunt potestate multa persuadent. Hieremias enim c. 7. vers. 22. *Non sum*, inquit, *locutus cũ patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra AEgypti, de verbo holocaustomatum*, quib⁹ verbis Irenæus vtitur lib. IV. c. XLIX. ad cõfirmandum quædã in scriptura esse sancita ab hominibus ipsorũ auctoritate; & Christus ipse apud Matthæum c. 19. vers. 7. *Moses*, inquit, *ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras, ab initio autem nõ fuit sic*: quę verba explicans Hieronymus cõmentarijs ad eũ locum, non Deus

A sed Moses permisit, non est ergo Dei consilium, sed Mosis præceptum; & Ambrosius lib. VIII. in Luc. c. 16. ijsdẽ verbis productis ait, *ostendit hic locus quæ propter fragilitatẽ humanã scripta sunt, nõ à Deo esse scripta*. Deindè Paul⁹ 1. Cor. 7. cũ dixisset, *ijs autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed dominus, vxorẽ à viro nõ recedere*, subiecit, *nam cæteris ego dico non dominus, si quis frater vxorem habet infidelẽ* &c. quo quid clarius in hac parte dici possit non video. Itaq; Origen. hom. XVII. in Nu. qdã affirmat à Prophetis addita de suo, q à Deo nõ acceperãt, vt cũ Ionas dixit *adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*, cũ Deus tantũ præcepisset vt Niniuitis vaticinaretur. Addit prętereà Mosẽ in lege quędã ppria auctoritate sanxisse. Sed præstat quædã Origenis verba ex eo loco producere. *Deniq; & per Mosem multa quidẽ locutus est Deus, aliquanta tamẽ et Moyses propria auctoritate mãdauit, quod Dominus in Euangelijs euidentissima distinctione secernit, cũ dicit de repudio mulieris interrogatus: quia ad duritiam cordis vestri scripsit vobis hæc Moyses, ab initio aũt non fuit sic.* quod sequitur Basilius lib. V. contra Eunomiũ c. penultimo, nosq; cũ Catherino disputatione de residẽtia Episcoporũ eãdẽ sentẽtiã amplectebamur, amplectimurq; tãtorũ virorũ inducti auctoritate, quãuis multis oppugnãtib⁹, quorũ sententiã confirmare licet his argumẽtis; q Adã de cõiunctione viri & fœminæ in extasi pnũciauit, Genes. 2. ea à Deo fuisse dicta, Christus ait, Math. 19. c. Quid ergo phibeat, verba Moysis & Pauli, q diuino spiritu agebãtur, à Deo fuisse dicta, omnia interpretari. Deindè qa si sensu humano quædã dicta fuisse admittimus, errori ea fuisse obnoxia fateamur necesse erit, vt sunt oẽs homines, humanaq; omnia fallacia. Nam quod Hieronym⁹ pręfatiõe in epistol. ad Philemonẽ, & in Mich. c. 5. ex aliorũ sentẽtia ponit, Scriptores sacros non semper diuino spiritu fuisse locutos, sed quędã humanit⁹ miscuisse, vti est

illud,

illud, *penulam quam reliqui Troade affer. Lucas est mecum solus. Trophimum reliqui infirmum*, ac alia id genus, à sanioribus repudiatur. Et censura Parisiẽsi titulo VIII. damnatur Erasmus, quod maioris auctoritatis esse affirmârit, quę à Christo quam quę ab Astolis dicta sunt. Ad hæc. Si leges alique essent humana potestate ꝓmulgatę in diuinis libris eas abrogare, antiquareq; nihil vetaret. Postremò Epiphanius hæresi XXXIII. Ptolemæum quendam ait affirmâsse legem Mosis trifariam fuisse diuisam, nempè quædam ab ipso Deo fuisse sancita, quædam à Mose, alia à senioribus addita, qua diuisiõe explicata negat Epiphanius legem trifariã diuisam: nam *seniorũ traditiones in sacris libris non continentur, quæ vero à Mose, neq; ipsa extra Deum sancita sunt, sed ex Deo per Mosem*, quæ sunt ipsius Epiphanij verba. Verùm eius auctoris verbis nos aliorum patrum opponimus auctoritatem. Quod de Adamo affertur parum mouet; functus est enim in ea extasi prophetæ officio. Moses & Paulus legislatorum munere fungebantur, cõdendo nonnullas leges ex auctoritate humana, tametsi eam à Deo acceperant, vti nostri Pontifices cum Ecclesiasticas leges promulgãt. Credimus autem ipsos, qui leges condiderunt noluisse eas abrogari, quãdo in diuinis libris illas immortalitati consecrabant, tametsi non ignoramus bigamos nonnunquam sacris altaribus fuisse admotos venia Pontificum, ac cõtra seu præter præceptum Pauli mãdantis, vti vnius vxoris vir sacris Christianis præficiatur. Tum lex ab Apostolis lata de sanguine & suffocato ante multos annos antiquata est. Errorem ijs legib⁹ condendis admittere nefas sit cum diuino spiritu etiam ea parte tũ Moses, tũ Apostoli regerẽtur, quod Romanis etiam Pontificibus tribui videmus, vt legibus præsertim, quæ maioris momenti sunt sanciendis, falli posse non putemus, ac multo minus scriptores sacri falli poterant cùm in

A diuinos libros eas leges cõferebant, nõ iam vt legislatores, sed vt scriptores sacri, quorum calamus haud dubium à diuino spiritu regitur, ne aberret in minimis, in maximis. Hæc de legibus. De citationibus pauca adijcienda sunt. Sanè non semper Christum & Apostolos verba obseruâsse, sed sententiam fuisse secutos tãtummodo, eorum testimoniorum quę citabantur, magna argumenta sunt,
B nam neq; ipsa verba Christi Euangelistæ retulerũt eodem prorsus modo & ordine, vti exempla multa docẽt. Matthæi certè cap. 5. octo beatitudines numerãtur, atq; eæ in tertia persona positę. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnũ cælorum.* In Luca numerantur quatuor, eęque in secunda persona conceptæ. *Beati pau-*
C *peres, quia vestrum est regnũ Dei.* Hieronym⁹ de optimo genere interpretandi multa in hanc rẽ exempla congerit, inter alia Matth. 26. *percutiam pastorem*, cum Zach. 13. cuius ea verba sunt, non ex persona Dei vt in Euangelista, sed Prophetæ Deum rogantis dicãtur in Hebræo & Græco, *percute pastorem & dispergentur oues*. Idẽ Hieronymus Isaię 7. in multis, inquit, te-
D stimonijs, quæ Euangelistæ vel Apostoli de libris veteribus assumpserũt curiosius, attendendum est, non eos verborum ordinem secutos esse, sed sensum. & Euthymius Matth. 3. *vniuersaliter*, inquit, *scire oportet, Euangelistas interdum quidem integrè dictorum mentionem facere, aliquando verborum quidem sensum integrè seruare, quasdam verò dictiones mutare, quan-*
E *do id in nullo sermonem potest corrumpere.* Plura cum possemus afferre in hanc sententiam, non credimus forè necessarium. Qui cõtra disputant cõtentiosi homines, ne verbum quidem commutari in citationibus suadentes, nę magnis se ambiguitatibus implicant, duplicẽ lectionem in diuinis libris olim fuisse fingẽtes, nullius auctoritate, nullo argumento. Ex ijs alteram extare in veteri testamẽto, in nouo citari alteram, quo fit vt

cum plures vna lectione veræ esse nō possint: vno enim modo scriptores sacri non pluribus scripserunt, asserendo ad hūc modum citationum veritatē, fides euertitur veteris testamenti, Hebraicè, Græce & Latine cōscripti, quibus locis ijs omnib. linguis discreparit à verbis, q̄ in nouo testamento citata inueniuntur. Quanto simplicius ac facilius si Apostolos nō verba secutos fuisse, sed sententiam fateamur. Nam quod quidam addūt memoria lapsos Apostolos, vnū pro altero aliquādo posuisse, mens refugit cogitare. Quid enim hoc esset nisi diuinis scripturis contumeliā facere? Tametsi Hieronymum videmus ardore disputandi id affirmasse aliquādo de optimo genere interpretandi ad Pammachium, Micheæ 5. ad illa verba, *& tu Bethlem Ephrata: sunt*, inquit, *qui asserant in omnibus pene testimonijs, quæ de veteri testamento sumūtur, istiusmodi esse errorem, vt aut ordo mutetur, aut verba, & interdum sensus quoq; ipse diuersus sit, vel Apostolis, vel Euangelistis nō ex libro carpentibus testimonia, sed memoriæ credentibus, quæ nonnunquam fallitur.* Quod hoc loco alienis verbis posuit, in fine primi libri in epistolam ad Gal. ex sua sentētia videtur ponere. *Hoc autem*, inquiens *in omnibus penè testimonijs quæ de veteribus libris in nouo assumpta sunt testamēto obseruare debemus, quod memoria crediderint Euangelistæ vel Apostoli, & tantum sensu explicato sæpè ordinem commutauerint: nōnunquam vel detraxerint verba vel addiderint.* pari libertate Euthymius in Matthęi 20. cap. postremis verbis, & Theophylactus prologo in Matth. loquuntur, quos imitari certè nō debemus, nec adscribere ijs mendacium, quorum mentes diuino instinctu & calamus agebantur, tametsi multis argumentis eorum sentētia confirmatur è quibus pauca exempli causa proferamus. Apud Marcum 2. c. princeps sacerdotum *Abiathar* vocatur, qui 1. Reg. 21. fuit *Achimelech*, sed respōdet Theophylactus ipse, aut Abiathar binomium fuisse, dictumq; etiā Achimelech, aut Achimelech sacerdotē fuisse, vt in libris Regū dicitur. *Abiathar pontificem*, vti in Marco ponitur, aut cum Beda lib. I. in Marcū cap. 20. licebit nodum dissoluere, si quo tempore Dauid panes ꝓpositionis sumpsit, dicamus vtrumq; affuisse, Achimelech patrem, & Abiathar filium, alterius mentionem in libris regum factam, alterius in Marco qui pontificatus munere, scilicet pro patre vicarius vtebatur, & maiori fama celebratur Dauidem exilij tempore secutus. Alterum argumentū desumitur ex actis 7. cap. vbi Iosephum dicitur accersisse cognationem suam *in animabus septuaginta quinque*, cum Gen. cap. 46. & Exod. 1. referantur tantùm *septuaginta*. Verùm Actorum verba, vel ex septuaginta interpretibus sunt posita, qui 75. animas numerāt comprehēso S. Ioseph & filijs eius, & fortassis Hebraica vti nonnulli contendunt ea parte sunt vitiata, aut certè quod alij malunt verba illa nō D. Lucæ scriptoris sunt, sed Stephani, qui quamuis diuino spiritu plenus, citandis veteris testamenti locis labi potuit, martyris enim, non scriptoris Catholici munere fungebatur. Tertium argumentum ex Matth. 2. cap. conflatur: vbi testimonium Mich. 5. cap. *& tu Bethlem Ephrata paruulus es in milibus Iuda*, addita negatione citatur, *nequaquā minima es*, quod simplissimè refellatur si cū Hieronymo in Michæam consideremus ea verba scribarum fuisse, quorum negligentiam in diuinarum scripturarum lectione Matthæus arguere voluerit. Verùm negare possumus Michee locum affirmatiuè legendum, tametsi modo Gręca & Hebraica discrepent. Isidorus certè lib. I. contra Iudæos c. XI. addita interrogatione legit, *& tu Bethlem Ephrata nunquid paruula es, in milibus Iuda?* quæ lectio Gothorū tempore vsitata in Hispania fuisse videtur, cū biblia Gothica, ante sexcentos ampliùs annos cōscripta, quæ in Toletano tēplo seruātur, ita legant.

Prætereà Iulianus lib.I.cōtra Iudęos, niſi ꝙ genere maſculino dixit, *nunquid paruulus es?* Alij cum negatione legũt. Hieronymus in ipſa verſione ſeptuaginta, *nequaquā minima es* habet. Cyprianus II. contra Iudęos cap. XI. *non exigua es, vt conſtituaris in milibus Iuda*. Origen. I. contra Celſum, *& tu Bethlem Ephrata non es minima, vt ſis in milibus Iuda*. Ipſemet Iſidorꝰ lib. II. contra Iudæos cap. III. Micheę locum afferens *non es*, inquit, *minima in milibus Iuda*, quæ ſi vera ſunt, fateri oportet Hebraicos Micheę codices eſſe vitiatos, ſeptuagintaq; olim atq; veteres locum eũ, vt eſt in Matthæo legiſſe, tametſi quidam noſtra ætate Matthæũ cum Michea ita cōciliant, vt dicant Hebraica hoc modo interpretanda, & tu Bethlem Ephrata parum (ſupple eſt tibi) vt ſis in milibus Iuda, nimirum vocem, Zahir, Hebraicam pro qua alij paruula, ſeu paruulus reddiderunt, hi neutro genere ſumi malunt, quorum ſententiam neque refellere, neq; cōfirmare hoc loco animus erat. Multa prætermittantur neceſſe eſt, illud adijciam tãtùm à quibuſdam reprehendi, quod Paulꝰ Act. 17. cap. inueniſſe ſe affirmauit Athenis aram in qua ſcriptum erat, *Ignoto Deo*; contendentes eam aram nō ignoto Deo inſcriptã, ſed potiùs *Dijs Aſiæ & Europæ & Africæ, Dijs ignotis et peregrinis*, vti Hieronymus refert in c. I. epiſtolæ ad Titũ, & Pauſanias in Atticis ait. *Ara præterea & Deorum & Heroum, qui ignoti vocantur*. Itaq; Paulum mutato numero eam inſcriptionem vertiſſe aiunt ad occaſionem diuini nũminis prædicandi. Nos tamē credimus magis arã ignoto Deo fuiſſe dicatã: nam Michaël Syncellus in Encomio Dionyſij Areopagitæ, viſa inquit, eclypſi, q̃ in morte Chriſti contigit contra naturæ ordinem, Athenienſes verti naturæ vices putãtes virtute aliqua occulti numinis aram ignoto Deo excitâſſe, eoq; Paulum alluſiſſe. Et Lucianus In dialogo cui nomen eſt Philopatris iurat per ignotum Deũ Athenis, & in ea vrbe inueniſſe ſe ait, & adorâſſe ignotum Deum. Eam aram deſcriptam elegãtiſſimè quidam putant ab Statio Thebaidos lib. XII. cum ait. *Vrbe fuit media nulli conceſſa potentum ara Deûm*, & quæ ſequũtur: Pauſanias parum mouet, nam multas aras fuiſſe ait ignotis Dijs ſacratas, fortaſſe cum ſingulæ ignoto Deo eſſent inſcriptæ. Hieronymus qua ſolet libertate pronuntiandi hac etiam in parte eſt vſus. [redacted]

Supereſt an credere debeamꝰ ſcriptores ſacros non modo falli nō potuiſſe in magnis, in minimis, ſed & cōcedendũ ſit Spiritu S. dictante ſcripſiſſe omnia. Sũt enim viri docti & Catholici, qui vtroq; modo contigiſſe confirmant: pleraq; in flatu ſpiritus diuini excepiſſe ſine vlla cura aut labore. Quomodo Dauid dixit. Lingua mea calamus ſcribę velociter ſcribētis Pſ. 44. Alia ex memoria deprompta ſcribentis, ex ratione, experimento, aut aliorũ ratione, ſemper tamen ſpiritus numine præſenti ne lapſus cōtingeret. An ſpiritus diuini inflatu eguiſſe Paulum credamus, vt diceret *Trophimum reliqui infirmum, & Lucas eſt mecũ ſolus & Penulam reliqui Troade*. 2. Tim. 4. Quid vero cum auctor ſecundi libri Macha. Iaſonis Cyrenæi compilator initio excuſat ſe opus magni laboris, & vigiliarũ ſuſcepiſſe, & in fine petit veniã, ſi quid minꝰ aptè dixerit, minuſq; hiſtoriæ congruũ. Quæ omnia in ſpiritum diuinũ nō cōueniũt,

nam Hiere.36. *Ita is Propheta dictabat vaticinia, vt ex libro legere videretur.* nimirum quę diuinitus dictantur, ea sine labore contingunt. Quę sententia nobis quidem probabilis videbatur ab Anomæorum amētia procul, quando per eum modū ab scriptura diuina omne prorsus repellitur mēdacium, ob præsens numen Spiritus sancti prouidentis atq; præstantis ne mens Sacri scriptoris laberetur.

CAP. VII.

Hebraicos codices esse vitiatos.

Videamus rursus, priusquam aggrediamur ad editionis vulgatę auctoritatem explicandā de Hebraicorum codicum ac Græcorum veritate, quid sentiendum sit, quo referēda sunt cætera, & vnde diiudicādum est de ꝓposita initio difficultate. Ac primum de Hebraicis disputandum est, quos iure maioris momenti vitiatos esse non credebam, hoc est, vllum dogma cōtrarium Ecclesiæ placitis, eorum testimonijs confirmari, alioqui eorū lectione penitus interdictum esset. An ferret Ecclesia scripturæ sacræ nomine nobis hæreses propinari? eo maiori periculo, quod in diuini verbi simulatiōe grauiores insidiæ forent. An publicis præmijs & honoribus inuitaret ad eorum librorum lectionem, in quibus sciret lætale venenū contineri. Neq; enim cum in Cōcilio Viennensi sancitum est Hebraicā linguam publicis scholis doceri, ignorabant patres eam linguam puram putam in sacris tātummodo libris extare, atq; ex illis vt doceretur, quod etiam vbique fit inter Christianos, necesse esse. Nū viri docti, quorū magnus numerus semper est in Ecclesia, in tanto periculo tacuissent, & non potius ad codicum Ecclesiæ fidem deprauatos aduersariorum codices restitui postulassent? igitur altum eorum silentium Ecclesiæ totius consuetudo ac mos argumento sit apud homines modestos

A &veritatis potius, quā contentionū studiosos Hebraicos codices non ita esse vitiatos, vt ex ijs periculum immineat, ne simplicibus quidem & incautis. In rebus minutis & leuioribus corruptos Hebraicos codices esse, an integros à magnis viris hac nostra ętate disputatur magna contentione, neque leuibus in vtramque partem antiquorum testimonijs, præterea

3 argumentorum pondere maximo. Qua in disputatione, vt via & ordine procedatur, tempus omne trifariam distinguendum existimabam, vt qua occasione, quovè tempore à Iudæis Hebraici codices fuerint vitiati, apertius intelligatur. Primùm tempus ad Christi aduentum pertinet, quo se hominibus in carne monstrauit. Se-

C cundum continet interuallū à Christi ortu vsq; ad congregationem Tyberiadis, quæ magna fama in ea gente celebratur, & congregatio magna vulgo nuncupatur; quo tempore habita variant scriptores, quidam Christi annum 150. alij annum 300. designant. Verùm communi sententia Hebræi, Elias tertia præfatione Massoreth, & Galatinus lib. I. contra Iu-

D dæos cap. V. post templi excidium ponunt annū 436. nimirum à Christo nato anno 512. Quæ sententia haud leui argumento confirmatur prioribus temporibus congregationem illam non fuisse celebratam, cū constet Hieronymum ea diligentia, eaque cognitione rerum Hebraicarum nunquam vidisse pūcta, quæ vocalium loco in eo conuentu sacris li-

E bris adscripta fuisse minimè dubium est. Ab ea congregatione ad nostram ætatem tertiū tempus pertinet, quo inuestigare debemus an Iudęi sacros libros vitiarint. Ergo à primo tempore inchoantes Iudæos malo animo suos libros corrupisse ea tempestatę non arbitror. Origenes argumento inductus apud Hieronymum in illa Isaiæ verba cap.7. *Et dixit vade & dices populo huic*, quod nunquam Dominus & Apostoli, qui

cætera

cætera crimina arguunt in Scribis & Pharisæis, de hoc crimine quod erat maximum reticuissent. Neque Christus Ioannis 3. ad seruandas scripturas prouocasset, si à Iudæis fuissent priori tempore deprauatæ, ac potiùs monuisset, vt earum lectionem vitarent. Neque Matth. 23. Scribarum & Pharisęorum doctrinam sectandam moneret, ne Paulus quidẽ 2. ad Cor. 3. velamen dixisset fuisse positum super cor Iudęorum in lectione Mosis, sed potiùs Mosem ab illis fuisse deprauatum. Neque temerè malo animo negaui à Iudæis primis illis temporibus sacros libros fuisse vitiatos, sed vt indicarem librariorum incuria, vti in alijs libris contingit, errores in Hebraicos libros incidere potuisse; & constat ante Christi tempora quosdam locos fuisse ab Scribis immutatos, quos Rabbi Salomo Malachiæ 1. cap. quindecim omninò numerat ea correctione, quam Tichum Sophrim, hoc est correctionẽ Scribarum vulgo vocant. Ex eo numero est locus Malachiæ 1. vers. 33. vbi nos legimus. *Ecce de labore, & exsufflastis illud*, olim legebatur, & *afflixistis me*, quod cum incommodum videretur, neque Deo, qui loquebatur conuenire, lectionem immutarunt. Deindè Genes. 18. vers. 22. illis verbis. *Abraham verò adhuc stabat coram Domino*, olim legebatur, *Dominus stabat coram Abraham*, vti Rabbi Moses Hadarsan in eum Genesis locum testatur. Neque antiqua lectio sacramento vacabat, cum Christus venit homo factus, & ad tribunalia ductus est. Deus coram Abrahæ posteris verè stetisse dici potest. Ad hæc Micheæ 1. vers. 10. vbi nos legimus. *In domo pulueris puluere vos conspergite*, olim legebatur (hithpalasti) *puluere conspersi me*, quod nonnulli referunt ad Christi incarnationem, atque ita in quibusdam codicibus fuisse liber Massoreth argumẽto est. Omnia referre non licet. Locus tantum Oseæ 9. vers. 12. adijciatur, nam vbi nos legimus, *Væ eis cum recessero ab eis*, olim legebatur, *væ eis caro mea*, vel *incarnatio mea ab eis*, nempè Deo homine facto Iudæi in omnia mala præcipitârunt, quam lectionem mirabar, in Iudæorum Massoreth notatam non esse, cum ad nostram ætatem in Gręcis exemplaribus retineatur his verbis: διότι καὶ ὀυαὶ ἀυτοῖς ἐςιν ἡ σάρξ μου ἐξ ἀυτῶν. De tempore quo facta ea correctio est, magna quęstio est, illud cõstat ante Christum fuisse, quando Ionathas, qui priori tempore fuit, eam correctionem plerisque locis est secutus, atque eodem argumento confirmari potest ante septuaginta interpretes fuisse, quando Græci codices (si modò ij ex septuaginta interpretatione sunt, de quo modo non disputamus) ferè eos locos iuxta eandem correctionem exprimunt. Conuenit inter Hebræos Kimhi præfatione in Iosue & Heliam 3. præfatione Massoreth ab Esdra in congregatione, quam illi vocant magnam, vbi sacri libri qui perierant sunt restituti, eam correctionem Scribarum fuisse factam. Modus autem corrigendi eisdem auctoribus erat, cum in vnam lectionem omnes codices conueniebant, illa relinquebatur, diuersa penitus reiecta, cum autem, qui aderant, opinionibus discrepabant, lectio à pluribus aut doctioribus approbata in contextu ponebatur, altera ad marginem adiecta, quo factum, vt in quibusdam locis ab scribis correctis prioris lectionis nullum vestigium extet, neque in Massoreth, neque in bibliorum margine, nempè quoties in vnam lectionem omnes conspirârunt, in alijs diuersa lectio adscribatur. Hæc de primo tempore dicta sunt. Proximò spatio à Christi ortu vsq; ad congregationem Tyberiadis diuinas scripturas à Iudæis fuisse vitiatas, & quidem aliquando ex inuidia, atque odio Christiani nominis, iniquo animo, multis testimonijs confirmare possem. Tertullianus lib. de habitu muliebri cap. III. *Legimus*, inquit, *omnem scripturam ædificationi habilem*

diuinitus inspirari à Iudæis, postea iam videri propterea reiectam, sicut cætera quæ Christum sonant, neque vtique mirum hoc, si scripturas aliquas non receperunt de Deo locutas, quem & ipsum coram loquentem non erant recepturi. Loquitur quidem Tertullianus eo loco de libro Enoch, sed eius occasione de alijs etiam scripturis ab Esdra post captiuitatem Babylonicam diuinitus restitutis. Accedat Origenes multis locis, sed primo certè contra Celsum libro, post Christi aduentum affirmat Iudæos multas de Christo manifestas prophetias resecuisse ac de medio sustulisse, *vt agnoscas plane illorum germanos, qui militibus monumenti custodibus & resurrectionis conscijs suaserunt dicere, discipuli eius nobis dormiētibus noctu furati sunt eum.* versat locum Michææ 5. *& tu Bethleem domus Ephrata.* Deindè epistola ad Africanum, quæ extat, meminitque eius Eusebius lib. VI. histor. cap. XXIII. vbi Africano obijcienti historiam Susannæ in Hebraicis Danielis codicibus non legi, respondet nequaquam Iudæorum commentis & fraudibus auscultandum, sed hoc solum pro vero habendum in scripturis diuinis, quod septuaginta interpretes transtulissent, nam id esse solum quod auctoritate Apostolica confirmatum sit. Vides fraude & cōmento Iudæorum diuinas litteras deprauatas. Neque negabo aliquando Origenem Iudæis hac in parte fauere, apud Hieronymum in illa Isaię verba cap. 7. *Et dixi vade, & dices populo huic* (qui locus paulò antè est à nobis citatus) *sin autem dixerint*, ait, *post aduentum Domini Saluatoris & prædicationem Apostolorum libros Hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, vt Saluator & Euangelistæ & Apostoli ita testimonia protulerint, vt Iudæi postea falsaturi erant*, quæ verba eatenus vera arbitror, vt non omnibus locis, quę in nouo testamēto citantur, de quibus Origenes hoc loco disputat, deprauatos fuisse credere debeamus. Eusebius ipse libr. X. demonstrat Euang. demonst. IV. agens de illis verbis apud Matthæum cap. 27. *Acceperunt triginta argenteos*, ex Ieremia ne, vt eo loco legitur, an ex Zacharia fuerint producta ait, *Vbi diligenter considerabis cum hæc non habeantur apud Ieremiam Prophetam, num arbitrari conueniat ea per quandam malitiam ex illo sublata esse, an vero librarij erratum fuisse, qui pro Zacharia Ieremiam posuit.* Non ergo Eusebius ea eruditione ac rerum Hebraicarum peritia tāta religione putabat ab Hebræis libros sacros asseruari, quantam illis nostra ætate quidam tribuunt, alioqui viri docti & moderati. Accedit Athanasius libr. aduersus Iudæos. *Sed tamen*, inquiens, *tam manifestis scripturis, & de Christo Prophetijs excæcauit Sathanas Iudæorum oculos, & surdas fecit animarum aures, vt talia testimonia falsa scriptione vitiarent:* quod fortassis aliquis ad ineptas Iudæorum interpretationes expositionesque dictum traducat. In Chrysostomo certè facere id non poterit, cum Iudæorum fraudes & dolos vbique accuset, homil. V. in I. Matth. cap. 2. ad Corint. 2. in illa verba, *quod oculus non vidit*, & 1. ad Corinth. 14. ad finem, homilia 34. Sed præsertim ad Philip. 3. homilia 11. initio, causam reddens cur apertè Spiritus sanctus non sit semper locutus in veteri testamento, *ne Iudæi*, inquit, *facerent quod in alijs fecerunt, delentes namque litteras inficiati sunt scripturam, in illam intendere non valentes.* Longum esset omnia hoc loco veterum testimonia congerere ad reuincendas Iudæorum fraudes. Inditio certè est Hebraicos codices incorruptos omni ex parte non esse, cum Philo lib. II. de vita Mosis versionem septuaginta interpretum, hoc est, Græcam mirum in modum cum Hebraicis fontibus conuenire affirmet, idque vtramque linguam callentibus manifestum esse. Quam concordiam hoc quidem tempore non inuenimus. Ergo certè mirabar aliquando verba illa, *regnauit,*

uit à ligno Deus, tam frequentia esse in precibus Ecclesiasticis in oreque omnium, tum recentium tum antiquorum. Tertullianus sanè libro cõtra Iudæos ijs verbis productis illorum væcordiam ridet, *An speratis*, inquiens, *lignarium aliquem Deum fore aliquando*. Prætereà à Lactant. lib. IV. cap. XVIII. considerabam Esdræ verba adduci, nimirum. *Hoc Pascha Saluator noster & refugium nostrum, cogitate & ascendat in cor vestrum, quoniam habemus humiliare eum in ligno, & post hæc sperabimus in eum.* Nec inuenire tamen poteram in veteri testamento, ne vestigium quidem vtriusque loci. Verum ex Iustini martyris disputatione contra Tryphonem Iudæum deprehendi, quod res erat, vtrumque locum à Iudæis fuisse sublatum corruptumque, quoniam apertè nostrę causę fauebant, designato etiam Psalm. 95. vnde prior locus erat desumptus: illis enim verbis. *Dominus regnauit, decorem indutus est*, olim legebatur, *Dominus regnauit à ligno*, eaque lectio in psalterijs Romano & Gotthico ad nostram ætatem retinetur; exprimitur etiam in hymno de cruce. Nam tertius locus ex Ieremiæ 11. cap. *Mittamus lignum in panem eius*, quem sublatum etiam fuisse à Iudæis Iustinus ait, in nostris codicibus & Hebraicis restitutum videmus, nimirum cum Christianorum causæ non tantopere fauere cõsiderarent. Sed certè à Christi cruce quam eo loco significatam, omnes veteres putant ad veneni significationem transtulêre, acuti scilicet homines & præclari. Hieronymus etsi Hebraicis rebus, alijs locis fauere videatur plusquam satis est, commentarijs tamen epistolę ad Galatas, tum ad illa verba cap. 3. *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, quoniam in capit. 21. Deut. vers. 23. vnde Paulus id testimonium adducit legitur Hebraicè. *Maledictus à Deo, qui pendet in ligno*, suspicatur vocem *omnis* deesse & vocem *à Deo* redundare, in codicibus Hebraicis vitiosè vtrumque. Tum præsertim eo testimonio. A *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis*, suspicatur illas duas voces *omnis*, & *omnibus*, quibus Pauli argumentum incumbit ad reuincendum Iudæos sub maledicto esse, detractas à Iudæis fuisse ex Deuteronomij capit. 27. vers. 26. vnde ea verba citantur, quoniam in Hebraicis codicibus desunt, & in Græcis ea, & Samaritanis extabant. B Plura patrum testimonia cum adijcere liceret, libenter prætermittimus, ne vltra modum crescat disputatio. Illud addimus in cõuentu Tyberiadis quem habitum diximus anno post euersam Hierosolymam 436. qui annus à Christo nato fuit 512. multa fuisse à Iudæorum proceribus actitata. Primùm enim Thalmud Babylonicum à Rabbi Asse cõ- C sarcinatum communi cõsensu probatum est: Etenim liber Misna ab euerso templo, anno 120. fuerat confectum, deindè annum circiter 300. Thalmud Hierosolymitanum prodierat, quibus libris leges, traditiones, ritusque Iudæorum cõtinentur. Ex ijs libris Thalmud Babylonicum compactum in eo conuentu prodijt, D quali diligentia Gratianus ex prioribus Iuone & Burchardo, Pontificum, & conciliorum decreta in vnum corpus collata promulgauit. Deindè puncta vocalium loco Hebraicis codicibus diuinarum scriptu rarum sunt adiecta. Aaron Ben Asser, & Iacob Ben Neptali principes auctores, dum inter se nonnullis locis quomodo legendi essent, dissen- E tiunt; Iudæos in duas partes sciderunt, ac ferè Iudęi occidentales prioris sententiam secuti sunt, posterioris orientales, pręcipuè Babylonij, vti Kimhi ait in Psalmum 60. atq; hæc duo in eo conuentu facta fuisse Hebræi scriptores conueniunt. Præterea editam Massoreth, quo libro, vti postea dicemus, variæ lectiones Hebraicorum codicum, qui olim extabant, nunc sunt adnotatę. Ac persuasum habeo multis cõiecturis nouam

correctionem diuinorum librorum in eo conuentu fuisse factam. Collatis enim varijs codicibus, altera lectione prælata diuersa penitus reijciebatur, sæpè etiam cum non satis opinionibus conuenirent, lectio altera inserebatur textui, diuersa ad marginem adijciebatur. Quo enim alio tum punctorum adinuentio, tum Massoreth editio spectabant, quam vt varietate sublata in vnam opinionem, atque lectionem, omnes conspirarent. Itaque videmus quasdam Hebræorum correctiones septuaginta interpretes fuisse secutos, atque editionis nostræ auctorem, nimirum quia antiquiores erant: in plerisque discrepare, quoniam posteriori tempore sunt factæ. Quis autem dubitet Iudæos in eo conuentu in odium Christianæ religionis, aut corrupisse multa, quod multi hæretici fecerũt, Valentinus, Martion, Hebionitæ, Hydroparastæ, vti Theodoretus ait libr. II. de hæresibus: aut in varia lectione codicum eam lectionem fuisse probatam, quæ Christianorum causam infirmare maximè videbatur, quod Genes. 49. consideramus illis verbis, *donec veniat, qui mittendus est:* Hebræos substituisse, *donec veniat Silo.* Sed & Daniel. 9. vaticinium de Christi aduentu, & septuaginta hebdomades varia accentuum distinctione, ad Zorobabel manifestè trahunt. Tum Hieremiæ 23. vbi nos & septuaginta habemus, *& hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster,* Hebraici codices habent, longè alia sententia, *Vocabit eum Dominus iustus noster.* Neque mirum videri debet existimare nos, à Iudæis Hebraicos codices fuisse corruptos, quando tanto odio flagrabant Christiani nominis, vt Iustino teste, disputatione cum Tryphone contra Iudæos, post occisum Christum, certos homines miserint q toto orbe Christianam religionem opprimerent, gentesque in Christianos homines concitarent, neque sumptui, neq; labori parcentes. Et Hieronymus Isaiæ 21. ad illa verba, *onus Duma,* affirmat à quibusdã Hebræis *Roma* legi propter similitudinem primæ litteræ Hebraicæ in vtraque dictione, nimirum volentes illam prophetiam contra Romanum imperium accipi debere. Tertio temporis interuallo, ex quo congregatio Tyberiade est habita, nõ arbitror consensu gentis, nouam diuinorum librorũ correctionem, seu potius corruptionem fuisse factam. Neque enim ab eo tempore conuenerunt ex omnibus locis, vt cõmuni consensu nouas fraudes necterent, & libri Massoreth diligentia satis cautum videbatur, ne libri sacri immutari facilè possent. Neque dubium est ab Hebræis codices Hebraicos præcipua diligentia & religione asseruari, ne facilè corrumpi possẽt; in quo illis perinde contigisse videatur, atq; in legis obseruatione. Cùm Deum habebant propitium, magnisque beneficijs afficiebantur, mirabile dictu erat ac miserandum, quam facilè diuinas leges cõtemnerent, ad Deorum templa concurrentes; vbi à Deo deserti sunt, ac in sensum reprobum dati, magna religione, quãtum in illis situm est, legem obseruãt, vetitos Deorum cultus fugiunt. Ad eũdem modũ cum libros sacros olim tantopere negligerent, vt fermè de memoria elaberentur: nunc cum minus opus esset, ad eos conseruandos, diligentes in primis & superstitiosos esse videmus. Neque verò hac disputatione est animus linguæ Hebraicę studium debilitare, quam maximè vtilem esse non ignoramus, id ago ne dum Hebraicis libris & rebus fauemus, nostræ religioni conuitium facere videamur. Ergo communi consensu negamus Hebraicos codices fuisse post illam congregationem immutatos. Librariorum in curia errores incidisse quis ambigat? cũ omnibus libris & linguis vsu eueniat, vt quò sunt antiquiores, sæpiusque descripti, eo magis sint contaminati, num ab hac communi lege Hebraici codices sint exempti? non

arbitror, & poteram nostram opinionem multis exemplis confirmare. Hieronymus Nahum 3. versu 8. in illa verba, *Nunquid melior es ab Amon?* ait, Hebræus qui me in scripturis erudiuit, ita legi posse asseruit, *nunquid melior es quàm No,* (id est, Alexandria) *Amon*? idem Zacharias vltimo versu 20. vbi nos legimus, *in die illa erit, quod super frænum equi est sanctum domino*, Hieronymus ait vocem Hebraicam *Mesuloth*, à quodam Iudæo mutari in vocem *Misiloth*, & vtroque tamen loco consideramus non antiquam lectionem, & communem circunferri, sed quam Hieronymus vniuscuiusqpiam Iudæi priuatam lectionem fuisse vtroque loco affirmauit. Et ex versionibus Græcis & Latinis satis constat, Hebraicos codices olim fuisse varios, certè discrepasse ab ijs, qui modo in vsu sunt, cùm parua sæpè litterarum aut punctorum mutatione sententia illa reddatur, quam interpretes expresserunt. Loci innumeri sunt, proferantur tamen ex psalmis exempla, vnum, alterum, & tertium. Psalmo 4. vbi nos legimus, *filij hominum vsquequo graui corde?* Hebraica habent, *vsquequo gloria mea ad ignominiam*, nempe, nunc legitur Hebraicè כבודי לכלימה, olim legebatur כבדי לב למה. Item Psalm. 18. vbi legimus, *In omnem terram exiuit sonus eorum*, nunc legitur קום, id est, *regula eorum*, olim proculdubio legebatur קולם *vox eorum*. Item Psal. 31. pro illis verbis, *dum configitur spina*. Hebræi legunt, *in siccitates æstatis*, quæ varietas contigit, quoniam dictionem *Coz*, quam legerint septuaginta interpretes, Hebræi legunt *Caiz*, vnius tantum, eaque facili permutatione litteræ. Psalm. 67. vbi nos habemus, *rex virtutum dilecti*, Hebręi numero multitudinis, *reges virtutum*, nempe eandem dictionem, *Melech*, numero multitudinis legunt Hebręi adiecta littera *iod*, quam septuaginta Hebraici codices non habebant. Multi ad extremum alij errores poterant in Hebraicis codicibus designari, certè 2. Regum cap. 24. quo loco vers. 13. prophetæ verbis dicitur, *aut septem annis veniet tibi fames in terra*. Septuaginta, *tribus annis habent*. Atque eam lectionem esse legitimam Hebraicā vitiosam, argumento est liber primus Paralipom. c. 21. vers. 12. vbi Hebraicè, Græcè & Latinè tribus annis fore famem edicitur, tametsi hūc errorem in recentibus numerare non possumus, quando eam lectionem in libris Regum Hebraici & Latini codices sequuntur. Quemadmodum neque quod Hieronymus affert Michææ 5. ad illa verba, *& tu Bethleem Ephrata, Thaco & Ephrata, hac est Bethleem, & Phagor, & Atan, & Culon, & Tami, & Soris, & Caram, & Gallim, & Bather, & Manocho, ciuitates vndecim, & viculi earum*; *quod in Hebraicis Iosue codicibus haberi negat, ac in septuaginta tantum interpretatione extare, siue ab his additum, siue de veteribus libris erasum malitia Iudæorum, ne Christus de tribu Iuda ortus videretur*. Hoc Hieronymus. Iam ex eodem Iosue lib. cap. 21. duo versus 36. & 37. manifestè desunt in Hebraicis codicibus, vt res ipsa indicat, docetq; Abulensis Numerorum capit. 24. q. 3. quo loco multo corruptiores Hebraicos codices nostris esse affirmare non dubitat, vir rerum Hebraicarum peritia satis instructus, legique solitos in alijs codicibus Hebraicis, docet annotatio marginis in biblijs Hebręis magnis, quę quatuor corporibus distincta circunferuntur, cum Rabbinorum Commentarijs ex sentētia Rabbi Kimhi ad eū locū his verbis: סיגי בהם, וממטה ראובן את בצר וגו׳ הישנים לא נמצא ועיין בספר היש ספרים אלו בכלל; וזה ובכול ספרים המדוייקים וגם במסרת זו י; כי בשמנה מח לא נמצא ראייה גדולה הקמחי, hoc est, *sunt libri correcti, in quib. est, & ex tribu Ruben Bezer, & cætera, & in omnib. correctis antiquis codicibus nō inuenitur. Vide librū Kimhi & etiā Massoreth, vide ꝙ numerū quē colligit quadraginta octo, nisi*

comprehensis integrum non inuenies, atque hoc est argumentum magnum, hactenus adnotatio. Atque ij quidem versus in biblijs Cardinalis, & illorum exemplo & auctoritate in Regijs sunt restituti, nescio tamen an satis commodè, cùm ex 1. Paralipom. 6. versu 78. videantur in illum locum traducti, neque nomina vrbium satis conueniant cum ijs quæ sunt in editione nostra vulgata, argumento certissimo, quo tempore illa facta est, Hebraicos codices integros ea parte fuisse, neque mirum, cum librariorum incuria libri alij, tum sacri, tum prophani multis maculis sæpè contaminarentur, num solos Iudæorum libros à communi cõditione exemptos fuisse, librariosque eorum nunquam peccasse putabimus? non sanè nisi eorum rebus fauere, & iniqui iudices in nostra causa videri cupimus. Lucę 3. Cainan inter filios Arphaxad ponitur, deest in Hebraicis codicibus, in Græcis extat Genes. 10. vers. 22. An hoc etiam loco Hebraicos codices à vitio vindicabimus, & Euangelistis synceriores credemus? Iulianus lib. III. contra Iudæos: *Hæc secũda*, inquit, *ætas, quam per denas generationes diximus currere, vnam minus habet secundùm codices Hebræos, quæ hic ponitur, id est, illa quæ dicitur Cainan, quam tamen generationem & septuaginta interpretes memorant, & Euangelium secundum Lucam confirmat.* Idem paulò ante dixerat Hebraicos codices corruptos esse. Vnius Augustini auctoritas, siue etiam Hieronymi opponitur, negantium Hebraicos codices vnquam à Iudæis fuisse vitiatos, quibus vt respondeamus, ac disputatio hæc plenius absoluatur, constitui epistolam subijcere, quam superioribus annis de hoc argumento ad Nicolaum Sanderum Anglum domo, virum doctissimum, & de religione Christiana optimè meritum dedi, quem magno litterarum incommodo dolemus defunctum, non multo post in Hibernia, dum in eam insulam veram religionem restituere contendit, neque præ eo studio, labori, aut vitæ periculo parcit, vir immortali laude dignus.

CAP. VIII.

Auctoris epistola ad Nicolaum Sanderum.

Disputationem tuam pro Hebraicorum codicũ veritate, quam Aluarus Gomesius de litteris, ac de me benè meritus tuis verbis cognoscendam misit, cupidissimè legi, his quamuis ieiunij Christiani diebus, ita ab alijs negotijs districtus, vix vt respirandi spatium esset, præsertim instante Paschate, cùm non priuatis studijs vacare licet, sed aliorum commodis seruire, susceptæ vitæ rationes compellunt. Verum ijs propemodum decursis, atque vnius & alterius diei cessatione capite recreato, tua iterum relegere, atque quid de tota disputatione & singulis eius partibus sentiam, ingenuo & candido animo aperire statui. Tuo iudicio potius quid facere & sentire debeas, quàm quid ego iudicem, considerabis. Nam neque mihi sumo, vt virum qualis ipse es, susceptis pro religione laboribus, editisque libris in vniuersa Dei Ecclesia celebrem, velim in meam sententiam pertrahere; & fas est tamen incolumi Christiana charitate diuersum nonnunquam iudicare, ac (vt Pauli verbis vtar) *in suo quemque sensu abundare.* Nam & si quid aliter sapimus, & hoc nobis Deus reuelauit, tantum in eadem fidei & dilectionis mutuæ regula permaneamus. Ac primum disputationis perspicuitas, modestia, atq; eruditio multum mihi probabantur, atque argumenti acumen, quo ex vulgatæ editionis fide,

quam aduersarij conuellendo Hebraica stabilire maximè conabātur, A Hebraicos codices incorruptos esse defendis: cum ijs ipsis aut omnibus, aut plerisque, qui vitij accusantur locis, haudquaquam à Latinis Hebraica discrepare conuincas: neque posse Hebraicos codices repudiari incolumi vulgatæ editionis auctoritate. Quo in argumento, quoniam suscepti patrocinij fortissimum præsidium est, amplificando, illustrandoque exemplis, magna pars disputationis consumitur: Tridentini decreti B explicatio mirificè mihi placet, ita à patribus Latina probari, vt neq; Hebraica, neque Græca, de quibus mentio non est facta, nec disceptatio vlla erat, ea lege repudientur. Quod verò locis, quibus Hebraica à Latinis discrepant, post multa remedia ad concordiam excogitata doctissimè, C atque explicata, vbi nulla via se ostēderit vtrosque codices conciliandi, Ecclesiæ sententiam expectari iubes, qua pronuncietur vtri codices contaminati sint. Id consilium mihi fortasse facilè persuadebis, aduersarijs autem probare qui possis? præiudicatum dicēt, præsertim cùm vulgatam editionem ita susceptam à patribus, D ita ei cōtradici vetitum esse, dare videaris, vt omnes eius dictiones exosculari necesse sit, neque interpretem vlla in parte lapsum esse fateri liceat citra impietatis crimen. clamabunt enim continuò, vulgata editione suscepta, Hebraica penitus & Græca repudiari, vbicunque omnem concordiæ rationem recusabunt, quod aduersariorum causæ fundamētum est E præcipuum & maximum. Finge enim omnes Latinos codices in eandē sententiam & verba eadem conspirare, ne librariorum incuriam excusare liceat. Quod autem ipso disputationis initio editionem vulgatā, quam suscepit & probauit Ecclesia, omnem præter psalmos ex Hieronymi interpretatione sumptam esse arbitraris, atque ex eo Hebraicos codices ad Hieronymi ætatē incorruptos mansisse confirmas; neque enim ex vitioso fonte riui poterant synceri manare, pro certo videris ponere, quod non minus est ambiguum atque obscurum, quàm de quo instituta est disputatio vniuersa; cùm grauissimi viri nostra ætate multis coniecturis & argumento probabili confirmare conati sint nostram editionem diuersam ab Hieronymi versione esse. Et Hugo Victorinus in prænotationibus elucidatorijs cap. IX. affirmat Latinam editionem, qua eius ætate vtebatur Ecclesia, hoc est, nostram ex veteri Latina & noua Hieronymi confusam esse. Præterea annotatio historiæ scholasticæ in Genes. cap. 62. Hieronymi interpretationem puram putam, in duodecim prophetas tantum habere nos ait. Vtraque sanè editio tam vetus, quàm Hieronymi, Gregorij Magni ætate in vsu erat, vt perspicitur ex proœmio eius in libros Moralium, & ex octauo Concilio Toletano, in quo iuxta vtramque editionem nonnulla à patribus proferuntur testimonia. Ex ijs versionibus credam consequenti tempore quosdam libros ex Hieronymi interpretatione, alios rursus ex veteri in commune volumen, vnumque corpus, aut publica Ecclesiæ auctoritate, aut doctorum hominum communi consensu collatos fuisse: atque in ijs ipsis libris quosdam locos ex illis, qui reijciebantur libris, atque interpretatione immutatos fuisse, quod Ioanni Driedoni in dogmatibus video placuisse ex parte. Quo autē vtrumque tempore, & qua ratione sit factum, penitùs exploratū non habeo. Luce historiæ destituti in multis hallucinemur necesse est. Iustinum martyrem, ais, versionem septuaginta interpretum à Iudæis corruptam affirmare. Esto. Sed cū ij ipsi loci, quos ille vir sanctissimus in septuaginta seniorum interpretatione vitiatos esse ait, eodem modo in Hebraicis codicibus legantur, qui possint Iustino certè arbitro ab ea culpa

liberari non video. Neque arbitror Iustinum rerum Hebraicarum, eiusque linguæ notitia tantoperè destitutum, vt tu in disputatione pônis, ad disputandum cum Iudæo accessisse,& vtriusque lectionis Græcæ & Hebraicæ aliquoties, ni fallor, mentionem infert, præsertim dum versat locos Genesis 49. *donec veniat qui mittendus est*, atque Isaiæ 7. verba illa, *Ecce virgo concipiet*, vbi pro virgine Iudæos adolescentulam ponere testatur, fuitque genere Samarita, vti Epiphanius ait hæresi XLVI. quæ gens Hebraicę linguæ non erat, ignara, quippe Iudææ finitima. Nam quod addis de Psalmo 95. dictionem *à ligno*, non in Hebraicis tantùm codicibus, verum etiam in Græcis & vulgata nostra desiderari, quàm vitij accusare nefas sit: non multum mouet, cùm Græcos Psalmos non ex septuaginta versione esse, sed ex κοινῆς, non ex hoc Iustini loco, sed ex Hieronymi etiam epistola ad Sunniam & Fretelam, tum alijs locis manifestum euadat. Nam quæ ipse ex κοινῆς esse ait, atque à septuaginta interpretatione discrepare, ea ferè in nostris hodie Græcis codicibus locis omnibus vsurpamus,& in psalterio Romano, quo olim scilicet in communibus precibus Romana Ecclesia vtebatur (nunc enim Gallico vtitur) atque in hymno de cruce legimus, *regnauit à ligno Deus*, argumento certissimo eam vocem in antiquis libris extitisse. De vulgatæ nostræ auctoritate laborare non attinet, quando illã etiam Romana Ecclesia suscepit. Esdræ locum à Iudæis corruptum Iustino teste in veteri proculdubio tam Græca, quàm Latina editione olim extabat, vnde Iustinus ipse Græcè, Lactantius libr. IV. cap. XVIII. Latinis verbis alieno stylo citârunt, nec dubito à Iudæis fuisse falsatum, cùm expressum de Christi morte vaticinium contineat. Verum cùm in Latinis etiam codicibus non extet, anceps argumentum efficitur pro Hebraicorum codicum fide, & contra eam disputantibus. Nonnullos ex antiquis patribus ab Hebraicis codicibus stare, defendi fortasse possit, nullum ex eorum numero corruptos fuisse affirmare, vti ipse ais, nemo inducet in animum, qui legat Chrysostomum homilia quinta in Matthæum dicentem, Iudæos quidem meritò suspectos haberi, quippe qui inimicè & subdolè multa corruperint,& data prorsus opera à prophetis prædicta mysteria celauerint: septuagintaque cùm ante aduentum Domini fuerint scripturas interpretati, meritò ab omni suspicione liberos esse. Non cælasse tantum ait, sed corrupisse etiam, quæ verba nescio, an vti locus alter ex homilia trigesimatertia à te adductus, rectè possint ad prauas explanationes traduci, & de illis tantum explicari, quemadmodum neque quod Origenes in epistola ad Africanum apud Eusebium historiæ Ecclesiasticæ lib. VI. cap. XXIII. de Susannæ historia consultus negat, Iudæorum fraudibus & commentis auscultandum, atque id solum pro vero accipi debere ait, quod septuaginta tradiderunt. Vides fraudes & cõmenta, non cautionem quæ falsi accusari nõ posset, si bono animo ea historia fuisset occultata, quod ipse existimabas. Sanè cùm eam historiam septuaginta interpretes posuerint, & Ecclesia probauerit, apertè conuincitur olim in Hebraicis codicib. extitisse. Prèsertim si Tridentini decreti verba adiungas, libros sacros cum omnibus suis partibus sanctos haberi, sancientis. Modo enim cùm neque in arcanis libris Iudæorum, neque in publicis extent, ea certè in parte codices Hebraici à corruptione & vitio vindicari non poterunt. Neque Hieronymi verba ex Commentarijs in epistolam ad Galat. cap. 3. satis explicare videris. Cùm enim in illo Deuteronomij loco, *Maledictus omnis qui non permanserit in omnib. quæ scripta sunt*, septuaginta interpretes dictionem

nem, col. legerint, cùm in Samaritanorum libris extaret, cùm in ea argumenti, quo vtebatur Paulus, vis tota posita esset, non posse Iudæos omnia præcepta seruare, atque adeò sub maledicto esse, manifestum euadit olim in Hebraicis codicibus extitisse, idque Hieronymum sentire. Nam quod mutationem, cùm eadem sententia constet, & ex propositione indefinita, vniuersa efficiatur; eiusmodi fuisse negas, propter quam aut vadimonium differere, aut fuisse Hebraicos codices deprauatos fateri conueniat non resisto, modo Hieronymi sententia exploratum sit, Hebræos in ea parte, & quidem malo animo suos codices deprauasse. Adijciam Isidorum in Chronicis initio sextæ ætatis (siue is Lucas Tudensis sit nobilis & antiquus auctor) Iudæos affirmantem in odium Christianæ religionis, ne contra eos testimonia proferantur; quędam de prophetarum libris præcidisse, quædam immutasse. Obijcis instructam multorum patrum aciem pro fide Hebraicorum codicum, Hieronymum præsertim atque Augustinum. Is enim locis innumeris veterum librorum fidem de Hebraicis voluminibus examinandam, nouorum de Græcis ait, ridetque Origenis verbis in Isaiæ cap. 6. suspicantes diuinos libros fuisse ab Hebræis vitiatos. Augustinus autem lib. XV. de ciuitate Dei cap. XIII. contendit Iudæos ex locis omnibus ad corrumpendas sacras litteras conspirare non potuisse, & lib. II. de doctrina Christiana cap. XI. ad Hebraica & Græca exemplaria recurrendum arbitratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas. Ijs adijcere potuisses Eusebium, qui lib. VIII. de præparatione Euangelica cap. II. Philonis verbis, *Mirabile, nempe, ait, mihi videtur duobus annorum milibus, imò maiori tempore iam ferè transacto, nec verbum vnum in lege illius* (nempè Moysis) *fuisse immutatum, sed centies vnusquisque Iudæorum morietur, priusquam legi Mosaica derogabit.* Adde Iustinum martyrem in oratione Parænetica, qui Dei consilio veteres libros apud Iudæos asseruari, ait, *ne gentes à nobis corruptos existimarent.* Qua ratione à diuo Augustino Iudæi capsarij nostri vocantur in Psalmi. 40. illa verba, *Benedictus Dominus Deus Israel,* productis enim verbis ex Genes. vigesimoquinto cap. *Maior seruiet minori,* modo, inquit, impletum est, modo fratres nobis seruiunt Iudęi, tanquam capsarij nostri sunt, studentibus nobis codices portant. Bedaq; in Psal. quinquagesimum sextum initio, *Hoc etiam ad opprobrium pertinet,* ait, nempe Iudæorum, *quod capsarij, id est, librarij nostri facti sunt, quia portant nobis libros suos, sicut solent serui post dominos, ipsi enim deficiunt portantes, Christiani proficiunt legentes.* Quod nisi incorrupti seruarentur, quid profuit Iudæos scriniarios nostros facere? aut qua audacia veteres libros proferemus, si corruptos esse & deprauatos à Iudæis confiteamur. Adde eos omnes quicumque aduersus Iudæos disputatione suscepta, hoc eorum peccatum, quod veteres scripturas vitiassent non accusârunt. Verum huic postremo argumento Iustinum opponimus & Origenem contra Celsum, quoniam ijs libris aduersus vtramque nationem disputabat, Iudæos & Gentes. Alijs patribus ea cura non fuit, cùm ad nostram religionem confirmandam satis multa testimonia suppeditarent Iudæorum libri, in quo diuinæ prouidentiæ lumen elucet: ita enim permisit quosdam locos ab Hebræis corrumpi, vt veræ lectionis vestigia vbique manerent, superessentque multa alia de Christo integra testimonia, ac miraculi instar profectò sit in tanta procacitate eius gentis, tantaque contradicendi libidine nullum dogma eorum, quibus à nobis dissident, diuinis libris inseruisse, vt parum

pro-

promouisse suis artibus & fraude videantur. Augustinus in ea fuit A sententia, à Iudæis diuinos libros deprauatos non fuisse, cui opponimus tamen multo plures patres, neque minori auctoritate, neque sapientiæ opinione minori. Origenes & Hieronymus variè sunt locuti, neque quid certi Hieronymum in ea re habuisse argumento est epistola ad Marcellam, cui initium est, *Vt tam paruam epistolam scriberem*, *Iam pridem*, inquit, *cum editionibus Hebræorum editionem Aquilæ confero, ne quid forsitan propter odium Christi Synagoga mutauerit, & vt amica menti fatear, quæ ad nostram fidem pertineant roborandam plura reperio:* nimirum ętate maior Hebræorum fraudes cœperat odorari. Quod verò contendis Hebraicos codices corrumpi non potuisse, quod nunquam in vnum locum sub duce vno conuenerint ex toto orbe Iudæi, vt eam deprauationem communi consilio, quod erat necesse, moliri & perficere possent: argumento Augustini vteris. Sed in quo tamen videaris non satis in Hebræorum libris & historia versatus. Affirmant enim Iudæi, Elias Leuites sect. II. accentuū, & in III. præfatione Massoreth, & Dauid Kimhi præfatione in Iosue, primum quidem ab Esdra fuisse doctissimos quosque Iudæorum ad generalem gentis conuentum celebrandum conuocatos; atque (quod nostri diuinæ inspirationi, atque numinis inflatui tribuunt) in eo conuentu, quam ipsi *congregationem magnam* vocare sunt soliti, memoriæ beneficio, & codicum Samaritanorum collatione scripturas diuinas, quæ perierant, fuisse restitutas confirmant, atque nonnullos locos ab antiqua lectione immutatos, quos ex Rabbi Selomò desumptos Petrus Galatinus explicat lib. I. contra Iudæos cap. V. Postmodum anno post templi excidium sub Tito 436. nimirum salutis anno 512. alteram totius gentis ex Oriente & Occidente sole congregationem fuisse Tyberiade famosissimam; in qua Thalmud Babylonicum editum memorant, diuinis libris puncta vocalium loco addita, cuius rei causas hoc loco explicare non attinet. Illud constat in varia codicum lectione eam fuisse prælatam, quæ omnium aut plurimorum certè calculis probabatur, cum sententijs discrepabant lectione altera prælata, diuersa adijciebatur ad marginem. Vides extitisse B conuentum, in quo communi consensu Iudęorum proceres potuerunt vniuersos codices deprauare; quod factum esse contendant aduersarij magnæ illius sub Esdra congregationis exemplo, & ob insitam animis confidentiam, Christiani nominis odium non minus, quàm quo plures hæreticorum sectæ olim, nostraque ætate victorię cupiditate, veritatis odio C scripturas sacràs deprauârunt. Et est par credere ex pluribus lectionibus eam fuisse prælatam, quamuis minori codicum numero, & argumentis infirmioribus, quæ nostræ religioni minimum fauere, nostrisque libris & causæ conuitium facere maximè videbatur. Illud postremo si addidero, finem faciam, locum ex D Psalmo 21. *Foderunt manus meas & pedes meos.* manifestè esse in Hebraicis codicibus deprauatum, in quibus legitur, *sicut leo manus meas & pedes meos*, nam auctor Massoreth magni, in quibusdam correctis libris inuenisse se affirmat, in textu quidem, *caru*, id est, *foderunt*, in margine autem, *caari*, id est, *sicut leo*, & Rabbi Isaac libello, quem contra Lindanum edidit, E quamuis pro Hebraicorum codicum veritate disputās, hoc tamen loco veram lectionem esse immutatam apertè confitetur, & erat vera lectio restituta in Hebraicos codices bibliorum complutensium optimo consilio, nescio autem cur in biblijs regijs fuerit mutatum restituta communi Hebræorum lectione, sed vitiatā. Neque satis est aliqua ratione eas duas lectiones posse conciliari (quod tu acutissimè facis) quo minus

fateri sit necesse, Hebraicas voces esse vitiatas. Hæc habui vir doctissime, A quæ de vniuersa tua disputatione monerem, studio tibi obsequēdi excitatus, neque tuam aut cuiusquam Catholici viri sententiam reijciens prorsus, quasi religioni contrariam. In quo sum solitus quorundam theologorum modestiam requirere, accusare imperitiam & temeritatem pronunciandi. Scio enim de his rebus alijsque id genus incolumi fide, B atque integra charitate, veritatis indagandæ studio disputari. Neq; linguarum vtilitatem dignitatemq; eleuare cōtendo, vnde fructus manat vberrimus, & quibus addiscendis magnam ætatis & studiorum partem consumpsi, eo tamen animo, vt Hebraica Græcaque Commentarij vice essent ad explicandam eam scripturæ diuinæ editionem, quam C suscipit & probat Ecclesia. Qua in re quantum promouerim, dicere nō est necesse: voluptatem certè quantam maximā possum, animo capio, cùm ad cognoscendas diuinas litteras ab ijs præsidijs instructus me confero. Neque non possum non vehemēter eorum studium & diligentiam celebrare, quicunque nostra ętate in hoc D genere sudarunt, cum Latinis Græca & Hebraica iungentes magno Ecclesiæ commodo, & ad maiorem multo diuinarum scripturarum lucem comparatum studium, de quorum industria & laudibus consequens ætas (vt arbitror) syncerius atq; incorruptius iudicabit imperitorum inuidia sedata, qua immeritò hoc tempore flagrant. Eorum conatibus, vir E doctissime, faue, nosque vt facis, mutuo ama: dabisq; veniam, si quid paulò liberius dictum est, aut si qua in parte huius disputationis lapsi sumus, atque illud cogita non minori nos Toleti, quàm vos isthic librorum penuria laborare, plurimaq; in his litteris auctorum testimonia locosque ex nostris schedis esse producta.

Vale.

CAP. IX.

Nemini licere priuata auctoritate Hebraicos diuinæ scripturæ codices castigare.

Hebraicos codices neque incorruptos esse omni ex parte, neq; è contrario magno aliquo incommodo, atque in maioris momenti locis deprauatos satis, vt arbitror, confirmauimus vna disputatione in vtramque partem extremè peccantium opiniones iugulantes. Sed ex qua tamē disputatione occasionem aliquis arripiat Hebraicos diuinæ scripturæ libros priuata auctoritate castigandi inuertendique litteris, aut punctis commutatis, quæ magna peruersio esset, & nostra ætate quidam Commentarijs in Isaiam facere ausus est, Herculea planè audacia, exemplo prauo, vti sequentia declarabunt. Tertullianus enim libro de præscriptionibus hæreticorum. *Scripturam sacram Ecclesiæ Catholicæ possessionem esse propriam, ait, in alienam messem immittere falcem eius aduersarios, quoties scripturas tractant.* Quod dictum tametsi de hæreticis vsurpari consueuit, & intelligi: debet ad Iudęos etiam extendi, qui ex quo Christum repudiarunt, tum à Dei Ecclesia exclusi sunt, tum etiam diuinæ scripturæ ius penitùs amiserūt, quod Iustinus certè addit in oratione Parænetica his verbis. *At si quis eorum, qui temerè contradicere consueuerunt, nobis obijciat, non nostros hos esse, sed Iudæorum libros, eo quod ad hoc vsque tempus in synagogis eorum asseruentur: & per vanitatem nos iactare religionem ex eis hausisse dicat: is scire debet ex rebus ipsis, quæ in libros hosce sunt relata, non ad Iudæos, verum ad nos Christianos doctrinam eorum pertinere.* Cùm possessionem Ecclesiæ

ſcripturam eſſe dico, non de Latinis tantùm aut Græcis codicib. loquor, A ſed de omnibus libris ſacris, quacunque lingua ſint ſcripti initio, ſiue in aliam conuerſi publico cōſenſu,& maiorum auctoritate ſuſcepti in vſu ſunt. Neque enim ita Eccleſia vllo tempore Latinos codices legit atque probauit, vt Græcos aut Hebraicos reiecerit: quod conſenſus totius Eccleſiæ, omniumque virorum doctorum atque ſcholarum vſus declarat B Hebraicos & Græcos ſcripturæ diuinæ codices tanquam diuinos libros explicantium. Omninò abſurdum videretur diuinas ſcripturas, hoc eſt teſtamentum, quod Deus nuncupauit,& in quo Eccleſiam hæredem ſcripſit, in linguam Latinam transfuſum modo conſeruari, amiſſum aut deprauatum eſſe penitus & contaminatum in ijs linguis, in qui- C bus ſcriptum primo eſt, & litterarum monimentis, vt ad poſteros tranſmitteretur commēdatum. An non meritò incuriæ accuſaretur Eccleſia, ſi tantum theſaurum quorundam hominum perfidia de manibus extorqueri ſibi atque lacerari paſſa eſſet? An non quis meritò poſſet exiſtimare, Deo Eccleſiam exoſam fuiſſe aliquando, qui fraude hominum D perire neglexiſſet, quo maius in terris ſui amoris pignus ſponſæ ſuę nullum reliquerat? Anguſtè ergò de rebus, atque præpoſterè ſentire mihi videtur, quicunque Eccleſiam longo indormijſſe tempore, neque in ea viros doctos fuiſſe arbitrantur, penes quos diuini libri tum Grecè, tum Hebraicè conſeruati ab omni temporis iniuria & aduerſariorum inſi- E dijs tuti eſſent. Sit ergò fixum non minus ad Eccleſiæ curam Hebraicos & Græcos codices, quàm Latinos pertinere. Vnde primum efficitur, quod non ſemel ſuperius eſt dictum, neq; eos codices potuiſſe in vniuerſum in re maioris momēti corrumpi, continuò enim Eccleſia accurriſſet, quæ diuino inſtinctu & inflatu regitur;& viri docti, quorum numerus aliquis ſemper fuit, periculum indicaſſent, neque in re aperta diutius hærere neceſſe eſt. Deinde quod huius diſputationis eſt, ſi ſacri libri in aliqua lingua deprauati maximè eſſent, nullius priuata induſtria & auctoritate caſtigari deberent, ſed publica potius Eccleſiæ, in quo quidam hallucinantur, contendentes Hebraicos codices & patrum ſcriptis, vel ex verſionibus Græca atque Latina caſtigari debere, imprudenter ſanè & audacter. Quid enim Plinij, Platonis, Ariſtotelis, non liceat ex coniecturis aut Commētarijs Arabum & Græcorum, niſi adſit correctiſſimorum codicum fides, receptam vſu lectionem mutare, & audeat quis ſcripturæ ſacræ correctionem ad ſuum arbitrium reuocare, atque eius lectionem abſque vlla codicum meliorum ope ex priuatis cōiecturis emendare? Quid ſi ſecundus & tertius, alijque innumeri prioris exemplo incitati, eandem ſibi ſumant facultatem & auctoritatem emendandi Hebraicos codices? an non breui futurum eſt, vt tam varij codices euadant, quam ſunt varia hominum iudicia diſcrepanteſque ſententiæ? Licet quidem in Commentarijs aut ſeparato opere indicare, ſi quid ab antiquo immutatum deprehendimus, quod Hieronymus multis locis, alijque eius exemplo cum laude præſtiterunt. Cæterùm codices ipſos, litteras, aut puncta immutare, quoniam eos vti ab Hebræis ſeruantur recepit Eccleſia, vel leuiter attrectare nefas ſit, nimirum Hebraici codices ſcripturæ, quod initio dicebamus, communis Eccleſiæ poſſeſſio ſunt, neque à quoquam debent ſine publica auctoritate & conſenſu caſtigari. Quocirca immutatio punctorum & accentuum, quæ facta eſt in veteri teſtamēto Hebraico Biblijs Complutenſibus, quamuis ſententia & verborum ſignificatione retenta paſſim à viris doctis accuſatur, & in Biblijs regijs vetus ratio eſt reſtituta.

CAP. X.

De Massoreth, punctis & Hebraicis dictionarijs.

SAEpè hac disputatione de libro *Massoreth*, ac punctis Hebraicis mentio facta est, & quæ fuerit ea excogitandi ratio, ex parte explicatum; nunc paulò plura addenda sunt, ac finis imponendus disputationi de libris Hebraicis. In libro quidem Massoreth, quæ vox traditionem significat, variæ lectiones codicum Hebraicorum, qui olim extiterunt, variaque punctorum in eis ratio continetur, quæ ad marginem bibliorum Hebraicorum adijci solent, inuentum vtile inprimis ac commodum, nam ea diligentia cautum est, ne facile Hebraici codices vitiari possint, quo certè tempore ea ratio fuerit excogitata, non omnibus conuenit, quibusdam proximè ad Esdræ tempora eius originem reuocantibus, resistentibus alijs, ac eam diligentiam ante non multos annos factam fuisse putantibus, & est verisimilius, quod superius est dictum Tyberiade cum multis eum librum fuisse consarcinatum, collatis in eum varijs lectionibus, quæ in antiquis codicibus eo tempore inuentæ sunt; nam Hebraicos codices variasse olim, tum is liber argumento est, tum diuersæ ab vsitatis Orientalium codicum lectiones, quæ separato opere ad calcem Hebraicorum Bibliorum adijciuntur, quæ quatuor tomis distincta nostra ætate Venetijs formis expressa prodierunt. Præterea ex Hieronymi scriptis satis constat, Hebraicos codices olim non modo vocalibus litteris, in quarum locum puncta successerunt, sed etiam integris vocibus inter se discrepasse. A In illud Isaiæ tertio, *Mulieres dominatæ sunt eis.* Aquilam vertisse *exactores & fœneratores*, ait, haud dubium, quoniam vbi alij *nasim*, id est *mulieres*, legerunt Aquila *noghesim*, id est, *fœneratores* habuit, & cap. quadragesimo septimo initio duplicem lectionem Hebraicam fuisse ait, Theodotionem legisse שמלתך. B Aquilam autem צמתך. Cuius rei multa alia exempla proferri possent, nisi alio properaret oratio, nimirum ea diligentia satis cautum non esse, vt Hebraici codices inter se non discreparent, cùm libri Massoreth exempla non satis inter se conueniant. & Pagninus in radice נגש, Isaiæ vigesimonono, versu decimotertio, vbi ea dictio legitur C cum puncto, smol, & tamen in quadam Massoreth legi ait, cum puncto Iamin, significatione mutata. Præterea Massoreth quæ circumfertur in biblijs magnis Hebraicis differre nonnunquam consideraui ab ea Massoreth, quæ in biblijs regijs nuper est edita. Quomodo ergo is liber potuit sacros libros incorruptos conseruare, cuius exempla- D ria opinionibus, atque lectionum varietate non parum sæpè discrepant? Addo duos versus Iosue vigesimoprimo, extremo in Hebraicis codicibus desiderari, qui in antiquioribus codicibus extabant, vti superius est dictum. Et auctor Massoret magni, Psalmo vigesimoprimo, inuenisse se ait in quibusdam correctis codicibus *foderunt*, quidem E in textu, in margine autem, *sicut leo.* Vides Hebræorum codices variasse? Sanè cum vetustatis iniuria, & librariorum incuria libri alij sacri & profani, multis maculis sæpè contaminentur, num solos Iudæorum libros à communi conditione exemptos fuisse dicemus? nō arbitror, nisi Iudaicis rebus nimium fauere videri velimus. Tametsi non dubitabam post eam diligentiam à Iudæis

factam multo incorruptiores quàm antea, Hebraicos codices fuisse conseruatos. Puncta in Tyberiadis conuentu sacris libris fuisse adiecta, superius est dictum. Ea adijciendi duplex causa extitit, nimirum quoniam paucæ vocales, quibus Hebræi vtebantur, progressu temporis in varios sonos abierant, neque eodem modo locis omnibus sonabãt, quod hoc tempore in lingua præsertim Gallica contingere consideramus, vt eadem vocalis in varijs locis varium etiam sonum habeat. Ea varietas cum vsu & consuetudine potius quàm certa regula constaret, seque Iudæi in omnes prouincias dissipari viderent: punctis quibusdam additis ad sacros codices, quo pacto vocales locis singulis pronuntiandæ essent, prudenti consilio designauerunt. Ea prima excogitandi puncta causa fuit. Altera huic affinis, quoniam vocales litteræ non tantùm varijs modis proferebantur, sed etiam expressæ locis omnibus non erant, ac plerisque dictionibus consonantes tantum litteræ exprimebantur, quæ magna confusio ac perturbatio rerum erat, nam varijs vocalibus subintellectis, eædem voces non modo varijs modis proferebantur, sed etiam significatione varia, quod Hieronymus docet multis locis, præsertim Abacuch. 3. in illud, *Ante faciem eius ibit mors*, & in Isaiæ vigesimi sexti capitis illa verba, *Mortui non videbunt.* Non ignoro plerisque persuasum esse nullas in Hebraica lingua litteras vocales esse, sed consonantes tantum, quos opinione falsos esse Hieronymus indicat epistola 126. quæ est ad Euagrium. *Vocalibus*, inquiens, *in medio litteris Hebræi perraro vtuntur.* Sanè quatuor litteræ, quæ ab Hebræis vulgò quiescentes vocantur, olim vocalium officium implebant. At inuentis punctis in earumque locum substitutis, hodie ferè quasi superuacaneæ quiescunt, præter illas Hieronymus ad illa verba Oseæ 2. *Et erit in illa die, ait Dominus*, litteram ע vocalem esse Phœnicibus & Sidonijs ait, & sonare e. & a. quam opinionem nescio, an satis nostræ tempestatis Hebræis probare possit, eam litteram nunquam inter vocales, nè inter quiescentes quidem numerantibus, nisi quis dicat id Phœnicum linguę esse proprium, neque conuenire in Hebraicam. De dictionarijs Hebraicis pauca sunt adijcienda propter eos, qui incredibili audacia pronunciandi omnes ferè vocum Hebraicarum significationes à Iudæis mutatas contẽdunt vel per inscitiam eius gentis, aut in odium nostræ, rationemque Grammaticæ perturbatam esse, atque ex diui Hieronymi scriptis restituendam videri, quemadmodum ex eo & septuaginta interpretum versionem vocum Hebraicarum, veteres significationes, qui perinde mihi videntur sentire, ac si linguam Græcam asseuerarent, non ex Græcis scriptoribus addiscendam, sed ex paucis verbis, quæ in scriptorum Latinorum libris Græcè inueniuntur sparsa; ac debuit venire in mentem, quod Chrysostomus scriptum reliquit, vocum significationes petendas esse ex libris Iudæorum, scripturæ sensa ex Ecclesiæ thesauro. Neque puto gentem vllam in odium alterius linguæ suæ significationes commutasse, ne fieri quidem fortasse potest: cùm significatio vocum non ex paucorum arbitrio pendeat, sed ad multitudinis consensum reuocanda sit: quæ nescio, quí possit vniuersa ad fraudem faciendam conspirare. Neque dubium est tamen Iudæorum incuria magis quàm prauitate multas vocum Hebraicarum significationes in dictionarijs vulgò deesse, quas Ecclesia secuta est, & quæ possint non ex nostris tantum, sed ex Hebræorum libris erui atque restitui, in quo Christianis interpretibus diuinarum scripturarum sudandum fuisse videtur: verum id vitium dictionarijs Hebraicis cum

Græ-

Græcis atque Latinis commune eſt, A quos quotidie videmus nouis vocibus, nouiſque aliarum vocum ſignificationibus locupletari. De Hebraicis vnum aut alterum exemplum proferatur. Iſaiæ vigeſimoſecundo cap. vbi nos legimus: *Sicut aſportatur gallus gallinaceus*, in Hebraico eſt dictio, *Gheber*, quæ vox *virum* ſignificare ſolet. Itaque omnes interpretes recentiores, *virum*, in eo loco B Iſaię, non autem *gallum* ſignificari aiunt, præter vnum Cardinalis Complutenſe dictionarium, ob Hieronymi auctoritatem, cum vulgatæ interpretationem potuiſſent antiquorum Hebræorum etiam auctoritate tueri, in quo illis laborandum fuit: nam Rabbi Selomo, & Rabbi Kimhi hic noſtram interpretationem affirmat in Midraſſim, hoc eſt, Hebraicis explanationibus & antiquis C ſacrorum librorum inueniri: ille eam amplectitur dicens, טלטלה גבר בהדין תרנגולא דמטלטל מאתר לאתר; hoc eſt, *transportatione Galli, qui tranſit de loco in locum*. Et Numer. 33. vbi Hebraicè legitur, ויסעו מעציון גבר, id eſt, *profecti ſunt de Aſion Gheber*. Thargum Hieroſolymitanum explicat, ונטלו מכרך תרנגולא, hoc eſt, D *profecti ſunt ab arce Galli*, quod miror nullum ex nouis interpretibus conſideraſſe, vſque eo, vt vir quidam inſignis in Hiſpania, quem nominare non eſt neceſſe, Commentarijs ad eum locum, negauerit vocem illam Hebraicam vſquam in Galli ſignificatione poni. Deinde Paulus ad Hebræos 9. dictionem *berith*, in ſignificatione *teſtamenti* interpretatus eſt; E ex eoque confirmauit mori Chriſtum neceſſe fore, *vt teſtamentum quod nuncuparat, ſancitum eſſet & validum*, quam tamen vocis ſignificationem video ab omnibus dictionarijs fuiſſe pretermiſſam, etiam à Hieronymo, Ierem, 31. verſ. 31. vbi pro voce ea, *fœdus pactumq́;* reddidit: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael & domui Iuda, fœdus nouum, non ſecundum pactum quod pepigi cum patribus veſtris*, Præterea Iob cap. 19. vbi nos legimus, *repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo*, noui interpretes, *defecerunt renes mei in ſinu meo*, vocem *Kelioth*, pro qua noſter interpres *ſpem* poſuit, in *renum* ſignificatione ſumentes, negantesq́; verbum *Kalah* Hebraicum, vnde ea vox deducitur in *deſiderandi expectandive* ſignificatione poni; cùm ex Chaldaica lingua, quæ Hebraicæ affinis eſt ac ferme eadem, conſtet, verbum כלי *Kale* in *ſperandi ſiue expectandi* ſignificatione poni, & nomen כליות *ſpem* ſiue expectationem ſignificare. Mitto alia, quæ magno numero afferri poſſent, neque enim in vnum locum congerenda ſunt omnia, & diſputationi de Hebraicis codicibus finis eſt hic imponendus, atque ad Græcos codices & interpretes tranſeũdum, ſi prius de paraphraſi Chaldaica, & verſione Syriaca pauca dicta fuerint.

CAP. XI.

De paraphraſi Chaldaica, ſiue Thargũ.

DE auctoribus paraphraſis Chaldaicæ primum dicendum eſt, deinde de vtilitate, poſtremo de vitijs quibus fœdata eſt. Primus Ionathas diuinos Prophetarum libros, atque adeò Ioſue Iudicum & Regum libros, quos Hebræi inter Propheticos libros numerant, Chaldaicè reddidit viginti circiter annos ante Chriſti aduentum. Huius diligentiam Onchelos imitatus Hadriani imperio Moyſis quinque libros in Chaldaicam linguam vertit. Quem Hebræi ex Titi Auguſti ſorore natum ſuadent, nimirum ſi vera prædicant, à patre Veſpaſiano ſuſcepta ex Iudæa aliqua fœmina, quo tempore res in Palæſtina geſſit bel-

lumque Iudaicum. Verùm Eliæ Leuitæ verba præstabit adscribere hæc confirmantis in præfatione dictionarij Chaldaici. כי יונתן היה מתלמידי הלל שהיה כמו מאה שנה קודם החרבן הבית ואונקלוס היה בן אחותו של טיטוס שחריב הבית Hoc est, *Ionathas è discipulis Hillelis fuit, qui vixit centum circiter annos ante templi excidium. Onchelsos autem fuit filius sororis Titi, eius qui templum euertit.* Subsecutus est longo quamuis interuallo Ioseph cæcus aliorum librorum veteris testamenti, qui Chetubim vocantur, nouus ac tertius interpres. Non ignoro quosdam existimare à singulis hisce interpretibus conuersos omnes libros sacros, tametsi eorum diligentia magna ex parte perijt: neque desunt inter Hebraicos scriptores, qui Ionathæ versionem in legem citent. Verùm hoc tempore ea interpretatio non extat, quemadmodum neque duorum aliorum interpretum, nisi in eos libros tantum quos commemorauimus. Citatur etiam frequenter in eorum libris Aquilæ Chaldaica interpretatio, eius qui inter Græcos interpretes numeratur, an alterius, haud facilè dixerim. Nonnulli eundem *Onchelum* esse credunt nominis similitudine inducti coiectura haud parum sæpè fallaci vanaque, atque hactenus *Thargum Babylonicum*, dictum, quod Babylonica lingua constet. Extat enim prætereà tum in libros Mosis præcipuè, quosdam alios tum è diuinis libris alia interpretatio Chaldaica, quam *Thargum Hierosolymitanum* nominant incerto auctore. Sed quam Galatinus libro vndecimo contra Iudæos capite primo conuenire, vel maximè cum nostra editione Latina vulgata testatur. Sed & Elias Leuites in ea præfatione dictionarij affirmat Chaldaicam interpretationem, quæ vulgo circumfertur in libros Iob, Psalmos, & Prouerbia, qui omnes inter *Chetubim* numerantur, ex Hierosolymitana interpretatione seu Thargum esse, opinio probabilis, quoniam toto genere ab aliorum librorum interpretatione discrepat, & multas voces admixtas habet ex linguis Græca, Romana, & alijs, in quo differt à Thargum Babylonico, argumento eam interpretationem fuisse factam quo tempore nationes externæ Iudæorum imperium tenuêre, quorum commercio lingua vetus magnopere est vitiata. De quinque libellorum Chaldaica paraphrasi, nempe Cantico, Lamentationibus, Ruth, Esther, Ecclesiaste, idem Elias in ea præfatione negat se nosse, quo auctore sit facta, neque esse tamen Hierosolymitanam. Ratio certè interpretandi præsertim in Cantico Salomonis & Lamentationibus toto cælo discrepās ab aliorum librorum interpretatione. Hæc de auctoribus Thargum dicta sunto. De vtilitate pauca adijciamus. Est enim cognitio eius linguæ & paraphrasis commoda ad comparandam Hebraicæ linguæ cognitionem exactam. Est enim Chaldaica lingua veluti dialectus Hebraicæ, quippe quæ ex illa manauit, & cum ea connexa est. Eoque in Clementina de magistris in publicis scholis mandatur, *non professores modo linguæ Hebraicæ constitui, sed Chaldaicæ.* Multæ significationes vocum Hebraicarum temporis iniuria potius quàm hominum culpa exciderunt de memoria, vt aliquando mirum videatur magnopere ab Hebraicis codicibus Græcos aut Latinos discrepare. Ad eas significationes eruendas sæpè multum confert cognitio linguæ Chaldaicæ: cuius rei multa exempla proferri possent, & non pauca in hac disputatione attentus lector per se considerabit. Ad eruendum germanam diuinorum librorum sententiam multum sæpè adiuuat Chaldaicæ paraphrasis collatio, tum ad reuincendos Iudæos, qui eam, vt diuinos libros suspiciunt. Contingat sæpè diuinæ scripturæ locos Iudæorum malitia à Christo detorqueri alio. Ratio optima

eos redarguendi si ex antiquis Rabbinorũ scriptis aut etiam paraphrasi Chaldaica (quod sæpè contingit) ostendamus in eo haud dubium hallucinari. Verùm cum is liber à Iudæis sit editus, & in eorum manibus semper hæserit, multis partibus esse vitiatum docti omnes confitentur, ij etiam qui nimio plus Iudaicis reb⁹ afficiuntur, quorum est nostra ætate magnus numerus. Atque in Pentateucho quidem nonnulla, leuiora tamen vitia sunt: in alijs libris maiora frequẽtioraque. Qua causa in biblijs Complutensibus ea paraphrasis in Pentateucho est adiecta, in alijs libris prætermissa. Verùm quoniam in biblijs Hebraicis circumfertur, tum in Regijs cum interpretatione Latina, operæpretium erit ex multis quædam in medium proferre errata, vt lector quanta cautione opus habeat in eius libri lectione ex ijs quæ subijcientur intelligat. Itaque de futuro Messiæ aduentu quem illi quidem venturum expectant, de liberatione ab ea qua modo opprimuntur captiuitate, De restitutione gentis ex ijs locis, in quæ dissipata est, multa tota ea paraphrasi sunt inspersa. Quid de bello Gog & Magog dicam famosissimo quod sub initium regni Messiæ eiusque auspicijs profligandum Iudæorum vniuersa natio somniat. De quo in paraphrasi Chaldaica agi inuenias Canti. cap. vltimo vers. 4. Tum plura adijcit, Moses ben Maymon totius Misna cap. vltimo his verbis. שבתחילת ימות
המשיח תהיה מלחמה גוג ומגוג ושקודם
מלחמה גוג ומגוג יעמד נביא לישראל
לבם שנאמר אנכי שולח לכם את אליהו
הנביא וגומר: להכין Hoc est, *Initio dierũ Messiæ erit bellum Gog & Magog. Et antè bellum Gog & Magog princeps excitabitur Israeli ad præparandum corda eorum, quoniam dictum est: Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam.* Quam verò sint ridicula quæ de huius belli successu disputant Iudæi: non est huius loci commemorare. Sed certè *Gog & Magog* Romanum imperium intelligunt, & Christianorum quod
A malis omnibus peius oderunt. Inter alia Iudæorum deliria vnum est non esse ad vitam in resurrectione reuocandos, nisi eos tantum qui sepulti fuerint in terra Israël; reliquos negant ad vitam redituros prius quam per occultas cauernas terræ ad eam regionem quasi postliminio redeant. Quod illi dictum de animarum transmigratione
B ex instituto Pythagoriæ interpretantur: eamque reuolutionem גלגול *ghilghul* vulgo vocant, vti Elias copiose docet in *Thisbi*. Quomodo vnam animam primum in Adam, deinde in Dauide fuisse, postremo in Messia fore contendunt. Hanc vanitatem apertè docet Chaldæus paraphrastes Cantic. cap. vltimo
C vers. 5. his verbis: *Dixit Salomon Propheta quando reuiuiscent mortui, futurum est vt scindatur mons oliuarum, & omnes mortui Israel egressuri sunt ex eo: & etiam iusti, qui mortui sunt in captiuitate, venturi sunt per viam spinarum sub terra, & egredientur ex monte oliuarum.* Delirium alterum, animas impiorum vnà cum corporibus in-
D terire: quod apertè docet Rabbi Dauid Kimhi in psalmi primi ea verba, *Quoniam non resurgent impij in iudicio:* negatque in extrema resurrectione ad vitam suscitandos. Quod iterum tangit Isaiæ 51. vers. 14. Hanc opinionem æque stultam atque impiam pluribus locis indicare dissimulanter videtur Chal-
E daica paraphrasis. Ex multis locos quosdam designare mihi suspectos satis habeam. Psalm. 61. à vers. 21. & deinceps Isaiæ 42. vers. 11. & capit. 51. vers. 14. vbi ait: *Iusti non morientur in corruptionem,* tum Hieremiæ. LI. vers. XXXIX. & LVII. Illud impium quod Ecclesiastis 9. vers. 2. ait omnia ex fato siue stellis pendere his verbis. כלא במזלא תליא ומין שמיא אתגזר מה דעתיד למהוי להם, hoc est, *omnia ex fato siue ex stella pendent, atq; ex cælo decretũ est, quid futurũ est*

omnibus, quæ ſententia ſuperiori etiam verſu poſita eſt. In quo Latini interpretis cautio iure laudanda, qui pro *fato prouidentiam* poſuit, atque ex illa omnia pendere ait. Cum conſtet vocem, מזלא, *fatum fortunamque* ſignificare, in *prouidentiæ* ſignificatione extare nũquam. Iam illud quam ſuperſtitioſum quod Cant. vltimo cap. verſ.3. tum Chaldaicè tum Latinè legimus. *Dixit cœtus Iſraël, ego electa ſum ſupra omnes populos, quia alligo frontalia manui ſiniſtræ meæ & capiti, chartulaque infixa eſt lateri dextro portæ meæ, cuius tertia pars reſpicit thalamum, vt non habeant licentiam dæmones ad nocendum mihi.* Illud paulò inhoneſtius Eccleſiaſticis 4. verſ.11. quod vbi nos legim⁹. *Et ſi dormierint duo, fouebuntur mutuo*, Chaldaicè explicatur, *ſi dormierint duo vir & vxor eius, calor erit eis in hyeme, ſed vnus quomodo caleſiet.* Verùm hæc fortaſſis minuta iudicantur. Quid dicemus cum præcipua de Chriſto & myſterijs religiõis Chriſtianæ aliò ſæpè detorta videamus. Cuius rei aliquot exempla ſubijcimus. Pſalmus ſecundus de Chriſto totus intelligitur, & citatur ad Heb.1. Apocal.2. & 19. Ac præſertim illis verbis verſus 7. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te*, Chriſtum Deum eſſe manifeſtè colligitur. Chaldæus tamen ea penitus inuertit cum ſic explicat. *Dominus dixit mihi, dilecte ſicut filius eſt patri, tu mihi purus es.* Quod his verbis diuinitatis veſtigium? Pſalm.44. titulus, *Canticum amantiſſimi*, vt vertit Hieronymus, & in vulgata, *Canticum pro dilecto.* Quæ verba ſicut & totus pſalmus ad Chriſtum refertur, Chaldæus ſic inuertit; *Ad laudem pro aſſeſſoribus Sanhedrin ipſius Moſis, quæ dicta eſt in Prophetia per filios Chora, intellectus bonus hymnus & confeſſio.* Vbi nulla de dilecto Chriſto mentio. Quid Pſalmo 68. cuius initium eſt. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam*, quia Catholicis de Chriſto intelligitur, & ea ſententia citatur. Ioan.2. ad Roman.15. Matth.27. & Act.1. Chaldæus videtur planè ita ad Dauidem traducere, vt de Chriſto vix ac ne vix quidem poſſet intelligi. Pſalm. 90. verſ.7. vbi nos legimus, *Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis*, Caldæus poſuit, *Recordaberis nominis ſancti, & cadent à latere ſiniſtro tuo mille.* Nempè fabulantur Iudæi prolatione nominis Dei, quod ipſi ſanctum aut ſemine puras vocãt, olim miracula patrata. Quod falſum eſt, neque carens ſuperſtitionis vitio, Pſalm.109. vbi nos legimus. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech:* quod Paulus ad Hebræos 5. verſ.10. citauit, vt probaret aliam ſacerdotij fore rationem in nouo teſtamento diuerſam à veteri. Chaldęus ſic reddidit; *Iurauit Dominus in verbo ſuo, me præfectum iri magnum ſacerdotem in mundo futuro, quod fuerim rex immaculatus.* Atque adeò totum pſalmum à Chriſto ad Dauidem traducit. Pſalmi 118. verſ. 22. pro illis verbis. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Quem locum Matth. 22. verſ.42. Chriſtus de ſe ipſo explicat, & inter Hebræos dę Meſſia profecto accipit, certè Rabbi Selomo Michææ 5. ad illa verba. *Ex te mihi egredietur dux*, ſic enim ait: זה משיח בן דוד וכן באמ׳ אבן מאסו הבונים וגו׳, hoc eſt, *Hic eſt Meſſias filius Dauid. Sic enim ſcriptum eſt: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes*, Chaldæus ſic poſuit, *Puerum deſpexerunt ædificatores, qui inter filios Iſai meruit cõſtitui Rex & Dominator*, nempè pro, *Eben*, quæ vox *lapidem* ſignificat, legit, *Aben*, quod eſt *filius* fraude, vt puto, ne locus intelligeretur de Chriſto. Finis non ſit ſi deliria omnia velimus colligere: & neceſſario multa ſunt reſecanda. Ad Prophetas accedamus Iſai.9. verſ.1. vbi nos legimus. *Terra Zabulon & terra Neptalim*, & quæ ſequuntur verba Matthæi 5. cap. de Euangelij luce explicata, Chaldæus ad captiuitatem decem tribuum cõuertit & liberationẽ populi ex AEgypto.

Verba eius prætermittimus. Totum caput 53. de Christi morte intelligitur planè, eaque sententia Apostoli pluribus noui testamenti locis explicarunt. Chaldæus de laboribus explicat & ærumnis, quas Iudaicus populus in captiuitate est perpessus. In quo video rabbinos recentiores Selomo & Kimhi vehementer laborasse, vt totum caput, quo nullum est manifestius de Christo in veteri testamento, nouisq; expositionibus atque detortis aliò auerterent. Quid capitis 61. vers. 1. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me ad annunciandum mansuetis misit me.* Quæ verba Christus de seipso Lucæ 4. intelligẽda docuit, Chaldæus de ipso propheta explicat manifestè. Quemadmodum cap. LXIV. ver. III. illa verba. *Oculus non vidit Deus absq; te:* quæ Paulus 1. ad Corinth. 2. vers. 9. de veræ religionis mysterijs intelligit, non minus turpiter Paraphrastes implicat sua expositione, vt ne vestigium quidem leue relinquatur veræ sententiæ. Quid de Hieremia dicam? Illis verbis cap. 11. vers. 19. *Mittamus lignum in panem eius*, Ligni vocem ad veneni significationẽ traducit, quæ peruersio illi cum Pagnino communis est. Cap. XXXI. versu. XV. Illud, *Vox in excelso audita est Lamentationis, luctus, & fletus, Rachel plorantis filios suos*, pari licentia Chaldæa paraphrasis deprauat. Malachiæ 11. vers. 1. Illud, *Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omnis loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Tum illud Zachariæ 11. vers. 12. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Tum ex eodem Propheta cap. 13. ver. 6. *Quæ sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* ita Chaldæus peruertit, nullum vt vestigiũ extet eius sententiæ, quam Euangelistæ & Catholici reddiderunt. Porrò qui hæc & similia innumera aut percurrim⁹ aut silentio penitus inuoluimus, num minuta persequemur? vt Ionæ 2. vers. 5. cum Ionam in mare *Suph*, id est, *rubrum*, de naui præcipitatum affirmat, cum Ioppe vbi nauem conscendit Ionas, portus sit maris Mediterranei non Rubri, neque ab vno in alterum sit traiectus. Nam pro affirmatione Chaldæum aliquando negationem reddere dubium non est. Certè Genes. 4. vers. 23. pro *occidi virum*, ille habet, *nõ occidi virum.* Tum pro singulari numero pluralem, Genes. 22. vers. 18. & 26. vers. 4. & 28. ver. 14. *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, Chaldæus relicto singulari numero, in quo vis mysterij erat, dixit his omnibus locis. *Benedicentur propter filios tuos omnes populi terræ.* Cum Paulus ad Galat. 3. ver. 16. dicat. *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit. Et seminibus quasi in multis, sed quasi in vno. Et semini tuo, qui est Christus.* Quæ à me dicta sunt omnia, vt lector intelligat, quãta cautione is liber legi debeat, quãtisque maculis sit multis in locis fœdatus. Neque verum esse, quod quidam vir doctus nostra ætate incautè posuit, hos interpretes Spiritu sancto afflatos eas paraphrases confecisse.

CAP. XII.

De editione Syriaca.

SYriaca lingua & ipsa ab Hebraica manauit Chaldaicæ affinis, charactere tamen discrepans, atque ea qua Hierosolymæ & vicinis locis Syriæ Iudæi vsi sunt ab antiquo, & nunc vtuntur Christiani, multis libris in ea scriptis locupletata. Inter quos maiori fama celebrantur, quos Ephrem diaconus magno numero de varijs argumentis Basili; Magni tempore publicauit in ea lingua. Extant quin etiam diuini libri in eam conuersi linguam, & qui dem noui testamenti libros Al-

bertus

bertus Vuinmadstadius Ferdinandi Imperatoris Cancellarius typis vulgandos primus curauit, deindè bibliorum regiorum consarcinatores in quinto eorum tomo adiecerũt cum interpretatione Latina, quam Guido Fabricius vir doctus & pius adornauit. Veteris testamenti duplicem versionem habent alterã ex Hebraico factam, alteram ex Græca septuaginta interpretum editione. Auctor Moses Bar-cepha disputatione de paradiso parte prima: qui & ipse inter Syriacos scriptores numerari debet vir haud dubium doctus, tum in diuinis, tum in veterum Patrum Græcorum libris diligenter versatus. Itaque ex vtraque versione affert sæpè testimonia. Theodoretus etiam Syros codices veteris testamenti citat, certè Ionæ 3. ad illa verba. *Adhuc tres dies & Niniue subuertetur.* Nec sanè vetus testamentum Syriacum nos vidimus: ac ne typis quidem expressum hactenus prodijt. De nouo testamento pauca hoc loco dicenda sunt. Quod nõ negabo commodum fore ad eruendam sententiam plurium locorum, qui in ~~libris~~ codicibus, tum Latinis, tum Græcis multa obscuritate sunt impediti. Ac præsertim ex capitum seu sectionũ titulis, quibus de ieiunijs mentio fit, de cruce & eius veneratione, de vigilijs, precibus pro defunctis, satis intelligitur falli sectarios, cum hos & similes ritus à Romanis Pontificibus inuectos contendunt. Quæ vtilitas haud leuis censeri debet. A Marco Euangelista quidam putant hanc versionem noui testamenti factam prçter Matthçi Euangelium & Epistolam ad Hebræos, quç volunt ab auctoribus prodijsse, quomodo nunc leguntur in Syriaco testamento. Nolim equidem contendere, neque negauerim Christi & Apostolorum tempore linguã Hebraicam vitiatam vulgo fuisse, ac in Syriacam desijsse argumento vocum Hebraicarum, quæ in nouo testamento conseruantur. *Thalitha, Cumi, Golgotha, Gabbatha,* & aliarum, quæ, vt superius dictum est, non ex Hebraica lingua pura relictæ sunt, sed potius ex Syriaca, qua vulgo Iudæi ea tempestate vtebantur. Euangelium Matthæi & epistolam ad Hebræos probabile est initio non lingua Hebraica veteri fuisse scripta, sed Syriaca. Tametsi quis suspicari possit quemadmodum scriptores sacri, qui Græcè scripserunt, nõ lingua Græca vsi sunt corrupta, qua vulgus Græcorum proculdubio eo tempore sicut & nostro vtebatur, sed antiqua, sic Matthæum & Paulum veteri lingua Hebraica ijs libris vsos esse. Ac credam potius omnes noui testamenti libros ex Græcis conuersos in linguã Syriacam cum quibus ea editio in omnibus consentit: neque à Marco, vt isti putant, sed longo post tempore eam diligentiam fuisse factam. Consentit enim cum Græcis exemplaribus locis omnibus, in quibus à nostra versione Latina ij discrepant, etiam in illis quæ corrupta esse vitio temporum aut hominum culpa vehementer suspicamur. Periculum facito, non aliter statues 1. ad Corinth. 15. *Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur.* Ioan. vltimo, *Sic eum volo manere donec veniam.* Matth. 1. vers. 13. *Quia tuum est regnum & potentia & gloria in sæcula, amen.* Quæ verba non sunt in nostra vulgata. Ita dum fidem astruimus Syriacis, ne nostram prodamus editionem Latinam verendum est. Plura quidem vitia & maculas in editione Syriaca, eiusve interpretatione Latina consideraui minoris momenti pleraque. Quæ maiora sunt, eorum si exempla pauca subiecero satis habeam. Ac primum ad Galat. 4. vers. 26. vbi legitur in vulgata. *Sina mons est in Arabia, qui coniunctus est Hierusalem,* interpres Syriacus dixit, *confinis est autem ipsi Hierusalem.* In quo non satis expressit vim vocis שלם, nunquam enim significat *confinem esse,* quod de agris dicitur, sed potius *conuenire, affinem esse, similem esse:* cum qua significatione verbum Grç-

cum, *συςοιχεῖ*, mirifice facit, quod de elementis Symbolis eorumque affinitate dicitur, neque ad locorum ꝓpinquitatem referri debet, quemadmodum neque vox coniuncta, est posita in editione nostra vulgata, sed ad conditionem, qualitatem & mysterij similitudinem. Alioqui Sina locorum regionibus procul ab Hierosolyma situs est: quo facilè importunas de loci huius explicatione quorundam disputationes euadimus. Ad Hebr. 11. vers. 31. in versione Latina eius editionis positum est. *Per fidem Raab meretrix*, additum, quae ab interprete. (*caupona*) Nimirum voluit vocem meretricis non à turpi quaestu deduci, sed ab honesto victus quaerendi genere. Quae vox Iacobi etiam 2. vers. 25. addita est. In quo leges interpretis violauit: cuius partes sunt vocem in aliam linguam translatam non minus lata & ancipite significatione relinquere, quam est in origine, & cum vox Syriaca, זניתא, *Scortum* significare possit, ac vero plerumque significet quemadmodum in Hebraica lingua, non debuit profecto ad *cauponae* significationem, siue arctari, siue detorqueri. Ac nescio an satis consentiat cum Ecclesia eam foeminam arbitrari cauponam fuisse & non scortum potius, tum ob receptam vulgo opinionem quam antiqui patres confirmant, tum quod non in Hebraica modo & Syriaca lingua, *Sona*, vocatur, sed etiam Latine *meretrix* in editione vulgata, & à B. Iacobo Pauloque siue Luca aut Clemente (nam horum alterum epistolam ad Hebraeos interpretatum esse constans opinio est, & Eusebij lib. VI. histor. cap. XVIII. testimonio confirmatum,) Graecè, *πόρνη*, nuncupatur, quae voces nescio an vsquam inhonesti quaest⁹ significatiõe occurrant. Scio Chaldaeum paraphrastem vbique Raab *cauponam* dicere: & quod plus ponderis habet Gregor. Naz. in oratione de pauperum cura haec verba posuisse: *Inter peccatores Raab meretrix sed nequaquam meretrix professione, quae propter hospitalitatis amorem laudata est & saluata.* Neque ignoro nostra aetate placere coepisse quibusdam Catholicis opinionem, quę negat Raab aliquando scortum fuisse. In quo mallem aliorum sententiam audire, quam proferre meam. In hoc genere poni debet, quod Matth. 26. vers. 28. vbi nos legimus. *Hic est sanguis me⁹ noui testamenti*, interpres Syriaci posuit, *noui foederis*, cum dictionem tamen דיתקא quae eadem *διαθήκη*, Graecorum est, testamentum significare ipsemet in dictionario fateatur, neque ignorare potuit, Paulum ad Hebraeos 9. vers. 16. cum de noua lege disputet, de qua etiam Christus superioribus apud Matth. verbis loquebatur, eam vocem *in testamenti* significatione posuisse, neque posuisse tantum, sed ex ea etiam vocis significatione collegisse Christum qui *testamentum* nuncupârat, necessariò fuisse moriturum, vt testamentum esset validum. *Testamentum*, inquit, *in mortuis confirmatum est, alioqui nõdum valet dum viuit qui testatus est*, cuius argumenti vis penitus corruit dictione illa in *foederis* significatione sumpta, quod inter viuos etiã est validum, ac debuit venire in mẽtem, quosdam eius epistolę auctoritatem eleuare conatos esse, quod indignũ esse id argumentum Pauli maiestate putarent, quibus obuiam eundum fuit, atque haereticorum esse proprium nouum testamentum, *nouum foedus* vocare Gallicè *la nouuelle alliance*, atque ab ijs per imprudentiam ad quorundam Catholicorum sermonem manasse, quibus opitulari non oportuit, praesertim cum interpres ipse in Marco & Luca atque 1. ad Cor. 11. vbi de eodem mysterio agitur, pro eadem voce *testamentum* reddidisset, tametsi alijs rursus locis *ad foederis seu pacti* significationem reuertatur, quod incredibilem siue inscientiam rerum siue inconstantiã arguit. Atq; cum sanè Matth. locum & similes castigãdos restituẽdosq; omnino propter

ter auctoritatem Pauli iudicarem, ni ab Hieronym. in Hiere. cap. 31. præsidium aliquod habere considerarem, qui dictionem Hebraicam, *berith*, cui Syriaca & Græca respondent *fœdus & pactum* significare ait, atque adeo in eo Hierem. cap. vers. 31. legimus in editione vulgata. *Ecce dies venient dicit Dominus, & feriam domui Israël & domui Iuda fœdus nouum*, &c. & Innoc. c. cum Marthæ, de celebratione missarum, videri possit hanc interpretationem tueri, cum ait, *Noui & æterni testamenti perinde esse, ac si diceret noua & æterna promissionis.* Itaque de hoc loco, quod de superiori dixi, mallem audire alios quam ipse pronuntiare, tametsi hoc præsertim tempore æquum fuerat nihil in re tanti momenti mutari, quod multorum aures offendat. Ad Roman. 5. ver. 12. Pelagianis fauere videtur, qui negabant transgressionis Adę labem reatumque manasse ad posteros, sed eos mortis reos esse, atque vocari à Paulo quod eius trāsgressionem nouis peccatis imitati essent. Itaque vbi nos legimus eo loco, *& ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt*, quibus verbis significatur, omnes Adæ posteros eius peccati reos esse, etiamsi nullum peccatum nouum ipsi committerent; interpres Syriaci posuit. *Et ita in omnes mors pertransijt, in eo quod omnes peccauerunt.* Quanto satius erat vertere, in quo omnes peccauerunt quando eam interpretationem verba Syriaca recipiunt, quam mutando veteri lectione erroris suspitionem mouere? Eodem pertinet quod 1. ad Corinth. 15. vers. 10. dixit, *plusquam omnes laboraui, non ego sed gratia illius qui mecum est*, quæ interpretatio nostri temporis hæreticis multum fauet, negantibus vim & cooperationem liberi arbitrij, totumque tribuentibus gratiæ, quid enim aliud est non ego scilicet laboraui, sed gratia eius qui in me est, nempè Dei? Ac debuit interpreti venire in mentem magnā de huius loci interpretatione esse Catholicis cum hæreticis litem, Vallāque in annot. negare contra S. Thomam & August. satis ex hoc loco astrui *gratiæ cooperantis* vim, Caluinum vero l. 2. institut. cap. III. §. XI. ita locum vertisse, *non ego, sed gratia Dei quæ in me est*, à quo Fabricij interpretatio nihil differt, nisi quod relatiuum, qui, in genere masculino poni maluit. In quo Eras. qui liberior esse solet cautior extitit, cum sic locum reddidit, *non ego, sed gratia Dei quæ mihi adest*, & sanè sic potuit ad verbum verti ex Syriaco, *non ego, sed gratia Dei, qui, vel quæ mecum*, neque quidquam addere, quando in Syriaco nihil est aliud, vt Catholicus supplere posset, non verbum *est*, sed *operatur aut laborat*, quod proximè præcesserat. Sic enim vulgata dixit, *non ego, sed gratia Dei mecum*, Scilicet operatur, sublato relatiuo, conseruata sententia. Censeo ergo, vt maximè alia quæ à me adducta sunt in hoc capite dissimulari omnia placeat, hunc locum castigari debere ne in re tanti momenti aduersarijs fauere iudicemur? Rursus in hoc nouo testamento Syriaco nonnulli libri desiderantur, nimirum duæ Ioannis epistolæ 2 & 3. Petri 2. Iudæ epistola atque Apocalypsis. Vnde Græci qui teste Hieronym. epistola ad Dard. & l. de scriptoribus Ecclesiasticis in *Petro, Ioanne, Papia, & Iuda*, atque Euseb. libr. III. histor. cap. XXV. quique Græcis hoc tempore non pauci adhærent, eosque libros reijciunt à diuinorum librorum numero, argumentū possunt arripere ad perstandum in sententia, cum videant in Syriacis codicibus non esse. Deest etiam Ioann. 8. tota historia adulterę quod ijs patrocinatur qui eam additiitiam esse iudicant, quorum omnium sententia Trid. con. decret. sess. IV. cap. I. reprobata est, omnes libros sacros cum omnibus partibus suis prout in vulgata editione circumferuntur suscipientis. Aliquid certè dici debuit ad stabiliendam, tum eius historię, tum reliquorum librorum qui desunt auctorita-

ctoritatem, in quo video Ariam absoluto toto opere (nam ab aliquo ad A monitum fuisse suspicor) laborasse & initio primi tomi quandam siue præfationem siue excusationem posuisse, quod ipsis locis vbi periculum erat fieri oportuit. Quis enim postquam venenum hauserit, in tanta sylua siue præfationum, siue priuilegiorum, siue epistolarum remedium opportunè inueniat quæratve, admonente nemine? Iam verò illud B grauissimum esse arbitror, & prorsus correctione indigere, quod 1. Ioan. 5. totus versus 7. desideratur, nempè, *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt*, quæ verba cum Arrianorum iugulum peterẽt ab ipsis perfide fuisse sublata Hieronym. indicat, siue quicunque fuit C auctor prologi in septem epistolas canonicas. Et debuit interpres animaduertere Arrianorum pestem hoc temporre in quibusdam prouincijs plus nimio grassari, & vt procliues sunt homines ad quærẽdum vndecumque erroris patrocinium posse eos Syriacorum codicum auctoritate suam causam tueri, causarique nostros codices esse deprauatos, Syriacos tantum veram continere lectionem, præsertim cum tanta illis tribuatur antiquitas, vt Marcum habuisse interpretem scribant.

CAP. XIII.

Septuaginta interpretes prophetarum officio functos.

MVlta de Hebraicis codicibus cum sint dicta, rerum ordo exigit, vt ad Græcos transeamus, quoniam ex illis fontibus primi manarunt. De veteri testamento plura dicemus, de nouo adijcientur pauca. Ac veteris testamenti libros plures interpretes Græcè reddidisse superius est explicatum, multasque Græcas versiones extitisse olim librorum veteris testamenti omninò septem. In eo numero septuaginta interpretes, qui iussu Ptolemæi Philadelphi id opus perfecerunt, in AEgypto principem locum tenuerunt, cæteris antiquiores maiori multo auctoritate. De quibus solet in dubium verti. *An diuinos libros fuerint diuino instinctu & inflatu interpretati*, sic vt eorum calamus cum interpretationem faciebant regeretur à Deo, non minus quam Mosis, & aliorum scriptorum sacrorum scribẽtium libros sacros. Neque hoc loco de vocis notione laboramus, scimus enim scriptores Sacros *à Prophetis* veteribus nõ scribendi fide, sed directionis modo differre. Neque rursus *Prophetæ* vocem lata significatiõe vsurpamus, qua Paulus vtitur ad Ephesios 3. vers. 5. & cap. 4. vers. 11. vbi ait, & ipse dedit, *Quosdam quidem Apostolos, quosdam quidem Prophetas*, ea voce comprehendens interpretes explanatoresq; diuinarũ scripturarum. Ambrosij certè sententia, nimirum, quoniã vt Origines ait homil. II. in Ezechielem, quo spiritu & mẽte antiqui Prophetæ vaticinati sunt, eadem opus habeant qui commodè debent diuinos libros exponere; quemadmodum *Euãgelistas* mox Paulus vocat, quibus munus erat Euangelium per ꝓuincias primis temporibus euulgandi, quo modo ab Eusebio Pantenus Alexandrinus, *Euangelista* vocatur, alijq; multi per id tẽpus eodem fungentes munere, lib. 5. historiæ Ecclesiasticæ ca. 10. Nos hoc loco *Prophetæ* voce intelligimus, qui præsentia diuini numinis ductus, neque fallere potest, neque falli. Sanè AEgypti rex Ptolemęus Philadelph⁹ pacis artibus magis quam bello oblectatus tam multa ingenij, & liberalitatis monimenta reliquit, vt ab eo elegantia opera & magnifica *Philadelphia* vulgo dicerentur teste Philone lib. II. de vita Mosis. Is auctore Demetrio Phalereo *(qui primus doctrinam vrbes regendi*, vt Cicero ait, libr. III. de legibus, *ex vmbraculis erudito-*

rum & otio, non modo in solem atq; puluerem, sed in ipsum discrimen, aciemque perduxit) Alexandrinam bibliothecam vndique cōgestis libris instruere cogitauit. Demetrius cui ea cura imposita est, ducentis librorum millibus congestis, & cum breui ad quingenta milia fore affirmaret teste Iosepho lib. XII. antiquitatum cap. II. (tametsi Marcellinus Amianus libr. XXII. *Septuaginta modo librorū milia* Cæsare dictatore in bello Alexandrino conflagrasse affirmat) regi indicauit diuinas leges apud Iudæos seruari, quæ si in Græcam linguam verterentur, magnum ornamentum operi inchoato essent allaturæ. Rex Iudæis, quorum erat magnus numerus in AEgypto, per edictum libertate restituta, ad Eleazarum eius gentis pōtificem litteras cum donis mittit, quibus septuaginta duos viros sapiētes senos ex singulis tribubus, ea causa ad se mitti impetrauit, eorumque aduentu Hebraici libri diuinarū scripturarum Græcè sunt redditi. Hactenus auctores cōsentiunt. De ratione interpretandi dissentiunt inter se viri antiquitate, auctoritateque maxima. Pleriq; in cellas distributos affirmant, cum inter se nihil contulissent sententia & verbis eisdem interpretationem omnes perfecisse, quod si verū est, numinis pręsentis argumento certissimo. Huic sententiæ Augustinus suffragatur lib. XVIII. de ciuit. c. XLIII. tum lib. II. de doctrina Christiana cap. XV. his verbis: *Latinis quibuslibet emendandis Græci adhibeātur, in quibus septuaginta interpretū, quod ad vetus testamentum attinet, excellit auctoritas: qui iā per omnes peritiores Ecclesias tanta præsentia Spiritus sancti interpretati esse dicuntur, vt os vnum tot hominum fuerit, & quæ in hanc sententiam sequuntur.* Eadē docet Irinæꝰ lib. III. cap. XXV. Ptolemęo metuente ne fortè consensu veritatē abscon derent, separatos eius iussu, eisdē verbis omnes interpretationem fecisse. Idem sentit Clemens Alexandrinus Stromatum primo. Iustinus in oratione Parænetica, priorum sententia cōfirmata, adijcit, vestigia *cellularum* Alexandriæ se vidisse. Philo lib. II. de vita Mosis aperto miraculo tribuit, in tāta linguæ Græcę varietate & copia, eisdem omninò verbis interpretationem fecisse, atque rei gestæ memoriam anniuersarijs sacris, nō à Iudæis, sed ab incolis etiā in Pharo insula, vbi interpretatio est facta, celebrari consueuisse; sperareque se breui fore vt tota AEgyptus diuinas leges susciperet. Ecce duos oculatos testes, quibus auctoritate & fide iure pręferri nullus antiquorum possit. Deniq; Epiphanius *lib. de ponderibus & mensuris*, cum cæteris consentiens binos in singulas domunculas distributos, q̄ erant sex & triginta & vnū quodq; par singulos diuinæ scripturæ libros interpretandos accepisse primū: deinde alios circulo affirmat solꝰ, eūq; secutꝰ Iustinianus Nouella CXLVI. eatenus vt *binos* in *singulis* cellulis fuisse dicat; nam alij *singulos* in singulis cellulis distributos aiunt. In alteram partem Hieronymi auctoritas opponitur, q̄ eam opinionē nullo idoneo auctore nixam, ex vulgi rumoribus collectam ait, lib. II. contra Ruffinū, præfatione in librum Paralip. vulgo sine auctore eas cellulas iactarē affirmat; & præfatione in Pētateuchum, *Nescio*, inquit, *quis primꝰ auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit, quibꝰ diuisi* (certè septuaginta interpretes) *eadē scriptitarint.* Cùm Aristæas eiusdem Ptolemæi, ὑπερασπιστής, & multo post tēpore Iosephus nihil tale retulerint, sed in vna basilica contulisse scribant, non prophetasse. Extat quidam *Aristeæ*, q̄ in intimis Ptolemæi erat, & quo suasore Iudæi in libertatem restituti fuerūt, libellus de septuaginta interpretum versione, singulorum etiam nominibus adscriptis; quem negare nō possumus eius miraculi nullā fecisse mētionem, cùm minutissima quæq; explicuerit, & fortasse rem omnibus notam ac testatam prætermisit, neq; omnia historici referūt. Nam ab auctorita-

ctoritate aliorum patrum discedere graue existimabam. Neque Iosephi auctoritas mouebat, qui libro XII. antiquitatum cap.II. *Aristaeae* tantùm disputationem ferme totidem verbis in suam historiam transtulit, nulla re addita vel commutata. Ergo eò inclinat animus, vt diuino numine inspirante septuaginta interpretes opus perfecisse credam. Certè vtrouis modo praecipua prae caeteris interpretibus auctoritate & maxima, vti Augustinus ait locis citatis, si separati nō fuerunt, sed communi tractatu singula contulerunt, ne sic quidem quemquam vnum hominem qualibet peritia ad emēdandum tot seniorum doctorumque consensum aspirare oportet aut decet. Quae sunt ipsa Augustini verba. Porrò septuaginta interpretes in sua versione nō verbum verbo reddidêre, vti Origenes ait, sed paraphrasim potius fecisse videntur quam translationem, nimirum studio nostra & Christi mysteria apertius explicandi. Sic commodum ille putabat, si sacri libri ex Hebraico ad verbum verterentur, vt in Ecclesiasticis conuentibus septuaginta interpretū versione vteremur, altera ex Hebraico aduersus Iudaeos, quod Graecè Aquila, Symmachus, & Theodotio praestiterunt, Latinè Hieronymus. Ea causa saepè septuaginta interpretum versio ab Hebraicis discrepat, & quoniam nonnulla mysteria tegere gentibus voluerunt, vti idem Hieronymus ait praefatione traditionum in Genesim. *Neque verò,* inquiens, *septuaginta interpretum (vt inuidi latrant) errores arguimus, neq; nostrum laborem illorum reprehensionem putamus: cum illi Ptolemaeo regi Alexandriae mystica quaeque in scripturis sanctis prodere noluerint, & maximè ea quae Christi aduentum pollicebantur, ne viderentur Iudaei, & alterum Deum colere: quos ille Platonis sectator magni idcirco faciebat, qui vnum Deum colere dicerentur.*

CAP. XIV.

Septuaginta interpretes legem modo sunt interpretati.

Sequitur quaestio non minus impedita argumentorum in vtramq; partem pondere, & diuersa sententium auctoritate, quam partem veteris testamēti septuaginta interpretes fuerint interpretati. Nam antiqui ferme patres, omnes libros veteres indicant. Iustinus in oratione Paraenetica antiquos libros Hebraeorū conscriptos litteris versos ait, nullo discrimine facto, & Irenęus lib. III. c. XXV. petijsse Ptolemaeum ab Hierosolymis habere interpretatas scripturas eorum. Epiphanius numerum librorum exprimit, ac viginti septem omnino Graecè conuersos ait, ita vt seniorum par vnum quoq; libris illis inter omnes distributis, vnum librum interpretandum acciperet, factaq; interpretatione daret alijs vertendum, & vicissim acciperet interpretandos, qui ab alijs versi erant, donec circulo facto libri oēs ab omnibus interpretibus verteretur. Ad horū patrū auctoritatē accedit validū argumentū: cùm .n. Christus & Apostoli veteris testamenti locos non ex Hebraicis libris, sed ex Gręcis produxerunt saepè, vti antè dictum est, qua ex interpretatiōe alia sumere potuerunt? Neque enim Aquila, Symmachus, Theodotio, alijue interpretes adhuc extiterant. Deinde quoniam praeter sex editiones, ab antiquis patribus septuaginta interpretum editio citatur in omnibus libris veteris testamenti, tanquam ab alijs diuersa; & Origenes in Hexapla eam contulit, quam nisi nouos interpretes fingamus, à septuaginta factam fateri debemus. Haec sunt in hanc partem argumenta valida atque praeclara; quis neget? quis non videat? In altera Hieronymi auctoritas est, qui multorum instar esse possit: is Aristaeam

& Iosephum affirmare, ait, legem tãtùm, hoc est, quinque libros Mosis à A septuaginta interpretibus fuisse conuersos: consentireque eruditos, omnemque Hebræorum scholam. Sanè Aristæas & Iosephus legem petitam à Hierosolymis, missamque, interpretesque cum membranis quæ legẽ aureis litteris scriptam continebant ad regem iuisse aiunt. Sed præstat ipsa Hieronymi verba ex præfatione traditionum in Genesim subijcere. B Accedit dicentis ad hoc quoq;, quod Iosephus qui septuaginta interpretũ proponit historiam, quinque tãtùm libros Mosis translatos refert, quos nos quoque confitemur, plusquam cæteros cum Hebraicis consonare. Tum in Ezechielis verba ex quinto capite. *Tertia tui pars peste morietur*, ait, *quanquam & Aristæus & Iosephus, & omnis schola Iudæorum quinque tantùm libros Moysi, à septuaginta translatos asserant*. Eadem repetit in illa ver- C ba ex capite 15. eius Prophetæ, & profecisti in regno. Prætereà Micheæ 2. in illa verba, mulieres populi mei eiecistis. Accedit Philo, qui lib. II. de vita Mosis tantummodo, ait, legem ab illis interpretibus traductam, & cum cæteris consentiens Zonaras to D mo primo, suorum annalium. Legis autem nomine Hebręi Pentateuchũ intelligunt, quem & Thorah, id est, legem vocant. Accedit styli dissonãtia, nam Hieronymus pręfatione traditionum in Genesim, versionẽ Pentateuchi magis cum Hebraicæ fontibus quàm cæterorum librorum conuenire ait, quod de Ezechiele etiam confirmat præfatione in eũ Prophę- E tam, his verbis, sed & vulgata editio non multum distat ab Hebraico, vnde non satis miror quid causæ extiterit, vt si eosdem in vniuersis libris habemus interpretes, in alijs eadem, in alijs diuersa transtulerint. Sæpeq; idẽ Hieronymus in Prophetis pręsertim conqueritur, magnam nominũ propriorum in ijs vaticinijs immutationem esse factã præ alijs veteris testamenti libris. Quę magna argumenta

sunt, ac nostram assensionem in hãc partem potius trahũt. Nam si auctoritate agendum est, Aristęæ, Philoni atque Iosepho, nemo posteriorũ iure præferatur, & certè diebus septuaginta duobus, quibus interpretationem factã Iosephus & Aristæas affirmant, item Cyrillus catechesi 4. septuaginta quo modo potuerũt libros omnes conuertere? præsertim inter omnes collatiõe facta. Nam quod obijcitur ab aduersarijs, vnde Christus & Apostoli Græca testimonia protulerint, nimirum exciderat, Clemẽtem Alexandrinum, Stromate primo, atque Eusebium lib. IX. præparationis Euangelicæ c. II. vtrumq; ex Aristobuli sententia affirmare libros Hebręorũ, priusquam rerum potiretur Alexander Magnus, fuisse in Gręcam linguã cõuersos. Vnde poëtæ & philosophi apud Græcos multa mutuati sunt, prorsus vt Numenius affirmaret nihil aliud esse Platonẽ quàm Mosem Attica lingua loquẽtem. Inde etiam Theopompus, & Theodectes cùm in sua poëmata quædã ex diuinis libris trãstulissent, eius temeritatis pœnas dederunt, alter emota mente, alterius oculis excæcatis, vt Aristæas & Iosephus referunt locis citatis. Addam etiã ex Iustino in oratione II. ad Antoninum Imperatorem, Herodis regis tempore Ptolemęo AEgyptio rege exponente Gręcè fuisse conuersos propheticos libros. Quod memoriæ lapsu quidam putat à Iustino martyre Herodem positum pro Pontifice Eleazaro, à quo septuaginta interpretes in AEgyptum sunt missi. Ego plures interpretatiões varijs ante Christum temporibus fuisse factas cogitabam., neq; Iustinum credebam in re apertissima fuisse hallucinatum, sic factum, vt cum ex varijs interpretationibus cum lege ipsa seu Pentateucho libri alij sacri in bibliotheca Alexandrina essent reperti, quorũ erat auctoritas maior, & fama celebrior, septuaginta interpretibus omnes tribuerẽtur, quam opinionem secutus Origenes in sua eos volumina con-

tulit eodem septuaginta interpretũ nomine,& Hieronymus ipse quoties de hac re propriè disputatio non est, vulgarem sequitur famã, septuaginta nomine totam illam interpretationẽ passim vocitans. Labor longius, ad alia trãseundum, si Thalmudistas adiecero nostræ sententiæ hac & superiori disputatione suffragari argumẽto haud dubio veritatis, quî enim nobiscum cõspirassent? Illi ergo initio eius tractatus quem, מסכת סופרים id est, *tractatum scribarum* vocant, sic aiunt. Ptolemæus rex conuocauit septuaginta duos senes, collocauitque in totidem cellis; cumq; nondũ aperuisset, qua de causa cõuocati essent, ingressus ad singulos dixit eis: scribite mihi legem Mosis magistri vestri. Porrò Deus ita cuiusq; mentem dirigebat, vt cum scriberent singuli, eandem omni ex parte legẽ omnes scriberent, tredecim modo locis ab Hebraico commutatis. Hæc illi.

CAP. XV.

Codices Græcos ex septuaginta pura interpretatione non esse.

ERgo cum lege quæ sola à septuaginta interpretibus est Grçcè reddita, alij libri sacri veteris testamenti ex vetusta interpretatione cõiuncti circũferebantur, quæ ab vsu loquentium septuaginta editio vniuersa vocabatur, nõ ab indoctis, sed ab expolitis etiam doctrina & eruditione viris: reliquũ est hoc loco inuestigare, an quæ ex Grçcis omnibus versionibus sola manet, ea ipsa sit, an ex alijs aliqua. In qua disputatione cõiecturis agẽdum est, ac satis habeam si verisimilia quæ fuerint pro veris accipiãtur. Statuo igitur Græcos codices non ex syncera illa interpretatione, sed potius ex ea cum alijs mixta esse prorsus ex ea interpretatione, q̃ vulgata à Græcis seu communis dicebatur. De psalmis testata res est, cũ Hieronymus epistola ad Sũniam & Fretellam locis omnibus, quib. vtramq; versionem affert tota ea epistola, qui innumeri sunt, confertq; vtramq; editionẽ, quam lectionem vulgatæ editionis esse ait, & à septuaginta interpretum versione discrepare, ea ferè in Græcis codicibus retinetur: hodie longũ esset proferre omnia, quædam tantùm exempla proferantur. Primùm ex Ps.5. vbi hodie Græcè & Latinè legimus. *Dirige in cõspectu tuo viam meã*, quæ fuit lectio vulgatæ editionis: septuaginta è contrario cum Hebræis legebant, *Dirige in conspectu meo viã tuam*. Deinde Psal.6. vbi nos legimus ver.11. *Erubescant & cõturbẽtur vehementer*, aduerbium, *vehementer*, quod in Hebraicis codicibus, & septuaginta versione erat, in sola vulgata desiderabatur, vti hodie in nostris codicibꝰ Græcis desiderari videmus. In solis tamẽ Romanis legitur Græcè. Prætereà Psal.16. vers.2. *Oculi tui videant æquitates*, in communi & vulgata legebatur olim, *Oculi mei videãt æquitates*, ea lectio modo in Grçcis codicibus etiã Romanis cõseruatur. In eodem psalmo ver.8. ꝙ modo legitur Græcè. *Custodi me Domine, vt pupillam oculi*, negat in alio interprete præterquã in editiõe illa reperiri. Versus illi qui citãtur à Paulo ad Roman.3. *Sepulchrum patẽs est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant:* de quibus magna quçstio est, ex quo veteris testamenti loco afferantur, plerisq; affirmãtibus ex Psal.13. quoniam nisi illi versus eius psalmi sint duo Psal.13.& 52. idem psalmus esset. Hieronymus prçfatione lib. XVI. in Isaiã credit ex varijs locis veteris testamenti à Paulo produci, negatq; eos versus in Ps.13. inueniri, præterquã in vna editione vulgata, qui hodie tamen in Græcis codicibus Ps.13. leguntur, atq; ex illa in Latina vulgata editione Ps.44. ver.14. illis verbis, *in fimbris aureis circumamicta varietate:* Hieronymꝰ epistola ad Principiam virginem ne-

gat illud circundata varietate, quod in Græcis codicibus extat, vllū interpretem posuisse præter vnam editionem vulgatam. Postremò Ps. 75. vers. 8. illa verba. *Venite & quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra*, nulla editio habebat, præterquam Luciani, quę eadem vulgata, seu cōmunis erat, nam septuaginta interpretes & sexta editio, *κ̓ζ καύσωμεν*, id est, *comburamus* posuerunt. Theodotion, *ἐνεπυρίσωμεν*, Aquila & Symmachus *ἐνέπρησαν*, quinta editio, *κατέκαυσαν*, id est, *incenderunt*, vti in Hebraicis codicibus legitur, & Hieronymus in sua versione est interpretatus. Qui locus cum alijs ex ea Hieronymi epistola ad Sūniam & Fretelam Paulum Forof. II. par. Paulinæ lib. II. in eam opiniōem adduxit, quæ est eruditorum hodie, Græcos psalmos non ex interpretatione septuaginta seniorum, sed ex communi Gręcorum esse atque vulgata. Idem possumus de Prophetarū libris confirmare multis exemplis & auctoritate multorū patrum. Ac primum Hieronymus in Isaiam lib. primo, postrema verba secundi capitis, *quiescite ergo ab homine cuius spiritus in naribus eius est:* deesse dicit in versione septuaginta interpretum quæ tamen modo in Gręcis codicibus integra extant, ac proxima verba, *quia excelsus reputatus est ipse*; inuersa ab Hebræis puta dictione vna, במה, in duas partita intelligentes, inquit, Iudæi prophetiam esse de Christo, verbum ambiguum in deteriorem partem interpretati sunt, vt viderentur non laudare Christum, sed nihili pēdere. Quemadmodum & Origenes homilia XII. in Hieremiā, in illa verba: *Peccatum Iudæ scriptum est in stylo ferreo*, quoniā, inquit, difficile est aliquem se malum cōfiteri, ideo Iudæi qui exemplaria nonnulla falsarunt, etiam in hoc loco *pro peccato Iudæ* etiam *peccatum eorum posuerūt*. Verum satis multa in hanc sententiam superius adducta sunt, & finis non esset si omnia essent congerenda. Idem Origenes ad Romanos cap. 11. illa verba à Paulo desumpta ex Isaiæ cap. 59.

A *Veniet ex Sion qui eripiat & auertat impietatē à Iacob*, explanans, affirmat septuaginta interpretes posuisse (nēpè vnde testimoniū illud Paulus assumit) *Veniet propter Sion*, nunc autem legitur, *Veniet à Sion*, &c. ἥξει ἀπὸ σιὼν ὁ ῥυόμενος καὶ ἀποστρέφει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ. Hieronymus Ezechielis 13. in illud, *Qui liniūt absq; temperatura*, vers. 10. affirmat septuaginta posuisse *qui

B liniunt stultitia*. Quæ lectio in codicibus Græcis vulgo non habetur, ne in Romæ quidem editis nuper, præterquam in Complutensibus, & eorum exēplo in regijs restituta, vt arbitror ex Hieronymi verbis. καὶ αὐτοὶ ἐπαλείφουσιν αὐτὸν ἀφροσύνῃ. Ad hæc historia Susannæ Danielis 13. in septuaginta quidem codicibus erat, vti superius

C est ex Origene demonstratum. Hieronymus autē dicit se eam ex Theodotionis editione sumpsisse nihilo differentem à Græcis codicibus qui modo extant. Itaque Origenes versionem septuaginta dixit, quæ cōmunis & mixta cūm alijs erat ac præsertim cum Theodotionis. Ac verò *totum Danielē* Græcè ex Theodotionis versione esse indicat illis verbis præ-

D fatione in illū librum. *Danielem Prophetam*, inquiens, iuxta septuaginta interpretes Domini Saluatoris Ecclesiæ non legunt, vtentes Theodotionis editione, & hoc cur acciderit nescio. Nimirum cōmunis seu vulgata editio Græcorū ex cæteris interpretationibus, præsertim Theodotionis cum septuaginta interpretum versione erat confusa, libris etiam inte-

E gris vt magis Ecclesijs placuerant, in eam ex alijs interpretibus in cōmune corpus collatis. *Liber Esther* ex vulgata Græcorum editione fuisse mihi videtur. Nam quæ Hieronymus in versione Latina ex vulgata Græcorum versione sumpsisse se ait à capite X. ea ferme in Græcis codicibus extant, illa etiam quæ capite XI. in vulgata fuisse tantùm, neque in alio interprete vllo inueniri, nimirum, *Anno 2. regnante*

Artaxerxe Maximo prima die mensis Nisan, & quæ sequuntur. De libro Iudicum quid certi afferam non habeo, nisi fortassis quod Eusebius in Chronicis negat *Ailon* vel *Aeglon* numerari in Iudicibus à septuaginta interpretibus, cuius tamen nomen hodie in Græcis codicibus extat cap. 12. ver. 11. Librum Iosue ex septuaginta interpretum versione non esse, Massij diligentia in eum librum Græcè apertè conuincit multis verbis ac sententijs additis aut detractis ad veterem septuaginta interpretationē, qua in re laudādus eius conatus est, si ex certæ fidei codicibus Græcis ea restituit, neque Syrorum libris se in fraudem induci est passus, quos superius dictum est vetus testamentum habere, tum ex Hebræo, tum ex editione septuaginta in suam linguam conuersum. Verum accedit eodem Hieronymi auctoritas in Michæam 5. cap. ad illa verba, & tu Bethlem Ephrata affirmantis verba illa, Theco & Ephrata, hęc est Bethlem, quæ sunt superius adducta, neque in Hebraico esse, neque apud alium interpretem inueniri, nisi in septuaginta interpretibus, quæ in nostris hodie codicibus Græcis desiderantur, in ipso etiam Massij codice obelo iugulata. Reliquum est de Pentateucho disserere, in quo versionem septuaginta interpretum puram, certè synceriorem, quam in alijs partibus manere indicio sunt Hieronymi traditiones in Genesim, nam ferè quibus locis septuaginta verba affert, ea modo in Græcis codicibus extant. Genesis capit. 3. super pectus tuum & ventrem tuum gradieris, & cap. 25. vers. 22. illis verbis, collidebantur in vtero paruuli, ait, in septuaginta Græcè legi, ἐσκίρτων δὲ τὰ παιδία ἐν αὐτῇ. Quę lectio in Gręcis modo codicibus extat, tum cap. 26. vers. 33. vbi appellauit eam abundantiam, septuaginta vocauit eum iuramentum, quæ lectio etiam in Gręcis codicibus extat. Verùm de hac re certò pronunciare non possumus, cùm Hieronymus eo libro de vulgata editione nihil meminerit, quibus locis à septuaginta seniorum editione discrepabat, quod factum puto, quoniam ea parte vulgata magis consentiebat cum veteri septuaginta seniorum interpretatione, & Genes. 49. illis verbis, donec veniat qui mittendus est, vers. 10. vbi modò legitur, donec veniant reposita ei, ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. Septuaginta legerunt, donec veniat cui repositum est, ᾧ ἀπόκειται, vti Eugubinus in annotationibus ad eum locum ait, & ex Iustino colligitur contra Tryphonem, iuxta Perionij certè versionem; nam Græci codicis copia non erat. Poteram, inquit, vobiscum de verbo pugnare, quod vos interpretamini, cùm scriptum esse dicitis hoc modo, quoad venerint ea quæ ei reposita sunt, quandoquidem non ita interpretati sunt septuaginta interpretes, sed quod is cui repositum est venerit. Postremo ex Origene homilia secūda in Exodum illis verbis ex cap. 2. sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine, satis colligitur septuaginta verbo Hebraico Theba, id est, arca relicto, posuisse: sumpsit mater eius Thecam θήκην, Quæ dictio hodie in Regijs & Complutensibus Græcis est, Romana Biblia θῖβιν posuêre. Adhæc satis constat ex libro I. Hieronymi contra Ruffinum, commentaria in Psalmos, quæ eius nomine circumferuntur, Hieronymi germana esse, affert enim illa verba, נשקו בר, ex Psalmo secundo in commentariolis interpretatum esse, adorate filium, in versione psalterij posuisse, adorate purè, quæ eo libentius dicta sunt, quod nonnulli qua solent libertate pronunciandi ex numero, operum Hieronymi illa Commentaria expungunt. Ergò in eo libro Psalm. 86. ver. 5. vbi nos legimus, mater Syon dicet homo, affirmat septuaginta interpretes transtulisse, nunquid Syon dicet homo? nunc autem in Græcis codicib. mater Syon legimus, vt est ferè in vulgata nostra Latina, certè

in Psalterio Romano. Ex his autem locis omnibus, multisque alijs, quæ A passim occurrunt, satis efficitur Græcos codices non ex septuaginta interpretatione certè pura & syncera esse, sed confusa cum alijs. Itaque in Græca interpretatione, qua modo vtimur, multa è septuaginta versione sunt, multa ex versionibus alijs. Quo fit vt sæpè etiam, quæ ab antiquis patribus in septuaginta interpretum versione esse dicuntur, in il- B lis inueniantur. Vt Origenes tomo II. in Ioannem affirmat, Esther cap. 14, legi in ea versione, *Ne tradideris sceptrum Domine non existentibus*, & Hieronymus in Zachariam ad illa verba 5. capitis, & *habebant alas quasi alas milui*, ver. 9. affirmat in ea versione legi, & ipsæ habebant alas, sicut alæ sunt vpupæ. Vtrumque autem legitur in nostris codicibus Græcis, C quæ ex multis, atque ex innumeris afferre exempli causa visum est argumento certissimo in Græcis codicibus, neque omnia ex septuaginta interpretum versione esse, neque nulla ac potius videri ex communi seu vulgata Græcorum editione relictos esse, quæ erat ex multis permixta, ac maiori ex parte septuaginta interpretum versionem amplectebatur. D Neque negauerim Græca Biblia, quę ante aliquot annos Romæ prodierunt, multo synceriora esse quàm reliqua, qua causa in Pontificis diplomate septuaginta interpretum esse dicitur. Sed & ipsa ex alijs editionibus non pauca habere admixta, ex ijs quæ dicta sunt à nobis hoc capite planè intelligitur.

CAP. XVI.

Græcos codices esse vitiatos.

AD Græcos & Hebraicos codices plerique recurrendum disputant, quoties in Latinis inciderit nodus aliquis difficilis explicatu, quasi ad primas origines, vnde ad nos cætera deriuârunt: quod cùm faciunt, antiquorum patrum exempla Hieronymi atque Augustini, & vestigia sibi consectari videntur. Horum opinionem conuellere ex animis magna ex parte hac disputatione conabimur, eos fontes multis magnisque sæpè maculis esse turbidos confirmantes, vt illis fidendum esse non magnopere videatur. De veteri testamento pauca dicemus, quoniam res est omnibus testata; de nouo paulò plura afferemus, quoniam in ea lingua plurima ex parte conscriptum est primum. Et quidem antiquis temporibus Græcos codices fuisse miseris modis laceros, Hieronymi scripta declarant multis locis, quod si verum est, quid illis putes accidisse ab eo tempore ad nostram ætatem mille & ducentis annis, quibus maior litterarum inscitia in orbem terrarum incubuit, magnisque bellorum motibus prouinciæ concussæ sunt. Silent autem inter arma litterarum studia. Ergò pręfatione in Esdram, si quis, inquit, septuaginta vobis opposuerit interpretes, quorum exemplaria varietas ipsa lacerata & inuersa demonstrat; neque potest vtique verum asseri, quod diuersum est, & quæ sequuntur: quibus similia præfatione secunda in libros Paralipomenon his verbis ait, *Liberè enim vobis loquor; ita in Græcis & Latinis codicibus, hic nominum liber vitiosus est, vt non tam Hebræa quàm barbara quædam & Sarmatica nomina coniecta arbitrandum sit.* E nec hoc septuaginta interpretibus, qui Spiritu sancto pleni (vides quid hoc loco sentiat Hieronymus) ea quę vera fuerunt, transtulerant; sed scriptorum culpæ adscribẽdum, dum de emendatis inemandata scriptitant, & sæpè tria nomina subtractis è medio syllabis in vnum vocabulum cogunt, vel è regione vnum nomen propter latitudinem suam in duo

vel

vel tria vocabula diuidunt. Præterea in caput Ezechielis 40. ad illa verba. Et ecce murus forinsecus, affirmat omnia prope verba Hebraica, & nomina quæ in Græca & Latina translatione (nempe veteri) erant nimia vetustate corrupta, scriptorumque vitio deprauata: & dum de inemendatis describuntur in emendatiora, de verbis Hebraicis facta esse Sarmatica. Sanè quid eo capite ver. 6. (vbi nos legimus, mensus est limen portæ calamo vno) scit, quod in Græcis legitur, *mensus est thee sex, sex alam portæ æqualem calamo latitudinem, & altitudo æqualis calamo longitudo, & alam cubitorum quinque.* Quid pleraque alia eò & alijs capitibus Græcè? Præterea Iob 19. ver. 25. vbi legimus. *Scio enim quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum,* quid est quod in horum verborũ locum reponitur in Græcis codicibus? *Scio ego quod æternus est qui soluere me debet, super terram suscitare pellem meã, quæ tolerat hæc?* Ionæ 3. cap. vers. 4. *adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur,* Græcè legimus: *adhuc tres dies,* quod vitiosum esse non modo Hebraica, Chaldaica, nostræque vulgatæ editionis fides, sed etiam Iustinus argumento est dialogo cõtra Triphonem Græcè legens, *adhuc quadraginta tres dies & Niniue subuertetur,* quæ lectio Græcorum codicum magis germana, videtur olim fuisse, vitiata, quæ modo extat, atque ita sentit Theodoretus in eum Prophetam, vitium vnius librarij irrepsisse in alios codices, qui ex primo descripti sunt. Longum esset exempla omnia proferre, quibus Græca esse contaminata conuincitur; neque librariorum semper incuria, sed interpretis etiam inscitia; vt vel hoc argumento facilè confirmetur, veteres libros non omnes à septuaginta interpretibus Græcè fuisse redditos, certè ex eorum interpretatione non esse, qui modo reliqui sunt. Ad nouum testamentum progrediendum est, in

A quo haud multo minora Græcè vitia esse explicandum est. Matth. cap. 5. vbi nos legimus, *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Græcè additur, *qui irascitur fratri suo* εἰκῆ temerè, quod aduerbium esse addititium ex Augustino. I. retractationum capit. XIX. & Hieronymo in eum Matthæi locum satis colligitur, & II. dialogo contra Pelagianos quasi redundans induci iubet. Eodem cap.

B vers. 11. *Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum,* in Græco additur vox ῥῆμα, & dixerint *omne malum verbum,* quam esse addititiam indicat Chrysostomi lectio. III. *de sacerdotio* cap. XI. eum locum Matthæi afferentis, vt est in codicibus nostris. Post orationem Dominicam Matthæi cap. 6.

C in Græcis codicibus additur, ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, quia *tuum est regnum, tua potentia, & gloria in secula seculorum,* quæ verba præter Chrysostomum & Theophylactum nemo antiquorum Græcorum attigit, argumento ea in plerisque Græcis codicibus etiam antiquis temporibus non fuisse, ac ne nunc quidem leguntur in omnibus. Matth. 24. illa

D verba, *Duo erunt in lecto vno,* vers. 41. in Græcis vulgò codicibus desiderantur, quæ tamen Chrysostomus ad eum locum explanat, & Robertus Stephanus in vetusto & correcto codice se inuenisse indicat, quemadmodum Ioannis septimo capite, vbi pro illis verbis, *Nondum erat spiritus datus,* vers. 39. Græci codices ha-

E bent, *Nondum erat Spiritus sanctus,* at Chrysostomus vulgatæ editionis lectionem sequitur Commentarijs ad eum locum, Victorinus item contra Arianos, tum Leo magnus sermone tertio de Pentecoste. Et ne omnia colligam, ad Romanos 12. vbi nostra editio habet, *Domino seruientes,* Græci ferè tempori seruientes, nempe facili permutatione vocem κυρίῳ mutarunt in καιρῷ. Nam antiqui

patres Græci etiam legerunt, vt est in
editione vulgata. Adhæc primæ ad A
Corint. 7. quo loco nos legimus ver.
33. & 34. *Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est: & mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt*, Græci permixtione vtriusque versus legunt, *qui cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, mox ab alio principio: diuisa est mulier & virgo, rursus innupta cogitat* quę Domini sunt, quę vix profectò
B
intelligas, ita sunt implicata. Et Hieronymus 1. contra Iouinianum negat Græcam lectionem Apostolicæ mentis sententiam explicare. Minuta dices fortassis hæc sunt. Esto. Sed minora certè vitia nobiles aduersarij obijciunt in editione nostra vulgata contineri, quoties eius auctoritatem contentiosis disputationibus
C
eleuare contẽdunt. Age tamen maiora grauioraq; proferantur: ac non incuria librariorũ, quod erat tamen miserandum, sed hæreticorum audacia non pauca in nouo testamento vitiata esse, & fraudibus confirmant subiecta exempla. Tertullianus lib. V. contra Marcionem, illum affirmat multa in diuinis libris corrupisse. Ex ijs 1. ad Corint. 15. cap. vers.
D
45. vbi nos legimus: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis*, Marcionem supposuisse ait. Secundus homo Dominus de cælo. Rursus ver. 49. *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus imaginem cælestis*, quo nimirum futuræ resurrectionis modum, sectæ commentum Pauli verbis confirmaret. Vtroque
E
autem loco in Græcis codicibus vulgo pro vera lectione Marcionis lectionem inuenimus: in primo ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ, in posteriori, φορέσομεν τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου. Vade ergo & fide Gręcis codicibus, ad eos quasi ad primos fontes, reuoca exortas de religione controuersias. Restituta quidam erat in biblijs Complutensibus trilinguibus posteriori loco certè vera & antiqua lectio φορέσωμεν, per

O mega, cæterùm in biblijs Regijs reposita diuersa est, nõ arbitror malo animo, sed quoniam vulgò in alijs libris communis erat. Deinde 1. Ioan. 5. ver. 7. quoniam *tres sunt qui testimonium dant in cælo, pater, filius & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt*. In nonnullis codicibus desiderabatur ab infidelibus fraude detractus, vt Hieronymus est auctor, siue quicunque alius prologum scripsit in septem epistolas canonicas, & argumẽto sunt tum Oecumenij commentaria Græca, tum codices Syriaci nõ ita pridem in lucem producti, quo studiorum fructu dicere non est necesse, sed nuper tamen in lucem editi, in quibus is versus totus deest, quos ex Græco sermone in eam linguam conuersos fuisse magnis coniecturis fixum habeo, & nè alienam culpam in Græcos codices deriuare videamur, ijs ipsis verbis, quoniam Arianorum causam iugulabant non legimus, *& hi tres vnũ sunt*, sed & hi tres in *vnũ sunt*, οἱ τρεῖς τὸ ἕν εἰσι. quod ad voluntatum concordiam possit referri ab aduersarijs. Nec dubium est sæpè ab hæreticis Græcos codices contaminatos multis locis fuisse, & fuit Græcia ab omni memoria hæresum sectarumque ferax, quo perijt malo. Irenæus lib. I. contra hæreses cap. XXIX. Basilius lib. II. contra Eunomium, Eusebius lib. V. histor. cap. vlt. Vitiatas ab hæreticis diuinas scripturas testantur. præter hos Theodoretus lib. II. contra hęreses Hydroparastas (sic dictos, quod aquam offerrent in sacrificio) affirmat ex quatuor Euangelistis confecisse Euangelium, quod per quatuor ipsi vocabãt, detractis genealogijs, alijsque. Vnde Christus ex Dauide ortus secundùm carnem monstratur, aitque plures ducentis inuenisse se apud Catholicos absq; vlla veneni suspicione lectitari. Porrò ex tantis corruptionib. tantaq; licẽtia contaminãdi scripturas verisimile est plures errores ac vitia in Gręcos codices ad nostrã ætatẽ manasse. Omitto multa alia, neque

enim afferri omnia facilè poſſunt ac nominatim, quod Epiphanius teſta- A tur lib.I.tom.I.Epicuri ſectam explicando,Matth.1.cap.verſ.11. bis *Iechoniam* legi debere, *Ioſias autem genuit Iechoniam, Iechonias autem genuit Iechoniam & fratres eius*, & à quibuſdam indoctis rerum Euangelicarum ad ambiguitatem tollendam, velut emendandi gratia deletum eſſe poſteriori loco *Iechonia* nomen, cùm eundem eſſe putarent, cùm prior *Ie-* B *chonias* alio nomine *Amaſias* diceretur,poſterior *Sedechias & Ioachim*, qua correctione ex quatuordecim, generationes tredecim factæ ſunt,& quidem in nonnullis Græcis codicibus eius lectionis veſtigium extat,in quibus legitur, *Ioſias autem genuit Ioachin,Ioachin autem genuit Iechoniam*. Mitto etiam quod Marc.13.cap.verſ. 32.*De die autem illo,vel hora nemo ſcit*, C *neque angeli in cælo, neque filius*, Ambroſ.lib.5. de fide ad Gratianum negat in antiquis & Græcis codicibus addi, *neque filius*, ſed locum eum ea additiõe corruptum ab Arrianis fuiſſe.Quod mirêre amplius Lucæ cap. 22.verſ.44.Hilarius X.de Trinitate, & Hieronymus contra Pelagium libro II.in pleriſque Græcis & Latinis codicibus fuiſſe negant illa verba, & D factus *eſt ſudor eius velut gutta ſanguinis decurrentis in terram*. Verùm hæc & ſimilia libenter prætermittimus, ac contra horum patrum auctoritatem diuerſam potius lectionem probamus: quoniam non modo in Græcis codicibus extat, ſed etiam in editone noſtra vulgata, cuius auctoritatem Græcis conuellendis E debilitare non cõuenit, ad quam aſſerendam potiſſimum tota diſputatio ſuſcepta eſt; præſertim cùm multa alia argumenta ſuppetant,quibus eorum fidem vacillare oſtendi poteſt,quoties à noſtra editione vulgata diſcrepant,quod ex proximo capite manifeſtum euadit ac planum.

CAP. XVII.

Græcos codices noui teſtamenti olim variaſſe.

CVM multa indicant Græcos quondam noui teſtamenti codices variâſſe veterum patrum ſcripta,eorumque qui modo extant diſcrepantia,tum nihil magis declarat, quam Latini interpretis diligentia; neque enim tam multis locis quibus à Græcis Latina diſcrepant,de ſuo capite finxiſſe veriſimile eſt. Ac ſuſpicabar ex varijs olim codicibus eam lectionem fuiſſe ſecutam, eoſque codices qui communi eruditorum ſententia ea ætate maximè probabantur, ex alio quopiam vno,aut paucis minoris fidei transfuſos Græcos codices,qui noſtra ætate formis expreſſi vulgo circumferuntur. Eam cogitationem inanem non eſſe,ac potius firmis radicibus ſtare, ex nouo teſtamento Græco magis confirmaui,ad cuius exteriorem marginem minio varias lectiones ſua manu ſuoque labore ſedecim codicum facta collatione,in quibus octo erãt ex Regia bibliotheca D. Laurentij plerique vetuſtate inſignes,adiecerat Petrus Fagiardus Veleſius Marchio ingẽs theſaurus,magnoque æſtimandus, ſi vir ille opibus & Græcæ linguæ peritia præſtans, quibus ex libris ſingulæ lectiones eſſent depromptæ, notaſſet, quam diligentiam alius fortaſſe ſupplebit eoſdem codices nactus,neque præſtiturum me aliquando deſperabam.Omninò ex aliquo codice Græco,qui ex noſtris Latinis in eam linguam conuerſus, Et quales Eraſmus contendit extare inter epiſtolas Geneſij Sepulucedæ epiſt.V.& VII. lib.I. deſumptos eos locos eſſe nõ putabã: nã ij codices ſi qui inueniuntur,recẽtiores ſunt, Marchionis codices vetuſtos inprimis fuiſſe non dubitabã. Nunc ex multis atq; adeò innumeris locis quibus eę lectiones cũ editione

nostra vulgata conueniunt, specimen aliquot subiecta exempla dabunt: ex quib. benignus lector conijciat quod verum esse affirmamus nullo loco à Græcis Latina discrepare, quin lectio aliqua nostris codicibus faueat. Ac primũ Matt. 6. cap. quo loco nos legimus, ***attendite ne iustitiam coram hominibus***, Græci ἐλεημοσύνην, ***eleemosynam***, alij codices δικαιοσύνην, id est, ***iustitiam*** habent: parum, inquis, refert, quando verbis alijs eadem sententia constat, Hebræis ***iustitiæ*** nomine צדקה, ***eleemosynam*** significantibus, vti Elias affirmat in Tisbi voce צדקה. Producto etiam Prouerb. 11. ver. 4. ***Non proderunt diuitiæ in die vltionis, iustitia autem liberabit à morte***, id est, eleemosyna, vt ille quidem non ineptè interpretatur; & vulgari Hispanorum lingua *Zatico*, dicitur panis frustum, quod mendicis dare cõsueuimus. Eodem cap. vers. 12. ad finem orationis Dominicæ adijcitur, ***quoniam tuum est regnum & potentia, & gloria in sæcula***, quæ omnia in editione vulgata non sunt, & in eo codice obelo iugulantur quasi additititia. cap. 24. quo loco nos legimus vers. 26. ***vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ***, quod ad Romanorum legiones referendum putabam, quibus insignis aquila præferebatur quasi vulturum in morem ad futuram stragem congregarentur: in Græco ***ptoma***, id est, cadauer legitur, quod ad sentẽtiam parũ ac nihil potius refert, ad lectionis veritatem aliquid adnotasse, in alijs Græcis codicibus poni, ***soma***, id est, ***corpus***. cap. 26. quo loco nos legimus. ***Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum***, in Græcis codicibus legitur ἐκχυνόμενον, ***effunditur***, in alijs codicibus Græcè legitur ἐκχυθησόμενον, id est ***effundetur***. Atque similis varietas est Marci 14. Lucæ 22. quo minus erat necesse lectionem Græcam nostræ præferre, quod quidam faciunt hoc loco, ac multò minus in ea latentia mysteria perscrutari, quasi ea verba significent non Christum tradendum, sed iam etiam in sacramento tradi, quod quamuis accipi de corpore possit, sanguinem quo modo intelligas non effundendum tãtum in morte, sed effundi in ipso sacramento cœpisse. cap. 27. ver. 8. vbi nos legimus, ***propter quod vocatus est ager ille Aceldema***, id est, ***ager sanguinis***, in Græcis desideratur vox aceldema, ac tãtum legitur, διὸ ἐκλήθη ὁ ἄγρος ἐκεῖνος ἄγρος αἵματος, in alijs codicibus additur, & sanctes Pagninus eam vocem posuit in noui testamenti versione, qua ad verbum Græca expressit, argumento nostris similem codicem Græcum fuisse nactum hac parte. Verum priusquam ad alios Euangelistas transeo, adijciendum est nomina propria, in quibus Græca exemplaria maximè discrepant, in illis Græcis codicibus integra extare, vti in nostra editione vulgata. ***Bethania***, Ioan. 1. ver. 28. non Bethabara quin in Nonni paraphrasi memini me legere, Βηθανίης πέλε τοῦτο θεουδέος ἐγγὺς ἀρούρης. ***Bethsaida***, Ioan. 5. non ***Bethesda***, ***Belzebub***, non ***Beelzebub***, ***Nazaræus, non Nazoræus, Chorozaim, Capharnaum, Cayphas***. Præterea Matt. 19. & locis omnibus ***Moyses***, vt legitur in Græcis codicibus totius veteris testamenti, non ***Moses***, vt quidam ex Hebraica forma mutasse videntur in omnibus Græcis codicibus noui testamenti, quæ vulgò circumferuntur. Ex Marco pauca selegimus cap. 14. ver. 3. in Latina editione ***alabastrum vnguenti spicati pretiosi***, Græci ***pistici*** dicunt, alia exemplaria ἐσταχυωμένης, id est, spicati. Fortassis ex Latina voce, ***spicati***, Græci pistici fecerunt parua immutatione literarum, quod in alijs dictionibus contingit, vt eas integras aut immutatas in suũ vsum Græci eo tempore præsertim transferrent. Porrò eodem cap. vers. 54. ***Sedebat cum ministris ad ignem***, Græci vulgò ***ad lumen*** πρὸς τὸ φῶς. At alij codices cum nostra lectione consentientes habebant πρὸς τὸ πῦρ. Ex Luca quædam alia adducenda sunt,

ac primum cap. 2. ver. 14. *Gloria in altißimis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis.* Græci ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία; , hoc est, *in hominibus bona voluntas*, atque in eo codice prorsus vt in editione vulgata lectio diuersa adnotata est, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἀνθρώποις εὐδοκίας, ne putes Ecclesiam temerè nostram lectionem prætulisse, eaque vti in precibus Ecclesiasticis. Præterea cap. 10. vers. 30. Vbi nos legimus, *Suspiciens autem Iesus.* Græci *suscipiens* legunt, quoniam verbum *Hypolambano*, apud Græcos respondere significat, & vsque adeò ea lectio probata est, vt in plerosque etiam Latinos codices à paucis annis irrepserit, cùm diuersam lectionem confirmare liceret, non solùm ex Gotthico exemplari eximiæ vetustatis, sed ex alijs Græcis codicibus, vbi non ὑπολαβών, sed ἀναβλέπων legebatur. Quemadmodum cap. 15. verba illa, nonne accendit lucernam & euertit domum, vers. 8. quæ erat lectio antiqua ferè codicum omnium etiam Gotthici, quod quidam in euerrit mutarũt Græcè σαροῖ. Licuisset etiam eorundem codicum auctoritate tueri, cùm in quibusdam Græcè etiam καθαιρεῖ, id est, *euertit*, inueniatur. Quibus exemplis facilè intelligitur, quam fallax sit ratio, Latinos codices ex Græcis castigandi, quod video nostra ætate à multis fuisse factitatum. Verum nonnulla alia exempla ex Ioannis Euangelio ac cæteris libris subijciamus. Ioan. 4. vers. 46. vbi nostra editio, *& erat quidam regulus*, plerique legendum putabant, erat *quidam regius*, hoc est, de domo & familia regis, quod in Græco basilicos legatur, sed nimirum interpres noster basiliscos Græcè legit, quæ vox propriè regulũ significat, & in Marchionis codice ea lectio est adnotata ad marginem. Rursus cap. 11. ver. 1. & erat *quidam languens Lazarus à Bethania de castello Mariæ & Marthæ sororum eius*, quę lectio immutata est, recens vt arbitror, quoniam Græcè *Mariæ & Marthæ sororis eius* vulgò

legitur, cũ nostra lectio in alijs Græ-
A cis codicibus inueniretur. cap. 14. *non creditis, quia ego in patre, & pater in me est*, in Græcis vulgò codicibus, *Credite mihi, quia ego in patre, & pater in me est*, vers. 11. cùm in alijs Græcis codicibus inueniatur, vt in nostra editione est positum, οὐ πιστεύετε ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστι. Præterea magna fuit disceptatio, an Ioannis 21. ver. 22. legendũ esset, *sic eum*
B *volo manere*, an verò *si eum volo manere*, nam consentientibus Græcis codicibus in posteriorem lectionẽ Latini discrepabant, & qui vetustiores erant ac maiori fide, *sic eum volo manere legebant*, etiam Gotthicus ante sexcẽtos annos descriptus. & Paulus Forosl. par. II. suæ Paulin. li. II. Romæ in D. Pauli codicem (vt fama fert ipsa Hieronymi manu descriptus.) noui
C testamẽti eam lectionẽ præferre ait, quæ certè in ijs Grecis exemplaribus inuenta est vtroque loco pro cõiunctione ἐάν substituentibus οὕτως. Ex act. Apostolorum cùm plura liceret, locum vnum afferre certum est. Ex cap. 13. ver. 19. & destruens gentes septem in terra Chanaam, sortè distribuit eis terram eorũ, quasi post 450.
D annos, *& post hæc dedit iudices vsq; ad Samuelem prophetam*, iuxta quam lectionem numerus annorum ad captiuitatem AEgypti referẽdus est, iuxtà ea quæ Gen. 15. ver. 13. *Abrahæ dicta sunt*, Græca discrepant: sic .n. ad verbum habent, *& delens gentes septem in terra Chanaan*, sorte distribuit eis terram eorum, & post hæc quasi annis 450. *dedit iudices vsque ad Samuel*
E *prophetam*, iuxta quam lectionẽ annorum numerus ad tempus referendus est, quo iudices pręfuerunt, quod neque cum libro 3. Regum cap. 6. neque cum Iosepho lib. VIII. antiq. capit. III. & lib. XI. cap. IV. aut veritate consentit, iudices præfuisse quadringẽtis & quinquaginta tantum annis. Qua difficultate vsque adeò quidam implicitos se viderũt, vt eum numerum in omnibus codicib. esse vitiatũ affirmarent, cùm consultius fuisset

vulgatam lectionẽ tueri multo minoribus impeditam difficultatibus, de quibus hoc loco plura dicere non est necesse. Certè cõsentientibus Latinis alij Græci codices patrocinabantur, in quibus scriptum inueniebam. καὶ κληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν ὡσεὶ μετὰ τετρακόσια καὶ πεντήκοντα ἔτη καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκε κριτάς. quæ est ipsa lectio nostræ editionis vulgatæ. Venio nunc ad Paulum. 1. ad Corint. 15. vbi nos legimus ver. 31. *Quotidie morior propter vestram gloriam fratres*, Græci vulgò per vestram gloriam, quasi iuramenti forma νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν. At in alijs codicibus erat, διὰ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, hoc est, *propter vestrã gloriam* fratres. Eodem cap. vers. 51. magna quæstio à multis annis inter Latinos & Græcos excitata est, illis affirmantibus extremo tempore omnes homines morituros, quod eo loco legerent, *omnes quidem resurgemus* (moriemur ergò) *sed non omnes immutabimur:* cùm Græci cõtra tendant legentes, *omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur*, quæ est non modo diuersa, sed contraria potius lectio, & scimus certò alios Græcos codices Latinis patrocinari, in quibus legitur πάντες ἀναβιωσόμεθα, ἀλλ' οὐ πάντες ἀλλαγησόμεθα, atque ita legisse Pagninum argumento est eius versio hoc loco nihilo discrepans ab editione vulgata. Mox vers. 55. vbi *est mors victoria tua?* vbi *est mors stimulus tuus?* Græca vulgò sunt inuersa, vbi *est mors stimulus tuus?* vbi *est mors victoria tua?* Verum cum Latina lectione alij codices consentiebant, in quibus erat positum, ποῦ σου θάνατε τὸ νῖκος, ποῦ σου θάνατε τὸ κέντρον. 2. ad Corinth. 12. vers. 1. *Si gloriari oportet, non expedit quidem*, Græci codices, *gloriari sanè non expedit mihi*, verum Latinæ lectioni consentiens Græca erat, εἰ καυχᾶσθαι δεῖ (οὐ συμφέρει δή.) Postremò Apocalypsis vltimo cap. ver. 12. *Ecce venio cito reddere vnicuique secundùm opera sua*, in Græco *secundùm opus eius*. Sed Græcè etiam legebatur, ὁ μισθός μου μετ' ἐμοῦ ἐστι ἀποδοῦναι ἑκάστῳ ὡς τὰ ἔργα αὐτοῦ. & mox vbi Græci vulgò habent, μακάριοι οἱ ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ. *Beati qui faciunt præcepta eius*, in eo codice erat. μακάριοι οἱ πλύνοντες τὰς στολὰς αὐτῶν ἐν τῷ αἵματι τοῦ ἀρνίου, *Beati qui lauãt stolas suas in sanguine agni*, vti est in vulgata editione Latina. Multa alia possent afferri quibus confirmaremus quod erat initio propositum codices Græcos non minus variare quàm Latinos, multisque locis esse ab antiqua lectione mutatos; & si vetusti codices euoluantur nullo fermè loco Latina à Græcis discrepare, in quo non inueniatur Græca lectio nostræ fauens, nos leues atque inconsiderati, quibus nostra stomachum mouent, aliena placent atque contraria. Sed finis esto, extrema disputatione si monuero Græcos libros diuinarum scripturarum haud multo maiori elegantia esse quàm Latinos, & scriptores Ecclesiastici sermonis ornatus nullam curam habuerunt, cùm sit delicati hominis, mollis ingenij, in rebus serijs elegantiam consectari. Documento esse possint multę voces in nouo testamento ex Latina lingua, cuius vsus propter amplitudinem imperij frequens erat, in Gręcam nullo delectu transfusæ, quibus auctores sacri frequenter vsi sunt, qualia sunt *sudaria* & *semicinctia*. Act. 19. Porrò *sudaria* abstergendo sudore seruiebant, & apud Pollucem libro 7. καψιδρωτία, vocabantur, *semicinctia* autem ad pudenda tegenda erant comparata; & *perizomata*, Græcè etiam in Genes. libro vocantur. Præterea *Libertini* vox Latina est. Actor. 6. cap. *niger, euro aquilo, centurio*. Adhæc Matth. 27. *pratorium & custodia*, Ioannis 19. *titulus*, locis alijs *denarius, quadrans, legio*; *speculator, linteum, colonia, membrana, artemon*, id est, trochlea seu velum, postremo *flagellum*, Ioan. 2. *census*. Matth. 17. *perperam*. 1. ad Corinth. 13. *sicarij*. Actor. 22. & si quæ sunt alia id genus, quæ nunc quidem memoriæ non occurrunt: & hæc exempla attulisse, sit satis

tis ad refellendam temeritatem eorum, qui nostrorum librorum interpretes certè Latini simplicitatem accusant.

CAP. XVIII.

Editio Latina vulgata eadem Hieronymi est.

DE Hebraicis & Græcis codicibus pro præsenti disputatione satis multa dicta sunt, ad Latinos transeundum, ac in primis statuendum, quo interprete editio nostra vulgata sit facta, eo impeditior disputatio, quod nullis antiquorum vestigijs trita sit, nam primis temporibus eam editionem singuli complectentes, quam offerebat Ecclesia, & qua vulgò vtebatur, de auctore inuestigando non laborarunt. Nostra ætate viri docti non parum existimarũt ad sanciendam auctoritatem nostræ editionis pertinere, si de auctore eius esset exploratum, conati quidem illi sunt lucem afferre, sed suis disputationibus rem magis implicasse videntur, ac dubiam magis fecisse in varias (vt fit) ac contrarias sententias abeuntes. Quidam nostram editionem Hieronymi esse negant. Santes Pagninus initio suæ versionis Bibliorum. Ioan. Driedo lib. II. de dogmatibus Ecclesiasticis cap. I. his ferè argumentis, quoniam multis locis, quæ Hieronymus in nostra editione corrupta esse ait, in illa manent. Genes. 1. vbi nos legimus, Spiritus Domini ferebatur super aquas, Hieronymus in traditionibus in Genes. affirmat eo loco verbum Hebraicum, מרחפת, in *fouendi* significatione sumi. Isaiæ 1. vbi in Hieronymi versione ex Hebræo adiuncta cõmentarijs legimus, calcare atrium meum non apponetis, editio vulgata substituit, vt ambularetis in atrijs meis: verbis alijs sententia non prorsus eadem. quemadmodum cap. 5. eiusdem prophetæ, vbi Hieronymus posuit, *eritis velut therebinthus*, nos legimus, eritis velut *quercus*, vbi *plantauit vineam Sorech*, nostra editio vulgata substituit, *plantauit vineam electam*. Innumera id genus proferre licet, sed singula capita delibanda sunt, ac vno & altero exemplo illustranda, quale & illud est Hieronymum multis locis ea verba Matth. 2. cap. *Quoniam Nazaræus vocabitur*, affirmasse ex Isaiæ 11. cap. fuisse desumpta, quo loco nos legimus: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*, non alio modo, quàm in Græcis codicibus, nulloque maiori vestigio Euangelicæ citationis, quam Hieronymus debuit exprimere, si ab eo ea interpretatio fuisset facta. Verum facilem hoc & expeditam solutionem habet, si versionem ex Hebraico Hieronymi commentarijs adiunctam eius esse credimus, de quo nemo hactenus dubitauit, locum illum eisdem verbis exprimentis, neque Hieronymus Euangelistam voluit ex versione sumpsisse, sed ad verbum Hebraicum, נצר, alludere, pro quo interpretes *florem aut germen* reddidère. Secundum argumentum desumitur ex nominibus proprijs, quæ omnia in editione vulgata esse corrupta, multumque ab Hebraico discrepare Hieronymus sæpè conqueritur. *Eua, Abel, Enoch*, Prophetarum nomina, vrbium, locorum, regionum, quæ profectò Hieronymus castigasset, si eius nostra versio esset, accedit plerosque locos ita esse in nostra interpretatione deprauatos, ita ab Hebraico dissidere, vt contrariam sententiam videantur exprimere. 1. Paralipom. 4. vers. 22. & qui stare fecit solem, virique mendacij, quibus verbis in cogitationem inducamur iudicum etiam tempore solem à cursu retentum, quemadmodum Iosue ætate factum legimus. Præterea cap. 15. vers. 20. Eliab, & Maasias, & Bana-

ias in nablis arcana cantabant, Hebraicè ſuper Halamoth, quæ vox non arcana, ſed inſtrumentum muſicum ſignificat ipſo Hieron. auctore in Pſalmorum titulis, quæ ipſe ex Hebraico cõuertit. Eccl. 1. ver. 15. vbi nos legimus, *peruerſi difficile corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus*, vix credas Hieronymum poſuiſſe, cùm Hebraica longè aliter habeant, *peruerſum non poterit dirigi, & defectus non poterit numerari.* Neque debemus prætermittere. Geneſ. 8. verſ. 7 de coruo quem emiſit Noe ex arca legi in noſtra editione, *qui egrediebatur, & non reuertebatur donec ſiccarentur aquæ*, cum Hebraica negatione detracta è contrario legant, *egrediebatur & reuertebatur*, ipſa etiam Hieronymi ætate, ne Hebraica corrupta eſſe contẽdas, nam traditiones eius in Gen. hoc loco corruptas eſſe putabã, vbi de coruo Hebraicè dicit, *exiens & non reuertens.* Verũ hoc certè loco editionem noſtram ab antiquo eſſe immutatam, addita ex ſeptuaginta interpretibus negatione, Gotthicum exemplar indicio eſt, ante ſexcẽtos annos deſcriptũ, detracta negatione ea verba habens, quod Biblia Cõplutenſia trium linguarum & Regia ſecuta ſunt. Tertium argumentum ex enumeratione librorum ducitur. Pſalmi certè non ſunt Hieronymi; nam quos ipſe ex Hebraico vertit, inter eius opera circumferuntur multum à noſtris diſcrepantes? Eccleſiaſtes verſionem Hieronymi non eſſe ex commentarijs eius in eum librum cum duplici verſione; nam quam ipſe ſuam eſſe dicit, præſertim cap. 7. ad illa verba *Melius eſt audire increpationem ſapientis*, & cap. 10. ad illa verba, *eſt malum quod vidi ſub ſole*, à noſtra vulgata differt, planeque eſt alia, tametſi in præfatione affirmet in translatione ex Hebraico ſe ſeptuaginta interpretum conſuetudini coaptaſſe; in his duntaxat quæ multum ab Hebraicis non diſcrepabant, qua cauſa duæ illæ verſiones maiori ex parte conſentiunt. Idem iudicium eſto de alijs Salomonis libris, ac de ijs præſertim qui Hebraicè non extant, *Sapientia, Eccleſiaſticus, Machabæi, & Baruch*, inprimis, quando Hieronymus ipſe præfatione in Hieremiam ſe illum librum prætermiſiſſe affirmat his verbis. Liber autem *Baruch* notarij eius, qui apud Hebræos neque legitur, neque habetur, prætermiſimus. Hæc ſunt ferè in hanc partem argumenta, qui contrariam ſententiam ſequuntur, editionem vulgatam ex ipſa Hieronymi interpretatione eſſe. Eugubinus diſputatione propria de hoc argumento, Beuther Valentinus in ſuis prolegomenis his rationibus vtuntur. Primum enim qui fieri potuit, niſi hæc eſſet ipſa Hieronymi verſio, vt prologi Hieronymi, quos ipſe adiecerat libris à ſe conuerſis noſtra ætate, ſingulis diuinis libris adſcribantur. Pſalmi enim qui manifeſtè ex eius interpretatione non ſunt, Hieronymi prologum non præferunt, niſi eum, quem in Pſalmorum correctionem iuxta ſeptuaginta interpretes adhibuit, alter qui ad Sophronium eſt, in Pſalmos ex Hebraico conuerſos non in editione noſtra, ſed inter eius opera inuenitur, adiunctus pſalmorum ex Hebraica interpretationi. Deinde ſi iuuat libros ſingulos enumerare, prophetæ omnes ex Hieronymi interpretatione ſunt, quod manifeſtum efficitur, ſi vtramque interpretationem, quæ cum eius commentarijs circumfertur, tum veterem ſeptuaginta interpretum, tum ab Hieronymo ex Hebraico factam diligẽter inſpexeris. & Ionæ certè 4. cap. ver. 7. de quo magna diſceptatio Hieronymo & Auguſtino fuit, epiſtolis X. & XI. inter Auguſtini epiſtolas, nõ *cucurbita* legitur, vt erat in veteri editione, ſed *hedera*, vti Hieronymus poſuit. Oſeæ 11. ver. 1. illud de quo ſæpè diſputatio fuit. *Ex Ægypto vocaui filium meum*, quod à Matt. 2. cap. adducitur, & in ſeptuaginta interpretib. deſiderabatur; in noſtra edi-

tione

tione ponitur. Danielis poſtremis capitibus,quis alius niſi Hieronymus A illa verba addit:hucuſque in Hebraico volumine legimus, quæ ſequuntur ex editione Theodotionis ſumpſi. Iob in libro multi verſus deſiderabantur in veteri editione, vti Hieronymus ipſe teſtis eſt præfatione prima in librum Iob,ſeptingenti fermè aut octingenti verſus deſunt,quę omnia integra,tamen nunc extant in noſtra editione vulgata. Præterea B Auguſtinus XXII. de ciuit. Dei cap. XXIX.affert ex noua interpretatiõe ex Hebraico,quā Hieronymi eſſe dixerat,cap.XIX.& *in carne mea videbo Deum*, ꝙ eſt in vna editione vulgata. Locus alter ex eo libro, eaque interpretatione in Concilio VIII. Toletano adducitur,cuius & ſimilium ne ſim longior vna ratio eſt, ac præſertim ex Gregorij Commentarijs in C eum librum manifeſtum efficitur, ꝙ contendimus:quando Hieronymi nouā interpretationē ſequi ſe ait.De Pentateucho item conſtat ex Hieronymi interpretatione eſſe, tum ex annorum computatione à ſeptuaginta interpretibus longè diuerſa, cum Hebraicis codicibus conſentanea, de qua olim Auguſtino & alijs patribus magna cõcertatio fuit.tum D ex cap.2.Geneſ. verſ.2. vbi nos legimus cum Hebręis,compleuitq; Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat: ſeptuaginta & ex illis Latini veteres habebant, *perfecit Deus in die ſexta opera ſua quæ fecit*.& ver.23.quo loco habemus de Eua, *hæc vocabitur virago,quoniam de viro ſumpta eſt*, olim legebatur, *hæc vocabitur mulier*, E atque ita citant Ambroſius & veteres. Hieronymus traditionibus in Geneſ.negat ſeptuaginta interpretes Hebraicam paranomaſiam ſatis explicaſſe, qua in ea lingua nomen fœminæ à viri appellatione deducitur,meliuſq; Symmachum ficta voce Græcè dixiſſe, *hæc vocabitur* andris, quod Latinè dici poſſet *virago*. Idem Hieronymus ad Damaſum. q. II.quo loco Exod.13.ver.18. vulgò legimus, armati aſcenderunt filij Iſrael de terra AEgypti,olim poſitum fuiſſe affirmat:*quinta generatione aſcenderunt filij Iſrael*, diuerſitatemq; contigiſſe vocis Hebraicæ, חמשים, ambiguitate,labor omnia. Sed certè libros Regum Hieronymi eſſe ſatis indicat Auguſtini locus XXII. de ciuit.Dei, ca.XXIX.quo loco prolatis verbis ex 4.Regum cap.5. verſ.26. iuxta veterem translationem addit, ſicut autem ex Hebræo interpretatus eſt presbyter Hieronymus: *Nonne cor meum, inquit, in præſenti erat, quando reuerſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui?* quæ ſunt verba editionis vulgatæ. Accedit Iſidorus lib. 1.de officijs Eccleſ.ca.de ſcriptoribus ſacrorum voluminum, affirmans editionem Hieronymi eius ætate ab omnibus Eccleſijs receptam fuiſſe his verbis. *De Hebræo autem in Latinum eloquium tantummodo Hieronymus presbyter ſacras ſcripturas conuertit, cuius editione generaliter omnes Eccleſiæ vſquequaque vtuntur pro eo, quod veracior ſit in ſententijs, & clarior in verbis*, quæ verba ne conficta credantur, Rabanus ex eo repetit lib.II.de inſtitution.clericorum cap. LIV.quod ſi editio Hieronymi erat in vſum recepta,profectò ab eo tempore nulla facta eſt immutatio, niſi quod vetus editio Latina perijt, quæ tunc priuatim legebatur. Sic argumentis in vtramque partem quęſtione ancipiti,quæ certa ſunt priori loco proponantur, vt recto ordine ad alia progrediamur. Ac conſtat Hieronymum nouum teſtamentum noua interpretatione nequaquam conuertiſſe,ſed tantum caſtigaſſe,quibus locis deprauatum erat de viris illuſtribus,extremo, *nouum*,inquit,*teſtamentum Grææ fidei reddidi, vetus iuxta Hebraicam tranſtuli*, & præfatione in Euangeliſtas ad Damaſum, *nouum*,inquit, *opus me facere cogis ex veteri, vt poſt exemplaria ſcripturarum toto orbe diſperſa,quaſi quidam arbiter ſedeam, & quia inter ſe variant, quæ ſint illa quæ cum Græca cõſentiant,*

veritate decernam. Neque tamen omnibus locis ea castigatio Hieronymi conseruatur, neque in nullis, nam ad Galat.5. *Persuasio vestra non est ex eo qui vocauit nos*, affirmat detracta negatione priores codices habuisse, *Persuasio vestra ex Deo est.* Pari modo ad Gal.2. *Quibus neq; ad horam cessimus*, antè Hieronymũ legebatur, *quibus ad horam cessimus*, quæ est Ambrosij lectio. His locis Hieron. cẽsura placuit alijs locis retenta antiqua lectione, Hieronymi correctio recepta non est. Ad Galat.1. pro illis verbis: *Non acquieui carni & sanguini*, Hieronymus legendum putabat: *non contuli cum carne & sanguine*, & cõmentarijs in epistolam ad Ephes. cap.1. ad illa verba, *qui est pignus hæreditatis nostræ*, ver.14 *pignus*, inquit, Latinus interpres posuit pro arrabone, tamen antiqua lectio modo retinetur. Neque opus est omnia congerere. Commentaria in duas epistolas has satis exemplorum suppeditabunt, cùm in epistolam ad Galat. nostra editio vndeuigesies notetur vitij à Hieronymo, ad Ephesios quinquies & vigesies nihilominus. Præterea Matth.6. cap. ver.11. pro *pane nostro quotidiano*, quæ lectio retinetur in nonnullis codicibus, certè in Gotthicis, ille substituendum putabat, *panem supersubstantialem, peculiarem, eximium, aut egregium*, vti ex eius commentarijs perspicitur. Ergò de noui testamenti editione exploratum est eam Hieronymi non esse, de veteri modo translatione Latina disputatur, nam quamuis olim teste Augustino II. de doctrina Christiana cap. XI. multæ atque adeò innumeræ Latinæ interpretationes extiterint, inter eas (vt ipse addit cap. XV.) Italica cæteris præferenda erat, quod esset verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ, illam arbitror, cùm à pluribus reciperetur, editionis vulgatæ nomen olim obtinuisse, de eaque propriè disputatio suscipitur, an sit illa, quæ sola hoc tempore reliqua est, an verò perierit in eius locum substituta Hieronymi interpretatione, quæ hoc tempore vulgatæ nomen habeat. Porrò ex varijs interpretationibus Latinis factum est primum, vt testimonia diuinarum scripturarum non eisdem verbis ab antiquis patribus proferantur, Cypriano, Lactantio, Ambrosio, alijs vti superius est dictum. Deinde vt plura testimonia vsu frequenti, quasi ex diuinis litteris recitentur, vulgò quæ non sunt in nostris codicibus, quale est illud de Dauide, *non ædificabis mihi domum, quia vir sanguinis es.* Extat quidem sententia 1. Paralip.22. vers.8. cæterum illa verba vbi inuenias? Præterea Iob cap.7. vers.1. in editione vulgata, *Militia est vita hominis super terram*, vetus editio & ex illa in communi loquentium vsu, *tentatio est vita hominis super terram*, Sic Gregorius affirmat lib. VIII. moralium capit. III. neque minus est vsu tritum, *nemo mundus à sorde, neque infans, cuius vnius diei est vita eius super terram*, extat quidem sententia, Iob 14. vers.4. in septuaginta interpretum versione, neque tamen totidem verbis, & adducitur à Cypriano lib. II. contra Iudæos; nam in vulgata nostra legitur, *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Adhęc Prouerb.3. cap. in Biblijs Gotthicis tantum ver.28. legit, *Nondum enim scis quid superuentura pariet dies*, quod frequenter vsurpatur, & ex septuaginta interpretibus manauit: nam quod eodem capite, vers.5. additur, dic *Sapientiæ soror mea es, & prudentiæ voca amicam*, ne in septuaginta quidem inueniebam. Iam cap. 16. post versum 17. in eisdem Biblijs legebatur, *Qui custodit vias suas, custodit animam suam; diligens autem vitam parcit ori suo*, quod ipsum ex septuaginta modo interpretib. sumptum considerabam. Quemadmodum illa verba, *Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos?* nunc nusquam extant,

quæ

quæ Gregorius V. Moral. cap. XXXI. ex veteri translatione Isaiæ fluxisse ait, nimirum cap. LXVI. vers. II. Postremò idẽ Gregorius lib. IX. Moral. cap. XVII. verba Hieremiæ 48. *Maledictus qui opus Dei facit fraudulenter*, vers. 10. affirmat in antiqua editione legi *fraudulenter & desidiose*, vnde in communem cõsuetudinem prouerbij instar manasse videtur, *Maledict⁹ qui opus Dei facit negligenter*. Nahum 1. vers. 9. vbi legimus. *Nõ consurget duplex tribulatio*, septuaginta dixere, *Nõ puniet Deus bis in idipsum*. Quæ verba vulgo in ore omniũ versantur. Mitto Ambrosium I. de officijs c. XXXI. ex Prouerbijs cap. certè 23. citare illud, *Quando sederis vt comedas cum principe, considera quæ apponuntur tibi, quoniam talia te oportet præparare*, vers. 1. & 2. quæ in nostris codicibus Latinis non extant, sed in septuaginta interpretum Græca versione. His sic constitutis ac certa ratione confirmatis, quod ad propositam initio quæstionem attinet, Hugo Victorianus in prænotationib. elucidatorijs cap. IX. editonem Latinam qua eius tempore Ecclesia vtebatur, nempe nostram, negat aut Hieronymi synceram esse, aut qua antiquo tempore vtebatur Ecclesia, sed mixtam ex vtraque, vt quod de communi ac vulgata Græcorum editione superius dictum est, non esse prorsus ex septuaginta interpretibus puram, sed confusam ex alijs, idem contigerit nostræ editioni, Hugonis quidem sententia, quo tamen tempore, cuiusve diligentia & auctoritate, neque ipse explicat, neque nobis erat exploratum, & est antiquitas omnis obscura, in argumento quod versamus maximè, sed & annotatio ad historiæ scholasticæ, Genes. cap. 62. editionem Hieronymi puram in duodecim modo Prophetas extare affirmat. Neque dubium est, quod prior Ioannes Driedo in dogmatibus considerauit, ex vna editione in alteram plura verba ac sententias fuisse trãsfusas librariorum licentia, cum memoriæ confiderent, aut consueta magis quam noua quibusdam locis probarent. Illud examinandum ex vtraq; editione maior singulorum librorum pars, an verò corpus totũ ad nos manârit. Sanè Pentatheucus, *Libri Regum, Iob, Propheta* omnes ex Hieronymi versione procul dubio sunt, quod superiora argumẽta manifestè declarant, tametsi (vt modo dicebam) nonnullis verbis admixtis ex editione illa veteri; quæ res alios in contrariam opinionem induxit. Idem iudicium esto de libro Esther, *De Iosue tamen & Iudicibus* vsque adeò firma argumenta non suppetebant, sed stylus tamen consentit, & prologi adiuncti his libris indicio sunt Hieronynum interpretem habuisse. *Paralipomena & Esdras* eodem interprete versi sunt, quoniam finis vnius cum initio alterius consentit totidem fermè verbis, suspicabarque Hieronymum fuisse eisdem rationibus inductum. Contra *Psalmi* ex veteri editione latina relicti nobis sunt, quod quoniam superioribus annis Theologus quidam in Hispania in dubium vocare est ausus, noua disputatione confirmare constitui, pro re præsenti satis habebam indicare graue antiquis temporibus visum fuisse, veterem Ecclesiarum in psalmis concinendis consuetudinem noua Hieronymi interpretatione mutare; & ferè antiquis stare malumus, nisi quæ manifestè sunt deprauata. *Ecclesiastes* non est Hieronymi, quod duplex versio declarat ad eius commentaria adiuncta, locique superius indicati. Idem iudicabam de *Prouerbijs & Cantico canticorum*, quoniam vno volumine circumferri solent, tridui opus quo tempore visum ijs tribus libris interpretandis Hieronymus præfatione in opera Salomonis ait, mirum non est, non satis placuisse, ac veterem translationem fuisse ea parte communi consensu prælatam, & erat graue, quod semel

aures hominū occupabat præsertim ijs libris, quorum testimonia in communi vsu magis versantur, noua interpretatiōe mutare. Sic erat nostra sententia. Quam mutare compulit *Iustus Vrgelitanus*, qui in Cantica scribere se dicens secundum editionem Hieronymi, nostram vulgatam ad verbum præfert. Idem iudicium esto *de Ecclesiaste*, & Hieronymus proculdubio iunior eum librum Blesillę exposuit iuxta editionem septuaginta: posterior editio deinde est adiuncta, quæ eadem nostræ vulgatæ ex posteriori Hieronymi versiōe est. Tantundē *de Prouerbijs* iudicarim ex Hieronymi versione eum etiam librū esse. *Librū Tobiæ* ex Hieronymi interpretatione non esse stylus arguit multo humilior, quam vt Hieronymi fuisse credatur, an dixisset ille, *vnde factum est, vt hædū caprarū accipiens detulisset domi*, c. II. ver. XX. an diceret c. V. ver. XXI. *bene ambuletis & sit Deus in itinere vestro, & Angelus eius comitetur vobiscum?* & hunc etiam librum Hieronymus in pręfatione ad Chromatium ex Chaldæorum lingua opera cuiusdam Iudæi, vnius diei labore se cōuertisse testatur. Pari modo *de Iudith* libro statuebā, ac multo magis *de Sapientia, Ecclesiastico & Machabeorum* libris, quos Hieronym⁹ nunquā conuertit, neq; præter vnā sapientiā, libri alij Hebraicè extabāt eius ætate. Ex his quomodo argumēta in vtràq; partē initio ꝓposita dissoluēda sint facilè intelligitur; nam Hieronymi ꝓlogi plerisq; libris adscripti mouere nō debent, vt ex Hieronymi interpretatiōe oēs libros sacros fuisse dem⁹, incuria librariorum id cōtigisse putamus, qui initio bibliorū positos, fortè an cōsilio, prologos singulis libris præposuerunt. Nec è contrario nominum propriorum immutatio cōuincit nullos libros à Hieronymo fuisse conuersos; dedit enim vir prudentissimus Ecclesiæ auribus ne magna fieret ab antiquo immutatio, nā quod nonnullis locis aliter nos legimus, quam Hieronymus putarit Hebraica significare superius dictum est

A ex antiqua editione verba nō pauca in Hieronymi libros irrepsisse. Exempla superius ꝓducta sunt, sed & Gen. 1. ver. 2. *Et spiritus Domini ferebatur super aquas*, verbum Hebraicū affirmat in traditionibus in Genesim quod iā tetigim⁹, in *fouendi* significatione eo loco accipi, & c. 13. ver. 13. *Homines aūt Sodomitæ pessimi erant, & peccatores corā Domino nimis*, in Traditionibus negat vocē coram Domino, seu in conspectu Domini in Hebraico extare.

B Neq; prætermitti decet Hieronymū variū esse, sæpeq; alijs locis diuersam eiusdem loci interpretationē fuisse secutū, causas explicare non attinet, certè nō omnia memorię succurrūt, sæpeq; septuaginta interpretum versionē sequebatur, quale illud est: *qui occiderit Cain, septē vindictas exoluet*,

C epistola ad Damasum, pro quo ipse Genes. 4. vers. 24. ex Hebraico posuit *septuplum vltio dabitur de Cain*, & Ps. 2. vbi nos legimus, *apprehendite disciplinam*, Hieronymus ipse primo cōtra Ruffinum, quoniam Hebraica variè significarent, ait se in versione ex Hebraico posuisse, *adorate pure* cum cōmentarijs ad eum psalmū dixisset, *adorate filiū*. Sic epistola ad Paulinū,

D quę prologi instar est in oēs sacros libros, locū Amos 7. ver. 14. vbi in versione posuit *Armētarius ego sum vellicās Sycomoros*, in epist. ea dixit ex septuaginta interpretū versiōe *Amos pastor & rusticus, & ruborū mora distringens*. Facilè esset multa eiusmodi exempla ꝓferre, quæ libenter missa facimus. Verùm ad extremū aduersus

E ea q̄ hactenus confirmata sunt quosdam libros ex Hieronymi interpretatione non esse, non parum ambiguitatis diebus superioribus attulerunt biblia ante sexcentos amplius annos Gotthicis litteris descripta, q̄ in templo Toletano seruantur, quibus Hieronymi versionem integrā contineri diuersam à veteri editione vulgata multa indicabant. *Psalmi* ex Hebraico conuersi, vti inter eius opera extant, quod fortasse in

paucis bibliorum codicibus inuenias. *Baruch* pretermissus, vti Hieronymus se pretermisisse ait, tum *Esdra duo libri tertius & quartus*, quos Hieronymus somnia vocat, *praetereà Regum libri diuisi*, eo modo quo diuiduntur ab Hebræis in primum & secundum. *Samuelis*, & rursus in primũ & secundum. *Regum*, quos nos libros *Regum* tertium & quartum vocamus. In his biblijs oẽs libri præter psalmos extant, vti in editione nostra vulgata, paucis tantummodo verbis cõmutatis, pro varietate regionum scilicet. Sed vt manifestum sit non alium interpretem extitisse, ea res in eam cogitationem inducebat, vt preter psalmos, omnes libros editionis nostræ putarem Hieronymi esse. Sed certè cùm non omnes ipse fuerit interpretat', verisimile est proximè eius ætatem, ne in biblijs Hieronymi aliquid deesset ex veteri editione eos libros fuisse adiunctos. Prætereà paucos alios quibus eius interpretatio nõ satis vulgo probabatur. Ergo ea nostra sententia est, plurimos libros nostræ editionis, ex Hieronymi interpretatione esse, paucos quosdam ex altera quæ olim apud latinos editio vulgata vocabatur, neutros omni ex parte synceros, sed quibusdam locis aut verbis ex diuersa editione commutatis.

CAP. XIX.

Psalmos editionis vulgatæ ex Hieronymi interpretatione non esse.

DE psalmis separata disputatione est agendum propter cuiusdam Theologi persuasionem, psalmos vulgatos ex Hieronymi interpretatione esse affirmantis, negantis qui in eius operibus extant ab illo fuisse ex Hebraico cõuersos, vti vulgo hominiũ opinio habet. Sed de quolibet asserẽte contraria laborare stultum esse ais, rectè, si ille ex ꝓmiscuo imperitorum numero fuisset, & non potius erudit' litteris incredibili ingenij firmitate, quem nominare nõ est necesse. Ex dente & vnguibus per te lector dignoscito, eius eum libri & iurgia cum alijs notum Hispanis, sed & exteris fecerunt. Et hoc exemplo admonitus verum esse cogitabã, quod eloquentiæ Romanæ, pater aliquando dixit, *nihil esse tam absurdũ atque incredibile, quod non sit dictum ab aliquo philosophorum*. Nimirũ propositum illi erat Hebraicos codices accusare quasi locis innumeris vitiatos castigandosque ex nostra editione vulgata, & cùm obijceretur Hieronymi ætate nõ alio modo habere Hebraicos codices quã nostra argumẽta psalmorũ, quos ille ex Hebraico vertit nõ minus à vulgatis discrepãtes, ac verò multo magis, quàm in cæteris libris ab Hebraicis dissideant vulgata; maluit negare quod verum erat, quã à sentẽtia recedere (quamuis sæpe monitus) quã animo semel infixerat. Ea causa disputationẽ hãc de psalmorũ versione suscipimus, cogimurq; in re minimè dubia hærere. Verùm antequã disputationẽ aggredimur considerandũ est Hieronymũ veteris testamenti libros priusquã ex Hebraico verteret iuxta septuaginta editionem emendasse. Cæterùm, inquit, ipse, præfatione prima in librũ Paralipomenon memini editionem septuaginta translatorũ olim de Greco emẽdatã tribuisse me nostris, neq; inimicum debere existimare eorum quos in conuentu fratrum semper edissero. Et sigillatim quod ad rẽ magis pertinet triplicem psalmorum editionem adornauit, atq; ꝑfecit, vti Sigebertus in Chronicis affirmat, & ex ipso Hieronymo constat vtraque præfatiõe in psalmos. Primùm enim septuaginta interpretum editionem leuiter correxit, eãdem rursus deprauatam maiori diligentia castigatam astericis obelisq; distrinxit, *asterisco* designãs, q̃ à septuaginta pretermissa

ipse addidit ex Hebraico, obelo quæ ex Theodotionis editione redundabant. Hoc posterius psalterium Gallia suscepit, prius retinuit aliquot sæculis Ecclesia Romana, vnde *psalterium Romanū* dictum est, quod tamē & ipsa Caroli Magni ætate (vt arbitror) Gallico mutauit, aut potius Nicolao III. Pontifice Max. qui breuitatis studio Romæ amotis libris antiquis Ecclesiasticarum precum, libros Minorum substituit, vti Radulphus Tungrensis ait de canonū obseruantia propositione XXII. Tertiam Psalmorū editionem, Sophronij hortatu Hieronymus ad fidem Hebraicā expressit, quod nulla tamen Ecclesiarū hacten⁹ in vsum recepit. Nec prætermittēdum est, quod de Isidoro Braulio Cæsaraugustanus in eius vita ait, aut potius Lucas Tudensis in ijs quæ de suo ad vitam Isidori à Braulione descripta ipse adiecit nō pauca, quartam Psalterij trāslationem edidisse. Eius editionis in Hispania Gotthorū tempore vsus fuit, vti indicāt scripta eius ætatis Isidori, Iuliani, aliorum. retineturq; locis omnibus vbi Gotthico more sacrificatur, ab ijs quos Mozarabes vulgus vocat, quod ea ratione psalterium Gotthicum nominare licet siue Hispanicum. Cōuenit aūt frequēter cū psalterio Romano, quamuis multis etiā locis discrepet, cuius rei pauca exempla proferre placet Ps. 3. ver. 5. *Ego dormiui, & soporatus sum, & exsurrexi quia Domin⁹ suscepit me.* Gotthici legūt. *Ego dormiui et quieui et resurrexi quoniā Domin⁹ suscitauit me*, atq; ita citat eum locum Isidorus lib. I. contra Iudæos. Ps. 6. ver. 10. *Conuertātur et erubescant valde velociter*, Gotthici codices habēt, *conuertantur & confundantur valde velociter*. Ps. 7. ver. 12. *fortis et patiēs nūquid irascitur per singulos dies?* illi: *fortis et lōganimis & nō iram adducēs per singulos dies*, Ps. 9. *Inimici defecerunt framea in finem*, Gotthici: *inimici defecerunt framea in finem*, Psal. 16. ver. 11. *adipe suo concluserunt*, & ver. 16. *Saturati sunt filijs*, vbi nos: *saturati sunt filijs*, & psalteriū Romanorum, *saturati sunt porcina*.

A Mitto innumeros alios locos, quib⁹ Gotthicū psalterium à Romano discrepat. Ad rem accedamus, cōfirmemusq; vulgatos psalmos nō ex Hieronymi interpratione esse, quam ex Hebraico adornauit. Primùm præfatio ad Sophroniū, quo auctore eam editionem perfecit, nō vulgatis psalmis præfigitur, sed illis qui inter Hieronymi opera extāt ab vsu Ecclesiarum remoti.
B Librariorum vitio commutatas præfationes ais. Esto. Neque enim contendere volo. Quid tamen respōdere possis si locis omnib. mōstrauero, quib. Hieronymus vtramq; versionē cōfert, eam lectionē quam Hebraica exprimere ait, à vulgata discrepare, ac verò eam esse quæ in illis psalmis exprimitur, qui inter Hieronymi opera versantur. Epistola ad
C Principiam virginē totum Psalmum 44. explanat atq; in titulo se vertisse ait: *victori pro lilijs filiorū Core* eruditionis canticum amantissimi. vers. 1. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, pro eo se interpretatū ait, *lingua mea stylus scribæ velocis*, vtrūq; in illis psalmis, de quibus agimus inuenitur, diuersa lectio in vulgatis, ꝙ
D in reliquo psalmo licet considerare: cui ergo nisi ferreus sit in re ꝓposita dubitare amplius liceat? an hæc etiā eludere tētabis, ꝙ toto psalmo vnū aut alterū verbū immutatū sit? quasi non sępè memoria fallat, aut librarij quędā nō immutarint aliquādo, pręstat causam deserere, cōmutare sententiā, quā tueri ꝑtinaciter susceptra temerè, præsertim cū ꝓxima epistola
E quæ est ad Marcellā, ex Ps. 126. q̃dam explicans, quo loco in nostra editione est, vt septuaginta interpretes posuerūt: *Beatus vir q̃ impleuit desideriū suū ex ipsis*: in Hebræo affirmat, & alijs interpretibus legi: *Beatus vir qui impleuit pharetram suam ex ipsis*, quomodo in ijs psalmis legim⁹ qui inter Hieronymi opera extant. Ad hæc epistola ad Cyprianū quæ præcesserat in explicatiōe Psal. 89. tum in titulo, vbi nos iuxta septuaginta habemus,

Oratio Moysi hominis Dei, in Hebraico haberi ait, *Oratio Moysi viri Dei*, tum 1. vers. Domine refugium factus es nobis, Hebraicam dictionē, Maon, quam septuaginta in significatione refugij expresserunt, magis habitationem quam refugiū significare ait, atque ita in ijs Hieronymi psalmis legimus. *Domine habitaculum tu factus es nobis in generatione & generatione*. Multa alia ad confirmandum nostros psalmos ex Hieronymi interpretatione non esse, adduci possent, sensus propè omnium eruditorum non aliter iudicantium, biblia Gotthica quæ cum omni ferme ex parte Hieronymi essent ab antiquis diuersa, cæteris diuinis libris adiunctos habent psalmos, qui hoc tempore inter alia eius opera sunt reiecti, nimirum antiquis illis temporibus nondum inoleuerat, vt pro illis vulgati psalmi, quorum vsus retinebatur in Ecclesijs, in libris substituerentur. Sed cui superiora argumenta nō suffecerint, frustra noua congesseris, cum in media luce caligare mihi atque offendere videatur.

CAP. XX.

De editionis vulgatæ auctoritate.

BEne habet, iactis fundamentis ad præcipuam huius disputationis partem ventum est, de nostræ editionis auctoritate ac fide disputandum est, quantum illi tribuendum Tridentini patres iudicarint, nos etiam iudicare debeamus. Sed quo facilius omnia explicentur atque intelligantur, diuidenda in capita, hæc etiam disputationis pars est, ac statuendum primum in Concilio Tridētino sess. IV. librorum canonicorum catalogum describi his verbis. Sunt vero infra scripti (nimirum libri canonici) *testamenti veteris quinque Moysi*, id est, *Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo* A *Paralipomenon, Esdræ primus & secundus qui dicitur Neemias, Thobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Dauidicum centum quinquaginta psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cū Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores*, id est, *Osea, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Naum, Abacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias*, B *Malachias, duo Machabæorum primus & secundus. Testamenti noui quatuor Euangelia, secundū Matthæum, Marcū, Lucam, & Ioannem. Actus Apostolorum à Luca Euangelista conscripti, quatuordecim epistolæ Pauli Apostoli ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galathas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colosenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemo-* C *nem, ad Hebræos, Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli vna, Iudæ Apostoli vna, & Apocalysis Ioannis Apostoli*. Itaq; exceptis tertio & quarto *Esdræ* libris, & tertio Machabæorum, omnes alij libri qui in communibus bibliorum voluminibus circūferuntur diuini & canonici iudicantur: integri cū omnibus partib. quas in vulgata editione habēt, quod qui- D dā ad singulas voces retulerunt, quoniam eæ etiam partes sunt [redacted]. Alij quorum iudicium magis probabam, maiores partes intelligunt capita, narrationes, periodos, nam voces singulæ vix partium nomen merentur, cum sint potuis particulæ, vti in corpore humano, vnguium & capillorum segmēta. Neq; E verò liceret vllo loco à vocib. singulis diffidere, ac pro illis significationes alias substituere, si quasi diuinæ oēs essent approbatæ; neque erat difficilè patribus, si id erat propositum, probare libros sacros cum omnibus dictionibus, adde etiam punctis & apicibus; nam ij etiam partium nomine comprehendi possunt. Sed apage has subtilitates, quas in explicandis patrum dictis adhibere non conuenit.

Itaque iuxta hanc sententiam septem posteriora capita libri *Esther*, ab initio ferè decimi capitis vsque ad finem libri reijci non debent, quod quidam audacter fecit nostra ætate bibliothecæ sanctæ lib.1.sect.3. quod implicita videantur ac perturbata, & vtraque *Artaxerxis epistola* contra Iudæos, & pro ipsis extat apud Iosephum totidem fermè verbis lib. XI. antiquitatum cap. VI. Vnde quidam suspicantur in librum Esther transijsse, cùm liceat potius existimare à Iosepho cum reliqua narratione ex eo libro desumptas fuisse, neque fas arbitror post tantam auctoritatem, & tam apertum decretum vllam diuinorum librorum partem repudiare, neque patrum verba, vti ille fecit) de partibus germanis ac legitimis interpretari, sed germanas potius omnes ducere quæ extant in editione vulgata, alioqui recurret quæstio eademque libertas dum alijs affirmantibus, quamcumq; partem alius negauerit legitimam esse, & quasi additiam repudiârit. Præfatiúcula etiam quam Latini codices præferunt initio lamentationum Hieremiæ: *Et factum est, postquam in captiuitatem reductus est Israël*, quæ in Græcis codicibus extat, desideratur in Hebraicis, probata est. Danieli addita ex Theodotione certè à Hieronymo, item ad caput III. *Azariæ oratio, trium puerorum hymnus, historia Susannæ*, cap.13. quæ de bele & dracone narrantur cap.14. suscipi omnia debent quasi diuinorum librorum legitimæ partes, quantumuis in Hebraicis libris non inueniantur. In nouo testamento caput vltimum Marci ab illis verbis: *Surgens autem Iesus mane prima sabbathi*, quæ in multis olim codicibus non extabant, vti ex Hieronymo ad Hedibiam.qu.3. & Euthymij commentarijs ad eum locum perspicitur, concilij Tridentini auctoritate probatur. Tum historia adulteræ Ioannis 8. de qua Hieronymus libr. II. contra Pelagianos, in Euangelio, inquit, secundum Ioannem in multis & Græcis & Latinis codicibus inuenitur *de adultera muliere*, quæ accusata est apud dominum, quibus verbis indicatur in alijs codicibus non extare. Indicant etiam Græcorum commentaria Euthymij & aliorum, tum Syriacum testamentum nuper in lucem editum: in quo ea narratio penitus desideratur. Et quidam suspicantur ex Eusebio libr. III. postremis verbis cum de Papia loquens, simul inqnit, & historiam quandam subiungit de muliere adultera, quę accusata est à Iudæis apud Dominum, habetur autem in Euangelio quod dicitur secundum Hebræos scripta ista parabola, ex eo additiam esse, quam libertatem iudicandi Concilium Tridentinum præscindit, quemadmodum Lucæ 22. quod de Angelo narratur Christum confortante, eiusque sudore de quo olim est dubitatum, hoc tempore dubitare non licet. Præterea 1. Ioan. 5. cap. vers. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus*, in multis Græcis codicibus olim non erat, neque AEcumenius attingit, ne Beda quidem commentarijs ad eam epistolam, tum in Syriacis codicibus non extat, verum post Concilium Tridentinum de eius aut alterius partis auctoritate, & fide dubitare nefas esset, ac scelus supplicio vindicandum. Octo versus ad Roman. 3. cap. citantur quos ex Psalmo 13. vbi nunc coniuncti leguntur, Hieronymus esse negat præfatione libr. XVI. in Isaiam, sed ex varijs locis in vnum à Paulo collatos, affirmant alij nefas putantes secus iudicare post Concilij Tridentini decretum, nos liberum potius iudicium lectori relinquamus ex quo loco ij versus sint desumpti (modo diuinos & certæ fidei esse fateamur) nam neque in biblijs Complutensibus eo psalmo ponuntur. *Vna oratio* Manassis Regis ad calcem Paralipomenon adijcitur; quem ex intimo corde preces fudisse cum Babylone vinctus esset 2. Paralipomenon

33.scribitur, verbis quæ in ea oratione continentur, an alijs non satis cõstat, cùm ea oratio incertæ fidei sit, neque adijciatur in omnibus codicibus sacris, certè in Gotthicis deerat, tametsi Græcè extet Lutetię in Bibliotheca Victoriana adiecta alijs libris sacris: vbi eam legimus. Ergo de hac oratione vtrouis modo iudices parũ refert: nobis supposita videbatur. Aliæ diuinorum librorum partes sine crimine reijci non debent, quamuis in Græcis aut Hebraicis codicibus non legantur.

CAP. XXI.

Quatenus editio vulgata recipi debeat.

HIC est disputationis cardo, in quo vertũtur omnia. An editio vulgata, quam Tridentini patres pro authentica habere sanciunt in publicis disputationibus, lectionibus, prædicationibus, & expositionbus, ita sit ab illis probata, vt discedere ab eius auctoritate nefas sit etiam in minimis, quæ ad nullã pietatis Christianę partem videtur pertinere; sed omnia sint recipienda quasi ex diuino oraculo, non minus quàm ipsi autographi libri, si integri & incorrupti extarent, an in præcipuis tantùm religionis capitibus eam admittere necesse sit, eatenus vt nullus perniciosus error neque in fide, neque in moribus in ea cõtineatur, magni enim refert vtrouis modo loquaris. Et Theologos nostra ętate bifariam diuisos, cõcilij verba non eodem modo explicasse video. Ac primum quod in confesso est omnibus, librorũ vitia, quæ multa iniuria temporum & incuria librariorum inciderunt, probata nõ sunt, ipsaque codicum varietas multa fuisse mutata indicio est, cum sit veritas simplex, aberrãdi multiplex via, nondumque ex varijs lectionibus quæ sit pręferenda definitum est. Pio V. Pont. Max. tentatum est editionem vulgatam synceram exhibere, cessatum tamen deterritis rei difficultate, quibus ea cura est imposita viris prudentibus atq; eruditis. Rursus is conatus repetitus est meliori successu, quando Clementis Octaui iussu iam prodierunt sacri libri locis innumeris castigati: Itaque antea non erat exploratum, an Complutẽsia Biblia in quorum editione vulgata multa erant immutata, quo cõsilio non disputo, cæteris præferenda sit, an Louaniensia, quibus viri eruditi castigandis diligẽtem operam nauarunt, priuata auctoritate. Romana profectò cæteris potiora sunt. Ex antiquis nondum constabat, an Italica præferenda essent, an vero Gotthica, qua nostri olim Hispani vulgo vtebantur. Alia quidem prætermittimus, sed in Gotthicis tamen multa fuisse immutata, subiecta exempla indicabunt. Genes. 5. vers. 2. & *vocauit nomen eorum Adam & Euam* cap. 8. vers. 7. *dimisit coruum, qui egrediebatur, & reuertebatur donec siccarentur aquæ:* cum in nostris vulgo libris, priori quidem loco *Eua* nomen non sit, in posteriori addatur negatio, in vtris melius non disputamus, sed certè Iud. 7. vers. 18. *Quando sonuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite, & conclamate domino & Gedeoni*, Gotthica: *conclamate gladius domini & Gedeonis*, quod secutus est Chaldæus, & magis conuenit cum ijs quæ sequuntur, quamuis Hebraicis, Græcisq; discrepantibus. Et Regum 1. cap. 2. vers. 32. quo loco nos habemus, *& videbis æmulum tuum in templo*, Gotthica legunt: *& videbis Christum æmulum tuum in templo*. Et cap. 21. vers. 13. quo loco legimus de Dauide, *defluebantque saliua eius in barbam*, Gotthicis additur, *& cecidit ad ostia ciuitatis*. Et postremis verbis eius capitis, pro *hiccine ingredietur domum meam?* illi habent: *dimitte illum hinc & ne ingrediatur domum meam*. Prouerbiorum 29. vers. vltimo, pro *abominantur iusti virum impium*, eadem sententia


verbis alijs ponitur: *abominatio iustorum vir iniquus.* In Sapientia & Ecclesiastico multo plura sunt immutata, vt videantur illi libri in Gotthicis ex editione diuersa esse. Itaque Sapientiæ 19. vers. 19. vbi nos legimus. *Ignis in aqua valebat supra suam virtutem*, Gotthicus codex habet: *Ignis in aqua valebat suæ virtutis oblitus.* Ecclesiast. 3. vers. 28. *prauus corde in illis scandalizatur*, illi legunt: *paruicordius in illis scandalizabitur*, Et cap. 4. vers. 29. *& doctrina in verbo sensati*, Gotthi legebant: *& doctrina in verbis veritatis.* cap. 11. vers. 31. Sicut *enim eructant præcordia fœtantium*, pro illis verbis Gotthici legebant. *Sicut enim eructant præcordia fœtentium.* Neque licet vtra lectio verior sit in plerisque locis ex Græco exemplari considerare, cum non verbis sæpè, sed tota sententia discrepent. Ad confirmandum quod sæpè dictum est, Græcos codices variasse, neque nostrum interpretē nactum multis locis eos qui modo in vsu sunt, quod ex loco proximo melius perspicietur, Ecclesiast. 19. ver. 13. vbi Græca habent corruptissimè: *Corripe amicum ne fortè non fecit, & si fecit ne forte addat*, meli⁹ vulgata: *corripe amicum ne forte non intellexerit, & dicat non feci, aut si fecit, ne iterum addat facere.* Omnium optimè Gotthica: in quibus adijcitur quod in alijs deesse videtur, sic enim habent: *Corripe amicum ne fortè cum fecerit iniuriam, & non intellexerit, dicat non feci, aut si fecerit, ne iterum addat facere.* Ezechiel. 1. ca. vers. 1. & factum est *in anno tricesimo in quarto in quinta mensis*, Gotthica, & factum est *in anno tricesimo in quarto mense in quinta mensis.* Ex Græcis, inquis, sumptum id est, esto, sed & Hebraica fortassis sunt vitiata vnius vocis defectu, tametsi Hieronymus additā Græcè potius arbitratur. Mitto locum Michеæ 5. cap. quoniam de illo mentio facta est, *Et tu Bethleem domus Ephrata, nunquid paruula es in millibus Iuda?* Non prætermittam 2. Machabæorum 7. vers. 27. vbi vulgo legimus. *Fili mi miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui*, Gotthica habere, *decem mensibus*, quam lectionem in correctioribus extare codicibus, ac veriorem esse Syluester ait. Rosa Aurea super Euangelium feriæ 2. post Domin. 4. Quadrag. arti. 2. & fauet Gotthicæ lectioni locus Sapient. 7. *Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine*, & Virgilius Ecloga IV. ait: *Matri longa decem tulerunt fastidia menses.* Non nemo hæc loca sic conciliat, vt fœtus nouem mensibus integris sit in vtero, attingat etiam decimum: Sic nouem menses integri sunt, decem inchoati. Sanè Matth. 2. vers. vltimo, *Vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur:* dictio per Prophetas in Gotthicis non erat, quemadmodum Marci 1. vers. 2. *Sicut scriptum est in Isaia Propheta. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*, in Gotthicis vox, *ante te*, & illud in Isaia, *Propheta* non erat, quæ lectio si reciperetur, quæ Græcorum etiam codicum est, magnas difficultates euaderemus. Postremò 1. Petri 4. vers. 14. ad illa verba, *Quoniam quod est honoris & gloriæ & virtutis Dei, & qui est eius spiritus super vos requiescet*, in Gotthicis additur, quēadmodum in Græcis codicibus *(quod ab illis quidem blasphematur, à vobis autem honorificatur)* quæ aut in nostris desiderantur, aut in illis redundant. Penè eram oblitus quod prætermittendum non est. Ecclesiast. 51. vers. 5. pro, *de portis tribulationum quæ circundederunt me*, in Gotthicis legi *de multis tribulationibus*, quæ lectio cum sententia magis conuenit & cū Græca lectione ἐκ πλειόνων θλίψεων, eoque vulgata lectio corrupta planè esse videbatur. Hieron. XII. ver. VIII. *Nunquid auis discolor hæreditas mea mihi, nunquid auis tincta per totum*, Gotthicum exemplar: *nunquid auis distincta per totum*, quæ lectio commodior est, cum Hebraica magis congruens, sentētiæ inhærens, quam

Hiero-

Hieronymus ſequitur in commentarijs *pauonem*, intelligens auem diſcolorem atque diſtinctam, tametſi vulgare mendum in eum Hieronymi locum etiam irrepſit: Iſidorus libro II. contra Iudæos, *Auis diſtincta per totum* legit: Sic certè in codice Hiſpalẽſi, de qua re paulò plura ſcholijs nos ad eum locũ diximus. Threno. cap. III. verſ. XXXVIII. *Ex ore altiſſimi non egredientur, nec bona nec mala*, Gotthica, *ex ore altiſſimi non egredientur mala pro bonis*, mutatæ lectionis cauſam explicare non attinet, coniectura facilis eſt. Itaque Tridenti decreti verbis vulgatæ editionis vitia non probantur, quæ multa ineſſe ex codicum varietate colligebamus librariorum certè incuria; ſed ipſa tantùm interpretis verſio probatur, vbi conſtiterit, aut ex codicum omnium conſenſione aut Eccleſię auctoritate locum aliquem ab illo ita eſſe conuerſum. Addo tamen ne verbis quidem illis ita eſſe probatam noſtram editionem, vt eadem magis propriè, aut magis apertè exprimi poſſe. nonnullis locis negent. Eo enim pertinent variæ verſiones Latinæ, quæ noſtris & antiquis temporibus cum laude prodierunt, quas Tridentini patres non reijciunt. Sed inter illas vulgatam præferendam cenſent, atque ita cenſuit Auguſtinus ſua ætate cum II. de doctrina Chriſtiana cap. XII. de varijs verſionibus Latinis, quæ eius ætate extabant locutus, adiecit: *Quæ quidem res plus adiuuit intelligentiam quam impediuit, ſi modo legentes non ſint negligentes:* nam nonnullas obſcuriores ſententias plurium codicum ſæpè manifeſtauit inſpectio. Quanto modeſtius Auguſtinus quãuis linguarum ignarus, tum de verſionibus, tum de linguarum vſu Græcę & Latinę loquitur: quàm noſtra ætate quidam Theologi faciunt ſtatuentes tempora eſſe mutata, promulgataque Tridentini concilij lege, probataque Latina conuerſione, Græca & Hebraica vno impetu concidiſſe, cum repudiari non poſſint, de quibus mentio nulla facta eſt, ac ne præferuntur quidem Latina, quando in eo decreto nulla facta eſt comparatio Latinæ editionis cum Græcis & Hebraicis exemplaribus, ſua illis relicta eſt auctoritas quaſi autographis & diuino ſpiritu abſque controuerſia dictatis, quibus locis incorrupta manent: Alia quæſtio eſt, *an Latina Græcis & Hebraicis incorruptiora ſint*, de quo alio loco: nunc tantùm contendimus, Hebraica Græcaque haudquaquam à Tridentinis patribus reiecta eſſe, Latina quidem probari, neque ita tamen vt loca quædam apertius, aut etiam magis propriè verti poſſe negent. In quo video Theologos conſentire, eos etiam qui editionis vulgatæ defenſionem ſuſcipiunt maiori fortaſſe conatu quam opus ſit. Huius rei innumera exempla liceret proferre, vnum tamen proferemus aut alterum. 3. Regum cap. 20. per pediſſequos principum prouinciarum victoriam fore Propheta ait, commodius vocem Hebraicam, *naharim, in pueros*, vt fecit proximo verſu, quam *in pediſſequos* vertiſſet, quemadmodum ſeptuaginta interpretes παιδάρια καὶ παῖδας dixerunt, hoc eſt, *puerulos & pueros*, vt non tantùm famulos principum, ſed filios intelligamus, ex quibus, cum in aula regis Achab educarentur, cohors regia conſtaret, in quibus propter nobilitatem præcipuum robur exercitus conſtare ſolet. Prouerbiorum 30. verſ. 19. vbi nos habemus, *Viam viri in adoleſcentia*, cum in Hebræo ſit vox *Halma*, quam virginem ſignificare contendimus propter locum Iſaiæ 7. *Ecce virgo concipiet:* commodius Chaldæus Paraphraſtes, & Pagninus dixerunt, *Viam viri in virgine*, *perperam qui poſuêre: viam viri in puella ſeu adoleſcentula*, argumento debilitato quod aduerſus Iudæos, ex Iſaiæ verbis conficitur validiſſimum pro perpetua Mariæ virginitate. Idem iudicium eſto, Cantic. 6. verſ. 7. *Adoleſcentu-*

lescentularum non est numerus, dicerem: *virginum* non est numerus propter vocem *Halmoth*, eo etiam loco positam, quod & locis alijs possit notari à nostro interprete prætermissum, & Leuitic. capit. 21. vers. 14. de Pontifice: *meretricem*, inquit, *non accipiet*, *sed puellam de populo suo*, melius septuaginta dixerunt: *virginem de populo suo*, & Hebraicè *Bethula* ponitur, quæ vox *virginem teneræ ætatis* significat. Hieremiæ cap. 31. vers. 31. *Ecce dies venient dicit Dominus & feriam domui Israël & domui Iudæ fœdus nouum*, commodius dictionem, *Berith*, in testamenti significatione expressisset, vti septuaginta interpretes eo loco fecerunt, & Paulus ad Hebræos 8. vers. 8. atque ex ea significatione collegit necesse fuisse vt Christus moreretur, quo testamentum quod viuens nuncupârat, eo mortuo ratum esset. *Vbi enim*, inquit, *testamentum est*, *mors necesse est intercedat testatoris*. Ioannis 12. vers. 20. *Erant autem quidam gentiles ex ijs qui ascenderant vt adorarent in die festo*. Melius diceres: *erant autem quidam* Græci, ἕλληνες, genere quidem & professione Iudæi, sed qui Græci tamen Actorum 6. & alijs locis sæpè vocantur tum Græcè, tum Latinè, quod extra Iudæam inter Græcos nati essent, gentiles certè non erant. Præterea ad Romanos 1. capit. qui *factus est ei ex semine Dauid secundum carnem*, *qui prædestinatus est filius Dei in virtute*, commodius fortasse atque apertius Græca sic redderentur, *qui definitus est aut declaratus filius Dei in potestate*, ne *virtutem* quis putaret ea significatione accipi, quæ vitijs contradicit, & verbum Orizo, melius in sententia definiendi quam prædestinandi ponatur. Neque in magno discrimine alterutrum poni debet vtrouis modo dicatur, neque contendimus editionis vulgatæ auctoritatem imminuere. Illud modo explicamus, his exemplis multa reddi posse apertius & magis propriè, quam sit in editione vulgata. Maior disputatio est de veritate editionis vulgatæ, *An locis omnibus credere debeamus interpretem veram significationem singularum vocum Græcarum Hebraicarumue secutum fuisse*, *an contrariam & falsam?* quemadmodum Ionæ capit. 4. pro voce *Kikaion* Hebraica, septuaginta, *cucurbitam* posuerant, vulgata editio *hederam* habet, vtrumque diu in Ecclesia lectum est diuersis temporibus. Auctor vulgatæ Hieronymus commentarijs ad eum locum, & inter epistolas Augustini epistola XI. neutrum ea voce significari ait, sed potius herbam esse quæ Syris & Pœnis *Kikeia* vulgo *siue elqueroa* nuncupatur, nonnulli malunt *ricinum* interpretari, id ergo quærimus: An si quis Hieronymum secutus, aut septuaginta interpretes, negauerit herbam qua tectus est Ionas fuisse *hederam*; debeat continuò de religione postulari? Sic in Canticis legimus, *Sicut lilium inter spinas*, quæ commodissima interpretatio est vocis Sosanna, nam inde Hispanis *azuzena* dicta fuisse videtur. Sed num propterea quasi impius reijceretur, si quis Chaldæi Paraphrastis auctoritatem secutus, & quorundam Hebræorum ea voce rosam potuis significari putarit, quod lilium inter spinas non nascatur. Multa lapidum, herbarum, animantium nomina ponuntur in editione vulgata, quæ si quis non vsque adeo propriè Hebraicis vocibus respondere asserat, & pro *smaragdo*, verbi gratia, *prasium* poni, pro *hyssopo*, libanotim, vt Georgius Venetus vult, vel *spartum*, vt nostro Abulensi placet, substitui velit, num eum in impiorum numero propterea ponemus? Is certè est huius disputationis cardo, id est, diligenter explicandum. Plerique enim nefas putant falsum interpreti adscribere quacumque in parte. Alij neque minori numero neque auctoritate contraten-

tendunt, neque de minimis quæ ad mores & dogmata non ſpectant magnopere referre putant, vtrouis modo ſentiatur. Hæc enim ad quæſtiunculas diuinæ legis pertinere putant, de quib. liberum eſſe iudicium Vincentius Lirinenſis ait. Verùm horum auctorum verba primo loco adſcribere viſum eſt, in quorum numero Andreas Vega primus occurrit. libr. XV. in Concilium Tridentinum cap. IX. *De editione vulgata* diſputans ſic ait. *Synodus non approbauit menda, quæ linguarum periti, & in ſacris litteris mediocriter verſati in ea deprehendunt, approbauit duntaxat vulgatam editionem repurgatam à mendis quæ vitio ſcriptorum vel chalcographorum in ea obrepſerunt, nec eam tanquam è cælo delapſam adorari voluit, interpretem illius, quiſquis ille fuerit, ſciebat non fuiſſe Prophetam, nec meruiſſe hactenus quemquam, qui eodem in omnibus ſpiritu ſacras litteras à propria & natiua lingua in alienam linguam transfuderit, ac proinde neque cohibuit, nec cohibere voluit ſtudioſorum linguarum induſtriam, qui aliquando docent melius potuiſſe aliqua verti, & vno eodemque verbo vel plures nobis ſuggeſsiſſe Spiritū ſanctum ſenſus, vel certè alios commodiores, quam è vulgata editione poſsint haberi. Sed in honorem vetuſtatis & honoris quem ei iam à multis annis detulerant concilia Latina, quæ ſunt ea vſa, & vt certò ſcirent fideles, quod & veriſsimum eſt, nullum inde haberi poſſe perniciosum errorem, & tutò illam & citra periculum poſſe legi; ad coercendam etiam confuſionem, quam affert multitudo tranſlationum, & temperandam licentiam nimiam cudendi ſemper nouas tranſlationes, ſapienter ſtatuit vt iſta vteremur in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus. Atque eatenus voluit eam authenticam haberi, vt certū omnibus eſſet nullo eam fœdatam errore, ex quo pernicioſum aliquod dogma in fide & moribus colligi poſſet, atque ideo adiecit: ne quis illam quouis prætextu reijcere auderet. Et hanc fuiſſe mentem* A *ſynodi, neque quicquam amplius ſtatuere voluiſſe ex verbis ipſis & ex alijs conſuetis approbationibus concilij potes colligere. Et ne dubites de his, veriſsimè poſſum tibi allegare ampliſsimum & obſeruandiſsimum Dominum ſanctæ crucis Cardinalem de pietate & de litteris & de ſtudioſis omnibus optimè meritum, qui illi ſeſsioni & alijs omnibus præfuit, ac pridie quidem quam illud* B *decretum firmaretur, & poſtea non opinor ſemel mihi teſtatus eſt, nihil amplius voluiſſe patres firmare. Itaque nec tu, nec quiſpiam alius propter hanc approbationem vulgatæ editionis impeditur, quo minus vbi hæſitauerit ad fontes recurrat, & in medium proferat quicquid habere potuerit, quo iuuentur & locupletentur Latini, & vulgatam editionem ab erroribus repurgent, &* C *quæ ſenſui Spiritus ſancti, & ipſis fontibus ſunt magis conſentanea aſſequantur:* Hæc ille. Nobis idem ſciſcitantibus Romę, cum ibi theologicas ſcholas explicaremus, non aliud reſponſum dedit Iacob⁹ Laines, noſtri tum ordinis Prępoſitus generalis, pietatis ſtudijs, eruditionis opiniōe, morum ſuauitate, atque ingenij candore mi- D rabili, quem honoris cauſa nominare volui, & quoniam Concilij Tridentini magna pars fuit, quippe cui plurimum à cæteris patribus deferebatur, & omnibus actionibus interfuit, quod mirum in tanta temporum varietate atque interuallo videri poſſit. Similia Xiſtus Senenſis ait extrema Bibliotheca ſancta his verbis. Et *ſi in ea eiuſmodi errata inue-* E *niantur, certum eſt tamen neque in veteri neque in noua editione aliquid vnquam inuentum eſſe, quod fuerit vel à veritate Chriſtianæ fidei deuium, falſumúe ac mendax, vel contrarium dogmatibus ac regulis orthodoxis, vel præter veritatem additum, vel contra veritatem mutatum, vel in præiudicium veritatis omiſſum, vel adeò deprauatum, vt occaſionem pernicioſè errandi attulerit, vel hæreſibus ac prauis dogmatibus materiam & fomenta præſtiterit,*



terit, vel ita obscurè & ambiguè versum, vt mysteria nostræ fidei occultauerit, aut non ad sufficientiam & quantum satis est ad salutem explicauerit. Quos tamen errores, mendas ac deprauationes D.Hieronymus in veteri editione noui testamenti se consulto reliquisse testatus est, & Ecclesia similiter in noua editiõe ex professo reliquit, non quia tot eruditissimi ac sanctissimi Ecclesiæ patres ea errata vel non agnouerint, vel approbauerint: sed quia ad ea dissimulanda iustis se causis impediri viderint. Primo quod animaduerterint nihil periculi in fide ac moribus ex his tam leuibus erratis imminere. Deindè ne fideles importunæ ac nimium exactæ correctionis nouitate offenderentur, quorum aures vsque ab infantia vetus illa editio occupauerat. Postremò vt vetustam illam editionem venerarentur, quæ nascentis Ecclesiæ fidem educauẽrat, & crescentis roborauerat & euexerat, vtque sanctam ac venerandam illam simplicitatem antiqui interpretis, qui non sermonis ornatum, sed historiæ veritatem quæsiuit, sua ipsorum approbatione honorarent, & vestigia maiorum suorum sequerentur, qui eosdem errores sacra quadam pietate ducti tolerarunt exemplo sanctorum Apostolorum, qui quamquam scirent editionem septuaginta interpretum in multis redundare, & in multis deficere: eam tamen non contempserunt, sed vbique eam prædicauẽrunt, & ex ea prima nostræ fidei fundamenta iecerunt. Temerarium igitur, imò planè hæreticum, propter leues quosdam defectus qui in nostra vulgata editione citra vllum fidei ac morum detrimentum reperiuntur eam spernere & abijcere, nouasque & profanas in locum eius hæreticorum translationes introducere, præsertim post Oecumenici Concilij Tridentini decretum. His accedit Belga Lindanus qui libro III, de optimo genere interpretandi de

A vitijs editionis vulgatæ, interpretis etiam culpa multa disputat, ac præsertim cap.II. *Quare*, inquit, *nunc porrò de his agendum superest rationibus, quibus vulgaris huius editionis incommoda, aut tolli queant aut mitigari atque sarciri: Hebraismos dico, atque Græcismos, acyrologias atque catachreses, Latinique sermonis stribiligines, & si quæ alia sunt in interprete hoc vulgari orationis vitia, quibus haud* B *dubium tàm Psalmorum, quàm noui testamenti versio Latina vulgaris locis non paucis est obscurata. Item alibi impedita ne liberè fluat, rursum alias duriusculè cohærens perplexa etiam ne dicam contaminata, aut interpretis si non ignorantia, certè oscitantia à plano sensu ac genuino deturbata. Et cap.X. hæc addit in eandem* C *sententiam. Quas modo aggredimur locorum Sacræ scripturæ classes, cla[illegible] necessarium linguarum Hebraicæ atque Græcæ commonstrant vsum, vt enim emendata pura puta atque certa tibi constet scripturæ lectio, at sensum tamen nondum habet semper apertum ac cuiuis obuium, & si obuium aliquando non tamen certum & indubitatum. Proinde hunc ex fonti-* D *bus esse hauriendum aut illustriorem, aut pleniorem, aut denique veriorem ipsa nos sæpè numero res cogit.* [redacted]. Postremò Melchioris Cani testimoniũ adij- E ciatur de locis theologicis lib.II.cap. XIII.ex Concilio Tridentino auctoritatem editionis vulgatæ quatuor propositionibus explicantis his verbis: *Prima conclusio, quæ maximè rem causamque continet, nam cætera sunt quasi consectaria.* Editionem hanc veterem atque vulgatam quam post tempora diui Hieronymi Latina Ecclesia vsurpauit, fidelibus esse retinendam in his omnibus quæ ad fidẽ & mores spectabunt. Secunda, si

qua

[redacted]orum [redacted] inter
Catholicos exoriatur, eam defini- A
ri oportet per [redacted]
rem [redacted], cu[redacted]
quod [redacted] alteram quæ-
stionis partem confirmauerit, ea sit
Catholicis amplectenda: sin [redacted]
fidei ac [redacted] non
esse [redacted]
Græcave exemplaria [redacted],
nec ex eis certam [redacted] B
fidem esse faciendam. Quarta. In
his quæ ad fidem & mores perti-
nent non esse Latina exemplaria
per Hebraica vel Græca corrigenda.
D[redacted]
lo[redacted]li verba pri[redacted]
de[redacted]
[redacted] *dormiemus, sed non omnes* [redacted]
tabimur, negantis [redacted]
ligi, omnes in [redacted] C
rituros, [redacted]
iam temporibus Gr[redacted] codices va-
ri[redacted]
ctionem probatam, vt diuersa, quæ
vulgo Græcorum est, *Omnes quidem* [redacted], planè sit [redacted]
adscribimus. *Ad aliud argumen-
tum, quoniam nolumus esse longi in sin-
gulis explicandis, breuiter responde-* D
tur: eum locum ex priori [redacted]
*Corinthios bifariam apud Græcos le-
gi, & vt vulgata habet* [redacted], *& in
hunc modum; omnes quidem* [redacted]
miemus, sed omnes immutabimur. [redacted]
*ius rei auctor est Didymus in episto-
la* [redacted]
N[redacted] à [redacted]
sia reprobata est, quin admonue- E
re semper lectionem dubiam & va-
riam esse, nec alterutram ex eis, vt
cert[redacted]
s[redacted] lectionem
r[redacted]
p[redacted] Doctores Ecclesiæ tanquam
exploratam [redacted]
mane. Quo[redacted]
l[redacted]alibet [redacted],
si [redacted] penitus con[redacted] At v-
bi Doctores Catholici vnam & ean-
dem lectionem sine varietate te-
nuerunt, nec [redacted]
licet Latinam editionem in quæ-
stionem vertere. [redacted]

[redacted]

A

[redacted]

B

[redacted]

C

[redacted]

D

[redacted]

E

[redacted]

rijs

[redacted]

A

[redacted]

B

[redacted]

C

[redacted]

D

[redacted]

E

[redacted]

[redacted]

CAP. [redacted]

[redacted]

An interpres fuerit propheta.

MAgna disceptatio est inter Theologos, an Latinum interpretem in *Prophetarum* numero ponere debeamus, quasi numinis instinctu correcta humana imbecillitate opus versionemque perfecerit, id enim hoc loco *vatem* intelligimus, neque de vocis notione subtiliori laboramus. Etenim superius de septuaginta interpretibus disputauimus, in eam sententiam propensi, contra Hieronymi placita non humano eos ingenio, sed [redacted] ductu diuinos libros Græcè fuisse interpretatos. [redacted] interprete maior quæstio est maiori contentione in vtramque partem agitata. Petrus Sutor opere dicato *de translatione Bibliæ* cap. [redacted] mannus disputatione *pro editione vulgata* (quam Commentarijs in epistolam ad Roma[redacted]) aiunt, quam sententiam recentiores [redacted] vulgatæ etiam in minimis repugnare nefas putant, pij homines & [redacted], Concilij Tridentini decreta, nisi ea opinione suscepta, stare posse non putantes. Negant alij, maiori linguarum cognitione instructi his argumentis. Quoniam Hieronymus ipse præfatione in Pen[redacted]; *aliud inquit est vatem, aliud est esse interpretem; ibi spiritus* [redacted] *prædicit, hic eruditio & ver*[redacted] *est verisimile*, quod septua[redacted] agit eo loco) [redacted]uisse, præsertim cùm Augustinus Hieronymo [redacted] ipsum falli potuisse di[redacted] interpre[redacted] confirmet his ad eum verbis, [redacted] decima. Vnde etiam no[redacted] quoque in nonnullis falli potuisse. Quis ergo diuinus ille instinctus fuit, quem neque Augustinus, neque Hierony[redacted] : quid iuuat post tot sæcula nouo commento nouos prophetas comminisci? qui si [redacted] spiritu acti [redacted] facris, quomodo potuerunt diuinum beneficium ignorare? Adde quod Hieronymus ipse, vti superius dictum [redacted] noua sæpe diligentia corrigit. Amos cap. [redacted] vers. 14. cùm dixisset armentarius, *Ego sum* [redacted] stra editione, Commentarijs ad eum locum, expositis aliorum opinionibus, [redacted] *Nobis*, inquit [redacted]

gis vi-

gis videtur rubos dicere, qui afferunt mora, ac pastorum famem & penuriam consolantur: quod epistola ad Paulinum secutus est, cùm dicit. *Amos pastor & rusticus, & ruborum mora distinguens.* Et epistola inter Augustini epistolas XI. tum commentarijs in Ionam Prophetam, cùm pro voce Hebraica *Kikaion*, septuaginta *cucurbitam*, ipse *hederam* posuisset, negat alterutrum esse, sed potius genus virgulti lata habens folia in modum pampini, quod cùm plantatum fuerit, citò consurgit in arbusculam absque vllis calamorum & hastilium adminiculis, quod Syri, *ciceiam*, seu *elkeroa* vocant. [redacted]

A B C D E

[redacted]

terpre-

[redacted]

CAP. XXIIII.

Alterius partis argumenta.

Ac primum Concilij Tridentini decreta occurrunt nondum satis explicata, in quibus libri canonici, vt sunt in editione vulgata cum omnibus suis partibus, probantur; deinde vt editio vulgata pro authentica habeatur, & vt nemo eam reijciat, nouo decreto mandatur. Ex vtraque autem parte validum argumentum conficitur, quod plerosque in contrariam sententiam impulit, nam & singulæ voces canonicorum librorum partes sunt, & nulla distinctione facta maioris aut minoris rei, reijci illam altero decreto vetatur. Deinde quod Augustinus contendit aduersus Hieronymum: si leuissimum mendacium in diuinis libris inueniretur, vniuersa eorum auctoritas corrueret, qui enim in minimis mentitus est, in maximis etiam potest fallere. Quod argumentum ad editionem vulgatam trahere licet, atque si in ea aliquod mendacium admittitur, vniuersam dubiam facere, vt pro authentica haberi non possit. Sunt autem Augustini verba ex epistola IX. *Si ad scripturas sacras admissa fuerint vel officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis? quæ tandem de scripturis illis sententia proferetur, cuius pondere contentiosæ falsitatis obteretur improbitas?* quæ verba ad editionem vulgatam transferas licet. Præterea satis constat scripturam sacram Ecclesiæ Catholicæ possessionem esse, ergò in Ecclesia Latina, in qua Catholica religio conseruata tantum est, vera scriptura permansit, atque locis omnibus integra, atque adeò non Hebraicis codicibus aut Græcis, sed Latinis fides certa est tribuenda, quibus vtitur atque vsa est Ecclesia Latina, alioqui diuina scriptura fuisse destitutam tot sæculis fateri debes, atque editionem Latinam dare, qua parte vitiosa est, scripturam diuinam non esse: non est ergò editio nostra scriptura diuina, neque certam auctoritatem habet, neque nos scripturam canonicam habemus, certè ijs locis quibus est vitiata, licebitque locis omnibus aut plerisque dubiam facere, quasi à fontibus discrepantem, quo magna perturbatio esset, ac religio nostra nutabit, quæ diuinis libris quasi fundamentis innititur. Accedit, nihil esse in diuinis libris leue, cùm omnia ad fidem spectent, ac in impiorũ numero poni debeat, quicunque etiam in re leuissima discesserit ab ijs, quæ in diuinis libris continentur, affirmâritque aut coruum redijsse in arcam, aut columbam Noe emissam nunquam redijsse? (quid enim leuius?) contra quam in diuinis libris legitur atque editione vulgata. Postremo multo maioris ponderis argumentum occurrit: quoniam hac licentia admissa, multis libris sacris cogemur certam auctoritatem denegare, nempe quorũ versiones tantum extant, ipsi libri autographi desiderantur. *Libri Tobiæ, Iudith, Ecclesiasticus, Sapientia,* atque in nouo testamento *Euangeliũ Matthæi, ac epistolam ad Hebræos,* quos constat ab auctoribus primum Hebraica lingua fuisse conscriptos, neq; nunc extare,

extare, nisi in Græcam linguam conuersos. Quod si antiquitus Ecclesia eorum librorum Græcæ interpretationi potuit certã auctoritatem dare, paremque ipsis fontibus, vnde ea interpretatio manauit, non minus in minimis, quàm in maximis, cur modo Ecclesia nostræ editioni parem auctoritatem tribuere non possit, nõ video. Quod si potuisse das, qbus alijs verbis eam voluntatem explicare potuit, quàm quæ ex Concilio Tridentino sunt allata? Hæc sunt ferè in hanc partem argumenta, quibus nostram editionem certæ fidei & auctoritatis esse etiam in minimis confirmari potest, valida atque præclara, quis non videat? Nonnulli etiam eisdem argumentis interpretem non humano ingenio, sed Deo dictante scripturas Latinè reddidisse contendunt. Quod vtinam dictum persuadere aduersarijs potuissent, magna nos molestia liberassent. Sed quando id non est factum, [redacted], in illorum gratiam hæc argumẽta dissoluere constituimus: & primum Concilij Tridentini verba, quibus maximè innituntur, qui ita sentiunt, explicare. Ergò priori decreto editionem vulgatam probari putant cum partibus, nempe capitibus singulis & narrationibus, nam si voces singulas, quæ particulæ potius quàm partes sunt, probare voluisset, id explicare facilè potuisset, nimirum quorundam licentiam coercere voluit, aliquos diuinos libros aut eorum partem abdicantium. Secundo decreto, quoniam disputationes aduersus hæreticos futuræ erant, de religione certè & moribus, quos iniuria temporum labefactatos astringere erat propositum, fontes designauit, vnde argumenta petenda essent, diuinas litteras & traditiones Ecclesiasticas, & ne quis argumenta eluderet, ac certam auctoritatem detraheret editioni vulgatæ, eam decernit authenticam esse, hoc est, plenæ auctoritatis, certè quoniam nihil continebat, quod ad mores & religionem spectat deprauatũ, eatenusq; vetat à quoquam reijci, & ad coercendam ingeniorum petulantiam, vt idem in lectionibus, concionibus & expositionibus fiat: eodem decreto mandatur, ne reijciatur in ijs, quæ ad dogmata & mores pertinent, ac verò ea semper vtantur, quæ explicatio cùm magnos auctores habeat, qui superius sunt designati, repudiari non potest certè quasi religioni contraria. Quod de mendacio affertur ex Augustino parum mouet contra sentientes. Nam eodem argumento efficeretur, ne librariorum quidem incuria mendacium in diuinis libris esse debere. Nam si illud ex alijs codicibus castigare posse contendis, idem dicent aduersarij, errorem interpretis ex fontibus debere corrigi, & Augustinus epistola XIX. ad Hieronymum, *Si quid*, inquit, *in eis offendero* (nempe libris canonicis) *quod videatur contrarium veritati, nihil aliud existimem quàm mendosum esse codicem, vel non esse assecutum interpretem*, quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam. [redacted]. Verum cùm superius sit dictum, Græca etiam & Hebraica corrupta esse, meritò quis ambigat, an locus aliquis in diuinis libris in omnibus codicibus & linguis vitiatus esse possit Hebraicè, Græcè & Latinè. Negat enim Abulensis 4. Reg. 24. quæstione VIII. valido argumento ductus: quia eo admisso omnia in diuinis libris nutarent, & in locis apertissimis aduersarius excusare posset codices omnes in linguis omnibus esse deprauatos, verbi gratia. Initium Genesis, atque Euangelij Ioannis, qua enim ratione magis his locis, quàm alijs incoruptos esse defendatur, resistunt Caietanus & Canus hic lib. XI. de locis Theologicis cap. V. præsertim his verbis productis, 2. Paralip. cap. 36. *Octo annorum erat Ioachin, cùm regnare*

cepisset, Caietanus commentarijs in libros Regum 2.lib.cap.21.vers.8. *& quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi.* Existimat enim pro *Michol* in omnibus codicibus legendum *Merob*, quæ data est Hadrieli Molathiti vxor, 1.Reg.18. vers.19. & sanè *Michol* filiæ Saul non est natus filius vsq; ad diem mortis suæ. 2.Regum 6.vers.22. nupsitq; non Hadrieli, sed Phaltieli filio Lais, 2.Reg.cap.3.vers.15. quo tempore à Saule patre Dauidi est ablata. Hebræi *Merob* filios fuisse concedunt natura, Michólis adoptione & educatione affert Petrus Galatinus lib.V.contra Iudæos cap.13.quod Caietanus refellit: quoniam Michol eos *genuisse dicitur*, quę forma loquendi in filios adoptione conuenire non potest, ac multo magis refellenda est sententia Iosephi lib. VII. antiquitatum cap.IV.affirmantis *Michol* ex Dauidis coniugio nullos quidem filios peperisse, ex alio marito tamen, cui pater à priori abstractam tradidit quinque liberos genuisse. Quidam etiam Marcum cap.15.vers.25. *Erat autem hora tertia & crucifixerunt eum, cum Ioannis cap. 19. vers.14. Erat autem parasceue Paschæ hora quasi sexta*, conciliant: Marci locum [redacted] propter similitudinem notarum, Græcè ternarij & senarij corruptum esse putantes viri antiquitate & auctoritate præcipua: in quo numero Hieronymus erat in Psalmo 77.initio, & sanctus Thomas affert III.p.q.XLVI.ar.IX.ad II. Quod si Caietani sententia recipitur, Abulensis argumento respondẽdum est, nullum esse mendacium in codicibus ac linguis omnibus, cuius non aliquod vestigium extet, aut nõ possit ex antiquorum libris aut collatione aliorum locorum castigari, quod ad Dei prouidentiam pertinet, ne omnia dubia reddantur: & supplicio dignus sit quicunq; temere nulla compulsus necessitate, locum aliquẽ affirmarit in linguis omnibus & codicibus esse cõtaminatum. Nam quod afferebatur scripturam sacrã Catholicę Ecclesię possessionem propriam, atq; adeò in Ecclesia Latina Latinos codices certæ auctoritatis esse in minimis & in maximis, facilè id refelli potest, quando ad Ecclesiam Catholicam non minus Latina interpretatio quàm ipsi fontes pertinent, eius hæreditas Christi testamẽto relicta. Cùm obijcitur codices Latinos diuinam scripturam esse distinctione adhibita facilè dissoluitur: scripturam sacram pro fontibus sumi Græcis atque Hebraicis, tum etiam pro interpretatione quæcunq; ex illis manauit. Latinis ergò codicibus diuina scriptura continetur, non quasi in fontibus, id enim datum non est, vt diuini libri latinè primum scriberentur. Dei consilia curiosius perscrutari non conuenit, sed diuina scriptura in illis continetur quasi in interpretatione non minoris certè auctoritatis, [redacted]

Porro nihil esse in diuinis libris, quod ad fidei dogmata non spectet, eatenus verũ est, si minutissima quæque ad ea reuocari intelligatur, certè dogma illud, *Deum esse veracem in omnibus dictis suis*, in diuinis libris ne minimum quidem mendacium esse, alioqui multa sunt, quibus nullum peculiare dogma explicatur, in quibus erroris aliquid in editione nostra esse, absurdum non arbitrantur

in fon-

in fontibus, vnde ij errores corrigẽdi sunt vel leuissima quæque vitio carent, ne Deo mendacium tribuatur, quo dictante diuini libri sunt conscripti, interpres humano ingenio nixus, in quibusdam certè labi potuit. De postremo argumento alios audire mallem, quàm ipse pronunciare. Sed noui tamen Testamenti libri, *Matthæi Euangelium*, & *epistola ad Hebræos*, de quibus est disputatio, Lucam aut Clementem interpretes habuerunt, viros Apostolica auctoritate, & cum ipsis scriptoribus sacris sapientia fideque comparandos. De veteris testamenti libris idem iudicium esto, tametsi ignoretur, à quibus conuersi sunt, & est antiquitas omnis occulta sanctaque. Nam neque est traditum, qua diligentia illi libri fuerint à veteribus in numerum diuinorum librorum relati, & idoneam tamen fuisse adhibitam existimare & confiteri necesse est, neque in his libris vel leuissimum errorem contineri, ne interpretis quidem culpa, nisi fortè librariorum vitio & incuria, quos maiori diligentia castigare opus est.

CAP. XXIV.

Ratio castigandi codicis editionis vulgatæ.

MAgna prudentia opus habet, graui iudicio, quicunque editionis vulgatæ codices castigare aggredietur, cùm multa in ea sint quæ à fontibus Hebraicis Græcisque codicibus discrepare videntur, illorum potius vitio quàm interpretis, vti superius dictum est, non pauca in Hebraicis & Græcis libris hominum incuria aut malitia esse deprauata, aut quoniam interpreti fuit propositum, sententiam exprimere non numerare verba, quæ si immutare quis velit, rem is stultissimam faciat. Cuius rei innumera exempla extant, sed pauca quædam afferenda sunt. Psalm. 2. quo loco legimus, *Apprehendite disciplinam*, vti Græci codices habent, & Hieronymus in sua versione ex Hebraico posuit: *adorate purè*, ipsemet Commentarijs in Psalmos. *Osculamini filium*, siue *adorate filium*, reddẽdum putauit, & lib. I. aduersus Ruffinum, vtrumque se fuisse secutum ait, nimirum verbis mutatis sententia nõ alia. Osculo enim adoratio olim exhibebatur, siue quo manum suam quis osculabatur alterius vicariam, cui adoratio exhibebatur iuxta illud Iob 31. ver. 26. *Si vidi solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè; & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo; quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Apuleius etiam eum morem fuisse docet, ritumque adorandi Apolog. I. & lib. IV. de Asino. Plinius lib. XVIII. capit. II. ad calcem, *In adoratione*, inquit, *totum corpus circumagimus, & manum ad oscula admouemus*, tum Minutius in Octauio initio, *Cæcilius* ait, *simulacro Serapidis denotato* vt vulgus superstitiosum est, *manum ori admouens osculum labijs pressit.* Siue alterius manum qui adorabat, osculabatur; significans ab eius manibus beneficium expectare, id significat: *Osculamini filiũ*, in psalmo, quam alij sententiam expresserunt verbis alijs: *Apprehendite disciplinam, siue adorate purè.* & in Theodoreto lib. V. histor. cap. XVI. inuenio *osculandi* voce venerationem significari, quod interpres non satis considerasse videtur, cùm Græca sic reddidit. *Imperator autem* (nempe Theodosius) *ratus Amphilochium oblitum officij iubet ad filiũ accedere, illumque osculare*, cùm dicere potius debuisset, *illumque venerari*. Locus alter ex Hieremiæ lamentationibus sumi potest cap. 4. vers. 7. vbi Hieronymus dixit: *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo*, quam interpretationem Pagninus reprehen-

dit in dictionario radice, פנן, *Hieronymus*, inquiens, *rubicundiores ebore antiquo* (supple conuertit) sed nõ conuenit huic loco, quia ebur est candidum & nõ rubeum, nimirum studio reprehendendi suam ipse inscitiam prodidit vir alioqui doctus & grauis. Olim enim consuetudo fuit ebur purpura inficere, quod ex Virgilio deprehenditur 12. AEneidos, *sanguineo veluti violauerit ostro*, si quis ebur ex antiquiori Homero desumptum Iliados delta dicente, ὡς δ' ὅτε τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ, Tingendi ebur causam Ouidij II. Elegiarum expressit, nempe ne æuo flauesceret. *Aut quod non longis flauescere possit ab annis, Mæonis assyrium fœmina tingit ebur.* Ad eam autem consuetudinem antiquam Hieronymus allusit, cùm dixit: *rubicũdiores ebore antiquo*, id est, ebore quod olim rubro colore tingebatur, de voce Hebraica nihil solicitus, qua gemmæ genus significatur rubræ, & cum opinionibus Hebræi variarent, qualis ea gemma esset, alijs verbis maluit sẽtẽtiam explicare, quam septuaginta interpretes partem quasi foueam reliquerũt intactam, ac verò penitùs prætermiserunt vim Hebraicæ vocis. Tertius locus ex Prouerb. est cap. 26. vbi nostra editio ver. 8. habet: *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem*, Græcè & Hebraicè pro *aceruo Mercurij*, *cumulus* tantum ponitur siue *funda*; & à Hieronymo proculdubio *Mercurij* vox est addita, sententia conseruata, qua rem vanissimam facere significauit Salomon, qui tribuit stulto honorem, non secus atque qui promiscue lapidem in cumulum aliorum lapidum mittit, aut funda in incertum iacit, idipsum eleganter Hieronymus expressit, alludens ad morem antiquum, quo Mercurij statuam in triuijs collocare consueuerunt intra lapidum cumulum, cui viatores, quasi viam monstraret, aut serta imponebant, aut lapides cumulo addebant. Hunc morem elegans poëta ex parte expressit emblemate.

In triuio mons est lapidum: superemi-
net illi
Trunca Dei effigies, pectore fa-
cta tenus.
Mercurij est igitur tumulus, suspen-
de viator
Serta Deo, rectum qui tibi mon-
strat iter.

Id ergò Hieronymus expressit, rem vanissimam facere, qui stultum honorat, perinde ac qui mittit lapidem Mercurij ad statuam honorandam. Quid quod communi prouerbio inter Hebræos vsitatum est, *Mittere lapidem in Mercurium*, quem ipsi *Marcolis* vocant, ad significandum genus & formã impij cultus, Auctor Elias in Thisbi dictione, מרקליס. Stultè ergò quis harum & similium rerum ignoratione editionem nostram accuset, aut etiam castigandam putet quasi à fontibus discrepantem. Itaq; magna cautione esse opus, neque facilè interpretem accusari debere proposita exempla satis declarãt. Quartum accedat ex Isaia cap. 22. vers. 17. *Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus*; haud facile enim in dictionarijs inuenies vocem Hebraicam, *Gheber*, significare gallum, quod secutus vir doctus cõmentarijs in eum prophetam reddi mallebat: *Asportari te faciet Dominus* sicut asportatur vir, siue asportatione viri, nimirum cùm in captiuitatem agitur. In quo certè nihil præcipuum erat, quo enim alio modo asportari deberet? & nos superius indicauimus Hebraica voce gallum etiam significari ex Rabbinorum sententia, quod potuit multis etiam alijs vocibus contingere, vt earum veteres significationes interciderint, quod in Latina etiam lingua contigisse consideramus. Quis enim hoc tempore plerasque voces nouit aut significationes, quamuis peritus latinitatis à Nonio Marcello & Festo Pompeio in eorum dictionarijs collectas? quid *millus* sit, *quid petimina*,

bulga, bulima, Caprona, Cesticillus, flammearij, grallatores, mustricola: quâ quidam dixit, ***mustricolam in dentes impingam tibi,*** quod si in lingua Latina vix hæc à peritis noscuntur, multaque alia penitus interciderunt, quid putes Hebraicæ contigisse reconditæ imprimis & antiquissimæ? Sit ergò fixum non temerè, nec facilè nostram editionem accusari debere. [redacted] Errata [redacted] si quæ sunt, nullus priuata auctoritate castigare debet, neque immutare illud Sapient.4. vers.3. ***Spuria vitulamina non dabunt radices altas***, sicque locus mansit in Louaniensibus biblijs & Romanis Sixti, & cap.12. vers.18. Cùm ***ergò sis iustus, iustè omnia disponis, ipsum quoque qui non debet puniri condemnas, & exterum æstimas à tua virtute, quamuis absonam sententiam continere videatur,*** Nam interpres Græcos codices corruptos secutus videtur, nullus immutare debet, quod Louanienses tamen fecisse video ex Græcis codicibus, qui vulgò circumferuntur immutantes hoc modo, ***ipsum quoque qui non debet puniri condemnare, exterum æstimas à tua virtute,*** neque dubito commodiorem hanc lectionem esse superiori, quam Romani etiam sunt secuti. Sed nescio an præscindenda licentia ea sit, quoniam veteres codices vulgatæ, Gotthici etiã, Complutenses, Regij in diuersam lectionem conspirabant, sic etiam legit Gregorius lib.III. Moral. cap.XI. Neque in Amos propheta ***Sycomoros***, neque in Iona, ***hederam*** mutaris, tametsi constaret voces Hebraicas vtroque loco longè aliam habere significationem. Quod si error consideratus in editione vulgata librariorum incuria contigit (quod facilè deprehendimus cum detractione aut additione alicuius litteræ, aut vocis facili immutatione veram lectionem restitui posse animaduertimus) si quidem in vitiosam lectionem omnes codices conspirauerint, priuata auctoritate immutanda non est, neque sine offensione multorum & animorũ motu consueta relinquimus, præsertim in libris diuinis, itaque Genes.13. cap. Sed & Loth ***qui erat cum Abraham,*** vers.5. legendum esset, ***qui ierat cum Abraham***, sic enim Hebraica & Græca habẽt, & fuit facilè librarijs vnam litteram intercidere, & cap.38. ***Mortua est sua vxor Iudæ***, legi deberet, ***mortua est filia sua vxor Iudæ.*** Psalm.34. ***qui maligna loquũtur super me***, legendum erat; ***qui magna loquuntur super me***, multaq; alia id genus à Lindano errata animaduersa lib. III. de optimo genere interpretandi cap.IX. & sequentibus, immutari non debent, antiquis enim & consuetis homines stare malunt etiam vbi vitium constat. In quo Complutẽses codices accusari possent, innumeris enim locis veterem lectionem immutârunt, non ex aliorum exemplarium collatione, id enim dissimulari poterat, sed ex Hebraicis & Græcis fontibus: tametsi ijs biblijs edendis Cardinalis Hispaniæ prudentissimi accessit auctoritas, Romani Pontificis voluntate fortassis etiam adiuta. Sed multis tamen locis veterem lectionem mutarunt, ex quo numero quædam proferre conuenit. Ps.41. ***Sitiuit anima mea ad Deũ fontem viuum,*** illi posuerunt: ***sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum,*** sic enim Græcè & Hebraicè legimus, & facilè fuit librario vnius litteræ permutatione pro ***forti fontem*** dicere, secuti sunt alij, præsertim, cùm sitiendi verbum magis cum fonte videretur conuenire. In biblijs Romanis Sixtus quidem ***fontem*** reliquit, Clemens ***in Fortem*** mutauit. Sic Psalm.105. vers.39. ***infecta est terra in sanguinibus,*** mutârunt: ***interfecta est*** terra in sanguinibus, quæ multo commodior lectio erat cum Hebraica, ותחנף Græcaque ἐφονοκτονήθη, consentiens, nisi diuersa lectio vsu recepta fuisset, quam video etiam Louanien-

uanienses immutasse ac dixisse: *interfecta est terra*, fortasse adiutos veteribus exemplaribus, retinuisse prudenter Romanos: quemadmodum Isaiæ 24. vers. 5. simili immutatione vt arbitror dictum est: *terra infecta est ab habitatoribus suis*, nam codex Gotthicus habebat: *interfecta est*, & idem verbum, quod superius erat Hebraicè, חנף, sed locum hunc Complutenses intactum reliquêre; immutarunt Psalm. 106. vers. 40. vbi nos vulgò legimus: *Effusa est contentio super principes, illi* substituerunt *pro contentione contemptionẽ*, Græcis, ἐξουδένωσις, & Hebraicis codicib. adiuuantib. vbi בוז, ponitur, id est, *cõtemptus*. Psalmo 113. vers. 147. *præueni in maturitate*, illi dixerunt: *præueni in immaturitate*, inducti voce Græca ἀωρίᾳ, quæ intempestiuum significat intempestamque auroram, quod Latinè dicimus: *intempesta nocte*, consentit Hebraica vox בנשף, & veram esse Complutensem lectionem indicat, si tamen æquum fuit vsu receptam lectionem mutare. Quod Isaiæ etiam 60. cap. ver. 4. fecerunt, vbi nos legimus: *Filiæ tuæ de latere surgent*, mutantes ac legentes, *filiæ tuæ in latere sugent*, propter verbum Hebraicum, תאמנה, quod nutrire significat. Mittimus alia, plures enim sexcentis locis immutatos considerauimus, & ex Psalm. 13. octo omninò versus à Paulo ad Romanos 3. citatos ex eo penitus detractos consilio, quod hoc loco neque accusare volumus neque laudare, aliorum de ea libertate vetera mutandi iudicium esto. Nos qua via cœpimus progredientes hanc disputationis partem absoluamus, adijcientes vbi Latini codices variarint eam esse præferendam lectionem, quę magis cum prototypo & fontibus conuenit, etiamsi diuersa lectio in pluribus codicibus extet, atque adeò Genes. 8. vers. 7. *Dimisit coruum qui egrediebatur & reuertebatur*, vt est in biblijs Gotthicis & Complutensibus, verior lectio haberi debet, tametsi in multo maiori codicum numero adiecta negatione legatur: *Egrediebatur & non reuertebatur*, Daniel. 9. vers. 26. *& post hebdomadas septuaginta duas occidetur Christus, & non erit eius quod* sequitur, *populus qui eum negaturus est*, addititiũ existimari debet, quoniam in Gotthicis deerat, in Benedicti biblijs obelo erat iugulatum: quemadmodum in Hebraicis fontibus non legitur, & ex margine in cõtextum transijsse videtur, cùm alioqui oratio deficiens videretur. Quod si ex prototypo, ex varijs lectionibus codicum Latinorum, quæ sit germana dijudicari nequit, ea præferatur quæ sententiæ magis inhæret, magisque conuenit cum eius loci circumstantijs antecedentibus & consequentibus, quod dictum ad varias etiam lectiones codicum Hebraicorum & Græcorum accommodari potest. Postremo siquidem hac ratione certi aliquid statui non possit, ea lectio præferri debet, quæ plurium codicũ antiquorum & fide dignorum consensione fuerit adiuta, præsertim si veterum patrum accedat auctoritas, ex quorum scriptis in varia codicum lectione, quæ sit præferenda, dijudicari potest. Summa magno iudicio opus est, magnaque prudentia ad castigandum diuinæ scripturæ libros: ac præsertim præcipua animi pietas & modestia adhibeatur, proculque sit contradicendi libido, nouaque atq; inaudita inueniendi. Quod in biblijs Romę recens editis obseruatum certo credimus.

CAP. XXV.

De nouis versionibus.

Decreto Tridẽtinæ synodi minimæ aduersantur, quicunque nouas versiones adornant aut adhibẽt, ijsq; vtũtur præsertim studio explicãdi veteris & vulgatæ editiõis obscura loca, ambigua verba, linguarũ idio-

mata,

mata, & inter varias deniq; quę in ea occurrunt, lectiones diiudicandi quę nā præferri debeat. Sola quidē editio vulgata pro authētica haberi debet, nemoq; illā reijcere impunè audeat, sed neq; versiones aliæ Latinæ repudiantur eo decreto, quæ nostra & parentū ætate magno numero prodierūt, linguarum peritia copiaq; librorum post inuentam artem æneis formis libros euulgandi, multi sacros libros interpretari aggressi sunt, nō eodem omnes studio, quidam rerū nouarum cupiditate, & vt sectæ placita quasi diuinis libris consentanea confirmarēt, de quorum studio agere nō est opus, quid enim afferre possent vtilitatis praui homines atq; nefarij? alij ad eruditionem ostentandam & vt nostræ editioni conuitiū facerent quasi multis maculis foedę eū laborem sumpserunt. Erasmus noui testamenti interpretatione & annotationibus. Valla & Faber editis annotationibus aut cōmentarijs: quos imitari profectò non debemus omni supplicio vindicandos potius conatus, & erat ingenij moderati ac pij animi si quæ vitia inoleuerant temporum culpa, ea excusare potius, aut leuiter castigare, quam videri velle Ecclesiæ negligentiam suis scriptis accusare, quasi indormientis diu, altumq; stertentis. Ego in interprete diuinarum scripturarum modestiam præcipuā cuperem: atque quo ad Græca & Hebraica paterentur, studium editionis vulgatæ defendendæ, ex varijs lectionibus Græcis aut Hebraicis prælata ea quæ nostris codicibus fauere maximè videretur, & vbi in fontib. nulla esset varietas, ex eorum verbis excutere conaretur sententiam nostræ editiōis: quod fieri plurimis locis facilè posse magnis experimentis comprobatum habeo; atque in eo genere cū laude *Genebrardus* monachus Benedictinus æqualis noster & amicus commentarijs in psalmos laborauit, quod vtinam in reliquis libris Sacris præstitisset, vnde laudē omni ex parte cumularet, fructusq; perciperētur

vberrimi: nā plerosq; alios in hac re A defecisse video, eos etiam qui maiori modestia in opere versati sunt *Pagninus*, *Fabritius*, alij quos honoris causa nominare volui, neq; eorū peccata omnia proferre hoc loco erat propositum. Quędam tantū exempli causa subijcietur, nulla accusandi voluntate, sed explicandi tantū quid in eis à plerisq; desideretur. Ac primū Iob. 19. cap. quo loco nos legimus, *& B rursus circundabor pelle mea*, quib. verbis vti Hieronym⁹ ad Pammachium affirmat, testimonium omniū quę in veteri testamēto extant, apertissimū cōtinetur ad confirmandū corpora in vitā reditura. Pagninus ita sua interpretatione inuertit, vt ne vestigiū quidē tantæ rei supersit cum Hebraica ita interpretatur: *& postquam pellē C meam contriuerunt hanc*, cū potuisset nostræ interpretationi consentaneè locum reddere, & verbum Hebraicū Nakaph in significatione inuoluendi seu circūdandi ponere, queadmodum Iob 1. vers. 5. dictionē, הקיפו, ipsemet posuerat in significatiōe *Circūdandi, & fuit cū circumuoluti essent dies conuiuij*, quā vocē à *Nakaph* & à *Iakaph* deduci iuxta rationem grāma- D maticę posse constat, & vtrumq; verbum in significatione *circumdandi* quibusdam etiam dictionarijs inuenio. Præterea *Leo Iuda* quamuis hæreticus ea versione quę circumfertur cum biblijs Roberti Stephani, & Tigurina alio nomine est, sic locū reddidit: *postquā verò circūdederint* (hoc scilicet corpus) *mea cute, spectabo Deū.* Et Galatinus lib. III. contra Iudæos c. E XXVII. & ipse Hebraicè doctissimus eandē significationem secutus dixit. Et *postea pelle mea inuoluentur ista*, quod si paulò durius videatur pro singulari pronomine, זאת, numero multitudinis reddere ista, tametsi in Hebraica lingua vsitatū, id est, sic locus verti possit: Et *postea pellem meā inuoluent seu circumdabunt hanc*, supple mihi, quo resurrectionis mysteriū manifestè exprimitur: Video septuaginta interpretes locū etiā inuertisse cū dixerunt:

xerũt: *Scio ego quod æternus est*, qui soluere me debet super terram suscitare pellem meam, quæ tolerat hæc, & vbi nos habemus: *& in carne mea videbo Deum*, illi posuerunt: *ab enim Domino hæc mihi confecta sunt*, quo modo ante Hieronymũ in antiqua editione Latina locum fuisse cõuersum Augustin⁹ indicat XXII. de ciuit. Dei c. XXIX. cũ iuxta codices ex Hebræo legi ait, *Et in carne mea videbo Deum.* Verũ in ijs verbis mysteriũ resurrectionis quãtumuis immutatis aliqua ratione conseruatur: in Pagnini versione nullo modo. Deindè Ps. 15. ver 10. vbi nos legimus: *Non derelinques animam meã in inferno, neq; dabis sanctum tuũ videre corruptionem,* Pagninus: *non relinques animam meam in sepulchro, neque permittes misericordem tuum vt videat corruptionẽ*. Arias pro corruptione *foueam* substituit, atque in Idiotismis affirmauit eo loco *animam* pro *corpore* sumi, hac sententia, nõ derelinques corpus meum in sepulchro, quomodo Theodorus Beza Caluini successor Acto. 2. vbi à Petro Apostolo is locus ad cõfirmandam Christi resurrectionẽ citatur, pro nostra lectione posuit: *Non derelinques cadauer meũ in sepulchro*, alijs verbis sententia non alia. Qua interpretatione loci vis eneruatur penitus & corruit, quo vno vel maximè *descensus Christi ad inferos*, ex sacris litteris comprobatur, quid enim commertij habet cũ descensu ad inferos corporis & sepulchri commemoratio? Neque potuit ea interpretatio alieno magis tempore, vt esset verissima, à viro catholico prodire, quam cũ aduersus hæreticos cõcertatio est Christi descensum ad inferos penitus repudiantes, explicantes aliter quam Ecclesia ab omni memoria iudicauit. Porrò nobis cum hæreticis dimicãtibus prodire ex aduerso è Catholicorum numero, qui secundum hæreticos litem det, quam sit turpe & indignum nemo non videt. Verùm ne in hac parte seuerior esse videar, quam pro rei magnitudine, Sanctis Episcopi Ebroicensis viri eruditi iuxta ac pij verba subijciã de hac interpretatione contra Bezam disputantis *libro de veritate Eucharistiæ* repetitione IV. ca. XI. pag. CLXII. *Accedamus*, inquit, *ad Bezæ æquè impiam arrogantiam, qua sacram illam ex Luca scripturæ auctoritatem de descensu Christi ad inferos nõ veretur violare & corrũpere, & in sensum contrarium articulo fidei conuertere.* Itaq; quod apud Lucam est,
3 ὅτι οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδου, *ita transfert Latinè: non derelinques cadauer meum in sepulchro, nec sines sanctum tuum sentire corruptionẽ. Inprimis miramur hominis impiam audaciam, qui septuaginta interpretum & Euangelistæ Lucæ versionem ex Hebræo in Græcam linguã contemnat, & Iudæos imitari malit, quasi Spiritus sanct' Rabbinos inimicos crucis Christi magis afflauerit, quam septuaginta interpretes & Euangelistas: Ita homines trium Hebraicarum litterarum, aut Græcarum oculos Euangelistis configunt, ac Spiritũ sanctum ipsis adimunt, quem sibi non pudet vẽdicare: ac plus auctoritatis hostibus Christi quam Euangelij scriptoribus & assertorib⁹ defferre. Deinde miramur eo progredi huius bestiæ ferociã, vt existimet se acutius videre ac magis sapere, quã omnes qui hactenus vixerunt, Christianos, neq; eos quidã excipio quos duces ad hæresim habet, nemo sanè veterũ, nemo recentiorum, qui alicuius nominis sit, sicut Beza Latinè reddidit, ne quidè Geneuensis editio per Caluinum toties recognita audet à veteri versione recedere.* Hactenus Sanctes, q̃ omnia verba cõtra hãc Ariæ interpretationẽ dicta esse lector interpretetur. Deniq; *Caluinus, Castalio, Buzerus, Musculus, Gualter⁹*, quãuis hæretici, ausi nõ sunt hunc locum ad *corpus sepulchrũq;* referre. solus Pagnin⁹ eũq; imitat⁹ *Leo Iuda* posuerunt: nõ derelinques animã meã in sepulchro, & Vatablus in annotatione exposuit *animam*, id est *cadauer meũ*, si tamen eę annotatiões in septuaginta psalmos Vatabli sunt, & non alicuius hæretici quod potius arbitror. At dices *animam* aliquando

pro *corpore* ſumi,ſit ſane,tametſi Sanctes Epiſcopus eo loco perneget, ſed A non continuò colligas hoc loco *animam* vſurpari *pro corpore:* oportet enim locis ſcripturæ explicãdis patrũ ſententiam & Eccleſię mentem conſulere,quę ab Spiritu ſancto regitur. Contẽdas rurſus vocem *Seol*, pro *ſepulchro* poni propriè,neq; inferos ſignificare,niſi metaphoricos (nã hoc Arias in reſponſione ad Leonẽ affirmauit) non hærebo, tametſi Gene- B brardus Hebraicè doctiſſimus III. de Trinit.nu.XXXVIII. multis Rabbinorum teſtimonijs cõfirmat,vocem *Seol*, ꝓpriè ſignificare infernũ,ac niſi vocis abuſu in ſignificatiõe *ſepulchri* non poni:cæterùm aliud eſt, quid ea vox ſignificare poſſit,aliud quid hoc loco ſignificet.Lucas certè & ſeptuaginta ᾅδην,interpretati ſunt,quæ vox manifeſtè *infernũ* ſignificat. Et vide C quanta ſit peruerſio iudiciorum & contradicendi Eccleſiæ libido, Pſ.9. ver.18.vbi nos legimus: *conuertantur peccatores in infernum*, in Hebræo eſt לשאולה, quam vocẽ *gehennam* ſignificare eo loco *Rabbi D.Kimhi* affirmat,idq; indicare ait,he, littera quæ in fine redundat: nempè ſecundam mortem,verba eius ſubieciſſem, ſed codex ad manũ non erat. *Quid* vero D Vatablus? *infernum* ibi pro *ſepulchro* poni putat, eiuſq; atq; Pagnini iudicium Arias ſecutus poſuit: *Reuertantur impij ad ſepulchrum*, quæ malum, tanta iſta temeritas cõtradicendi vt hoſtibus etiam defendentibus Eccleſiæ lectio & auctoritas conuellatur? Pene pręterierat,interpretem Syriaci Fabricium tomo V. bibliorum Regiorum locum alium ex prima Petri E 3.verſ.19. eadem audacia deprauare, quo tamen nonnulli ad confirmandum Chriſti ad inferos deſcẽſum vti conſueuerunt;& vbi Latinè Græceq; legitur:in *quo & his qui in carcere erãt ſpiritu veniens prædicauit*, quem carcerem volunt eſſe infernum vbi patres detinebantur, illum poſuiſſe, *& prædicauit animabus illis, quæ detinebantur in ſepulchro*, nimirũ voce, *Seol*, quæ in Syriaco eſt, & noſtræ cauſæ mirum in modũ fauebat, Ariæ imitatione in *ſepulchri* ſignificatione explicata, in quo miror hominẽ non conſideraſſe nullas eſſe in *ſepulchro* animas,etſi *animam*,pro *corpore* ſumi voluit, *corpora* mortua non audire ꝑdicantem, & multo ſimplicius verti potuit,& *prædicauit animabus illis quæ detinebantur in inferno*, quam lectionem à Cyrillo quodã in loco Græcè etiã vſurpatũ eſſe memini, ſed nimirum, hi homines ad Bezæ opinionẽ propenſi eſſe videntur,qui in annot. Act.2.vocem, *Seol*, negat vſquam *infernum* ſignificare, qui gradus eſt ad affirmandum nullam de inferno in veteri teſtamẽto mentionem eſſe factam,à qua tamen opinione procul abeſſe Ariam mihi planè perſuadeo. Iam quod in eius verſiculo ſecunda parte poſuit: *nec dabis miſericordẽ tuũ videre foueam*, eodẽ pertinet, tametſi in reſponſione ad Leonem excuſare conatus ſit *foueam* ſe pro corruptiõe vſurpaſſe,quod non eſt conſentaneũ nam vox, שחת, & *foueam* ſignificat, & *interitum*, nec erat quod *foueam diceret, ſi interitum volebat intelligi*, & Leo Iudæ,vnde ipſe eam interpretationem deſumpſit, *foueam* pro *ſepulchro* poſuit,vt Vatabli annotatio explicat.neque eo loco tantùm, ſed etiam Geneſ.44.vbi Arias dixit: *Deſcẽdere facietis caniciem meam cum malo ad ſepulchrum*, Leo Iudæ, *cum malo in foueam*. Non erat ergo quod Arias comminiſceretur foueam pro corruptione capi, ſed nimirũ totum locũ voluit ad *ſepulchrum* referre, in quo Chriſti corpus diu manſurum fore negatur. Quanto ſimplicius & verius Damaſcenus libr.III. de fide Orthodoxa cap.XXVIII. quoniam ſeptuaginta poſuerunt, *οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοραν*, ait, *φθοραν*, mortem quidem ſignificare quã Chriſtus expertus eſt, *διαφθοράν*, id eſt, *ſecũdum corruptionem*, Chriſtum nõ ſenſiſſe cũ corpus eius nõ fuerit in ſaniem cinereq; redactum, quod tametſi non vſquequaque ſeruari videam, nam Pſal.29.

verſ.

ver.10. vbi de Christo dicitur, quæ *vtilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem* dictio διαφθορά, legitur etiam, tamen satis ostenditur longè aliter quàm ab Aria eum locum fuisse à Damasceno intellectum. Augustinus sic totum locum explicat: *Quoniam neque animam meam inferis possidendam dabis, neque sanctificatum corpus, per quod ita hi sanctificandi sunt corrumpi patieris.* Hieronym⁹, *nō derelinques, quia propterea illuc descendit, vt electos suos inde eÿceret, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, non de corruptione*, corporis Christi in sepulchro dicit, sed de cæterorum sanctorum. Vides certè hunc locum non totum de corpore, neq; de sepultura totum olim à patribus intellectum atq; explicatum fuisse. Censeo ergo hos locos castigandos omnes esse in versione Psalmorum in Idiotismis, & 1. Pet. 3. ac ne parcēdum quidem Vatablo & Pagnino. De Ps. 15. satis multa dicta sunt, ad 44. transeamus, cuius ver. 8. *Dilexisti iustitiā, & odisti iniquitatē, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ*: quē & Paulus adduxit eoq; est ad Christi diuinitatem confirmādam ad Hebr. 1. vsus: maiores nostri veteris Ecclesię lumina in Deo duas esse hypostases, & patrē qui vngit, distinctū esse à filio qui vngitur, frequentes cōfirmarūt. Ambros. de fide lib. I. c. II. habes, inquit, in Ps. 44. Deum Patrē & Deum Filium declaratū, ait enim: *Vnxit te Deus Deus tuus, Deus est qui vnxit, & Deus qui secundum carnē vngitur Dei Filius.* Hilarius lib. IV. de Trinitate eodē loco ꝓducto, multa in eandē sentētiā & li. 11. *Vngitur*, inquit, *Deus à Deo suo præ consortib. suis secundū humanitatē*, atq; his consentanea Orig. cōtra Celsum lib. 1. Athanas. de vnito nomine sanctissimæ Trinitatis, & oratiōe II. contra Arrianos Irinæus lib. 3. cap. 6. tū Augustinus contra Maximinū Arrianum lib. I. & lib. III. Addit Hieronymus epistola ad Principiam virginē Aquilam, vocem Hebræam, Elohim vocandi casu, thee, Græcè reddidisse, seq; eius imitatione distinctiōis gratia posuisse, *dee*, nimirū, vt verba quę præcesserant interpretaretur, *Thron⁹ tuus Deus in sæculum sæculi.* Hieronymi verba adscribimus. *Duas personas eius qui vnctus est Dei, & qui vnxit intellige. Vnde & Aquila Elohim verbum Hebraicum non nominatiuo casu sed vocatiuo interpretatur dicens,* θεέ, *& nos propter intelligētiā, Dee, posuimus, ꝙ Latina lingua non recipit: ne quis peruersè putet, Deum dilecti & amantissimi et regis bis patrem nominari.* Adhæc Isidorus lib. I. contra Iudæos ca. III. eodem versu producto adiungit: *quis est igitur iste Deus vnctus à Deo? respondeant nobis Iudæi. Ecce Deus vnctus à Deo dicitur, & vtiq; Christus ipsa vnctione monstratur cum Deus vnctus insinuatur, dum enim audis Deum vnctum, intellige Christum: Christus enim à chrismate, id est, ab vnctione vocatur.* Quæ eo pluribus verbis explicata sunt, vt intelligatur quam imprudenter Pagninus (neque enim malo animo quidquam fecisse puto) huius argumenti vires debilitarit, cū in sua versione dixit: *Propterea vnxit te Dominus Deus tuus oleo lætitia*, quod enim vestigium duarum personarum ea interpretatiōe suscepta relinquatur, cum vtraq; vox *Dominus Deus* in nominādi casu ponatur, & ad Deū vngentem referri tantùm possit? & potuit considerare eandem vocem *Elohim* in Hebraico geminari, vt in latina lingua eandem geminationem eius vocis latinè exprimeret, nam quibus locis *Dominus Deus* latinè ponitur in nostra editione vulgata, non vnum Dei nomen geminatum, sed duo in Hebraico respondent. Excuset aliquis Pagninum, quod eo psalmo, & in Paulo Græcè legatur ἔχρισέ σε ὁ θεὸς ὁ θεός σου, vtrobique nominandi casu non vocandi. Verùm psalmi Hebraicè sunt scripti, & epistola ad Hebræos. Græcus eius epistolæ interpres locum posuit, vt in psalmis Græcè expositum inuenit, neque volebamus vt cum Hieronymo priori loco

pone-

poneret Dee, aut cum Aquila Græcè, θεέ, tantùm quando Hebraica vertebat, eandem Dei vocem, vt est in Hebraico geminaret dicens, Deus Deus tuus, quod æquum profectò erat & consentaneum. Quod si quis vocem Deus priori loco positam accipere vellet in nominandi casu certè ex ipsa geminatione vocis cõuinceretur duas personas nominari Patris & Filij qui Christum vt hominē vnxerint. Denique frequenter in diuinis libris Græcè nominatiuus pro vocatiuo sumitur. *Deus Deus meus quare me dereliquisti*, & *Deus Deus meus respice in me*. His & alijs locis Græcè nominatiuus est, sed vocatiui vim habens. Quod ipsum eo loco Psalmi 44. dicere quid vetat? Multa alia notari poterant, & certè breuiter quędā alia horum interpretum peccata attingenda potius sunt quam explicanda. Psal.21. vbi nos legimus: *Foderunt manꝰ meas & pedes meos*, vers.17. quod nemo antiquorum interpretum ne recentium quidem immutare ausus est, & constat Hebraica esse corrupta, vti superius dictum est, & pro, *Caari*, legendum, *Caru*, vnus Arias ausus est reddere: sicut Leo manus meas & pedes meos, in eo à Pagnino discedens cuius etiam interpretationem: *foderunt manus meas*, reiecit ad marginem, ipsamque Hebraicam vocem aliter posuit, quam restituta erat in biblijs Complutensibus, neque punctis ijsdem in tertio & septimo tomo Regiorum bibliorum nonnullo inconstantiæ argumento. Tum Psalm. 109. *Tu es sacerdos in æternum, secundū ordinē Melchisedech*. vers.4. Arias dixit: *secundum verbum meum Melchisedech*; cum Paulus ad Heb.5. vers.10. de Christo citauerit ad probandum aliam sacerdotij rationem in nouo *testamēto* fore diuersam à veteri, quod si verbis inhærere voluit, debuit in mentem venire vocē *dibrath* ipsummet in dictionario posuisse in significatione consuetudinis, & moris, & Pagninus reddidit: *Secundum morem Melchisedech*, quo minus oportebat veterem lectionem tātopere immu-

A tare, vt alia sentētia redderetur. Præ-
tereà Prouerb.30. vers.19. vbi nos legimus: *Viam viri in adolescentia*, & commodius septuaginta interpretes & Chaldæus dixerant: *viam viri in virgine*, quod Pagninus fuerat secutus, Arias substituit: *viam viri in puella*, nimirum non considerauit (neque enim occurrunt omnia) in Hebraico esse dictionem, *Halma*, qua v-
B sus est Isaias 7. ca. dum dixit. *Ecce virgo concipiet*: & qua nos ad probādam beatæ Marię virginitatem contendimus aduersus Iudæos, non puellam promiscuè significari, sed absconditam, & ab oculis hominum subductam certè virginem. Molestum omnia, neque nobis id erat propositum, sed exēplis aliquot illustrare sæpè interpretes recentiores peccasse, eos et-
C iam qui maiori modestia maiorique laude diuinos libros interpretati sunt. Mitto illud Genes.19. vers.24. *Pluit Dominus à Domino ignem & sulphur*: quo loco duas personas Trinitatis ea geminatione vocis exprimi veteres censuerunt; noui interpretes Deum è cælo aut à seipso pluisse ea loquendi forma explicari tantū contēdunt Vatabli anno, Arias in Idio-
D tismis. Mitto & Ierem.11. vers.19. quo loco Ecclesia legit: *Mittamus lignum in panem eius*, & veteres Christi crucem ijs verbis exprimi contendunt, noui interpretes eludūt mysterium, de Hieremia dictum putantes, ac verba sic Hebraica reddentes Latinè, Pagninus *Corrumpamus veneno cibum eius*, Arias, *corrumpamus li-
E gnum in pane eius*. Vatablus, *ligno cibum eius*, de taxo intelligentes arbore venenata, qua ij homines Hieremiam perimere satagebant. Cum verbum, שחת, potuissent eo loco tueri, non in corrumpendi significatione sumi sed mittendi, non auctoritate tantùm septuaginta interpretum, Hieronymi, & Chaldæi paraphrastis, nō alia significatione id verbum exprimētium, sed etiam Rabbi, Dauid, Kimhi dicētis cōmentarijs in

eum

eum locum נשחיתה במקום נשימה, hoc est *corrumpamus, proponamus*, quo A modo Iustinus contra Triphonem dixit: *Venite ponamus lignum in panem eius.*

CAP. XXVII.

De Rabbinorum libris.

NON minori quam superiori animorum motu, neque minori sententiarum varietate disceptatur, disceptatumque est in Hispania superioribus annis de libris Rabbinorum, ac præsertim de eorum commentarijs, quibus diuinos libros Hebraicè explicarunt. Plerique contaminari se atque scelere astringi putant, si eos aut legant patienter aut audiant, religiosi nimium inhærentes persuasioni vulgari, hostes esse nominis Christiani, lethale venenum in ijs libris contineri, vtilitatis parum, graue periculum ex ea lectione incautis hominibus imminere, neque minus esse fugiendos quam hæreticorum libros peruersis de religione opinionibus atque ineptis explicationibus diuinarum scripturarum non minus fœdos, quod ex vsu familiari confirmant, arrogantes euadere quicunq; in his libris versantur, Iudaicis rebus & placitis plus æquo fauere, cōtemnere nostra, maiorum dicta conuellere, quasi aniles fabulas præsertim cum sacros libros tractant, accusantes, ad allegorias eos cōfugere historię exigua cura: cum mysticæ significationes inhęrere litterę debeant atque ei cōsentaneæ esse. Alij quorum maior eruditio est, & linguarum cognitio maior Hebraicę atque Græcę, contra tendunt negantes eorum librorū lectione arcendos esse Theologos, vnde magna commoda veniunt, periculi parum aut nihil, quorū rationem copiosius explicare volo, quo facilius res difficilis & obscura intelligatur, & simulatæ veritatis præstigiæ detegantur. Si quis ad legendum expers veri atque ignarus accesserit, ab hoc humanitatis iure impetrare cupimus, vt vniuersa diligenter cognoscat neq; incognita causa damnet. Sanè quæ decretis maiorum, eorum certè quorum interest sancita sunt, ea hac disputatione mouere nō erat animus: sed explicare tantùm ac confirmare ineptè facere, & contra omnia vetustatis exempla quicunque eorum librorum lectione promiscuè, atque in vniuersum Theologos arcendos arbitratur. Ac primū satis cōstat Hebraicę linguæ cognitionem in primis vtilē esse Theologis, rationibus nostris salutarē, quippe in ea multo maxima sacrorum librorū pars hominibus tradita est, atque ex ea quasi ex fonte certa explicatio petēda est versionum quæ inde manarunt. Sic Clementina de magistris c. I. sancitum est, vt in omnibus scholis publicis professores eius linguæ constituantur, vectigali de publico designato; quod in plerisque videmus ab eo initio susceptum magna diligentia seruari, in nonnullis etiam addita collegia magna ex parte ad alēdos de publico iuuenes, qui in eius linguæ cognitionem diligenter incumbant alia cura soluti. Constat etiam linguā Hebraicam ex veteri testamēti libris vt doceatur necesse esse, in quibus tātùm pura synceraque conseruatur; nec in eos libros alia commentaria Hebraica extare pręter ea, q̃ à Rabbinis sunt conscripta, quibus non modo sententia librorum sacrorum explicatur, sed plerumque etiam ratio grammaticæ. Quod si addiscēda lingua Græca, commentaria in Homerum, Hesiodum, Pindarum aliosque id genus scriptores quæ Græcè circūferuntur, necessaria sunt, magnumq; detrimentum studio linguæ Latinæ afferret, qui commentaria in Virgilium, Horatium, aliosque scriptores classicos de medio tolleret: nō secus arbitror magno incommodo fore, si Rabbinorum scripta promiscuè omnibus, præsertim Hebraicæ linguæ profes-

professoribus, atque viris doctis auferantur, neq; magno vsui erit eam A linguam leuiter attingere, ac nō potius cognitam planè & explicatam habere: neque id Ecclesiæ est propositum, exigui enim fructus perciperentur, neque satis magnum operepretium esset. Porrò ex dictionarijs absoluta alicui⁹ linguæ cognitio nō contingat, nisi aliorum librorū multa & assidua lectio accesserit diligēsque obseruatio; id primum argumē- B tum est. Alterum ex numero desumitur eorum, qui eos libros versare possunt exiguo sanè præsertim in Hispania: in qua prouincia vix triginta inueniantur, quibus Rabbinorum libri vsui esse possint, quæ res non paucos impulit vt cogitarent nulla noua lege opus fore eos libros prohibere exiguo periculo, nō leui ex ijs reipublicæ litterariæ vtilitate, cum sit C cōmodum in primis existere in republica quibus reconditæ artes librique noti sint, certè refellendi studio, si quæ placita aliena à religione atq; veritate inuecta à perniciosis hominibus atque incautis mentibus instillata fuerint, quo studio vel ipsas artes magicas nosse velle, vt confutentur & reprobentur licitum est, vt docet S. Thomas quodlib. IV. art. XVI. D &Hieronym⁹ in Daniel. I. in illa verba: *Proposuit autem Daniel in corde suo ne pollueretur de mensa regis*, de mensa, inquit, *regis & de vino potus eius nō vult comedere ne polluatur*, vtiq; si sciret ipsam sapiētiam atq; doctrinam Babyloniorum esse peccatum, nunquam acquiesceret discere quod nō licebat. Discunt autem non vt sequā- E tur, sed vt iudicent atq; conuincant, quo modo si quispiam aduersus Mathematicos velit scribere, imperitus μαθήματος, risui pateat, & aduersum philosophos disputans, si ignoret dogmata philosophorum, discūt ergo ea mente doctrinam Chaldæorum, qua & Moyses omnem sapientiam AEgyptiorum didicerat. Et alioqui quomodo eius exemplo AEgyptios spoliabim⁹ auro, argēto, & veste pretiosa, nisi eorum thesauris cōtrectatis? quod si in Hispania de qua potissimum suscipitur disputatio (nam in alijs nationib⁹ nulla disceptatio est) pauci modo inueniuntur, qui in eorum librorum lectione versati sint, prouidendum ne his nouis difficultatibus iuuenes terreantur, nolintq; dare operam ei studio atque linguæ, quam noua inuidia flagrare vident, ac indies minor numerus existat paucique aggrediātur eam linguam addiscere, cuius libros præter sacros noua infamia notari vident, maiori rei litterariæ detrimento quam vt facilè intelligi aut explicari possit. Neq; sumus Hispani tantopere id genus studijs addicti, vt fræno & non potius calcaribus egeamus. Omninò deberent potius iuuenes arte incitari ad ea studia, vt linguarum ornamētum in Hispania reciperetur, quibus nonnunquam rempublicam indigere videmus, neque scio an quod ornamēto est cæteris nationibus, nostræ impedire aliqua ratione aut auferre cōueniat his nouis difficultatibus. Deindè antiquorum patrum exemplū accedat, qui in Rabbinorum libris pro se quisque suaque ætate versati sunt, *Hieronymus, Epiphanius, Origenes*, alijque primis illis temporibus cum laude fructuque de qua re præstat Hieronymum audire lib. I. contra Ruffinum accusantem, quod viros Hebræos suos magistros Hieronymus nominaret, excusat enim Hebraicam linguam non ab alijs discere debuisse, idemque fecisse antiquiores patres. Verùm verba ipsa Hieronymi præstabit subijcere. *Ipse Origenes*, inquit, *& Clemens, & Eusebius, atque alij complures, quando de scripturis aliqua disputant & volunt approbare quod dicunt, sic solent scribere, referebat mihi Hebræus, & audiui ab Hebræo, & Hebræorum ista sententia est. Certè etiam Origenes patriarcham Hullum, qui temporibus eius fuit, nominat, & trigesimum tomum in Isaiam in cuius fine edisserit. Væ tibi ciuitas Ariel quam expugnauit Dauid, illius expositi-*

one concludit, & cum aliter prius sensisse se dicat doctum ab illo, id quod est verius confitetur. *Octogesimum quoque nonum psalmum qui inscribitur oratio Moysi hominis Dei, & reliquos vndecim qui non habent titulos secundum Huilli expositionem eiusdem Moysi putat, neque dedignatur Hebræam scripturam interpretans per singula loca, quid Hebrais videatur inserere.* Hactenus Hieronymus. Neque solum primis temporibus patres cũ laude in Hebræorum libris versati sunt, quibus diuinos ipsi libros explicabant, sed posteriori etiam sine reprehensione atque periculo. S. Thomas legit, vti ex eius scriptis perspicitur, librum More Rabbi Mosis AEgyptij docti inprimis inter Iudæos cum in Latinam linguam transfusus ea ætate esset, quemadmodum nostra. *Nicolaus Lira* eruditis commentarijs in sacros libros passim Rabbinorum dicta sententiasque profert, atque eis vtitur, quod ipsum Abulensis facit, & vt multa vno exemplo comprehendamus annotationes in vetus testamentum, quæ Vatabli nomine circumferuntur, quamuis sæpè ac magna diligentia castigatæ plura ipsæ ex libris Rabbinorum producunt atque explicant, quam multi viri docti ex ijs libris exsculperent, quod ea lingua recondita sit & paucissimis nota. Neque mouere debet, quod respondent nonnulli posse studiosos conatus suos iuuare ex ijs quæ latinè sunt reddita sumpta ex Hebræorum libris, idem enim de Græca lingua sentire liceret, magnique refert ex fontib⁹ potius haurire quam ex riuis inde deductis, quibus eius rei facultas erit exiguo semper numero. Neque dubium est, qui in ea sunt sententia, atque ita loquuntur ea facultate carere, ac suspicari libet contemnere eos quæ non assequuntur vitio naturæ humanæ, terroresque ostentare vbi nullum est periculum, certè in Hispania quidam vsque adeo sunt infensi litterarum humaniorum studijs atque linguarum, vt quod de Hebraica dicunt idem dicerent de Græca atque Latina paulò elegantiori nisi multitudinis iudicium formidarent, quorum conatus sequi profectò non debemus neque fauere vocibus. Præterea nullum hactenus incommodum vidimus, nulli perniciem ex ijs libris comparatam, contra magna commoda ad diuinos libros explicandos prouenire, vt minus necesse sit tam seueros iudices in eos libros esse, vt de omnium manibus extorqueamus nullo delectu docti ineruditiue, multi quotidie de religione postulantur & grauissimis supplicijs subijciuntur, neminem meminimus eorum librorum lectione contaminatum ad Iudaicas superstitiones transijsse, quæ res multos permouit, vt nulla noua lege opus esse iudicarent, sicut enim morbos ante necesse est existere, quam remedia eorum, sic peccata prius nata sunt, quam leges quæ ijs mederentur. *Quid leges de adulterijs, de maiestate*, nisi vitæ impuritas & contemptus magistratuum ac reipublicæ concitauit? quid *repetundarum leges*, nisi corrupti iudices data potestate ad perniciem abutentium: quid alia? an parum est exploratum ex vitiorum eas fœditate natas: præclarè nobiscum ageretur si legibus cauerentur peccata potius quam punirentur, quo nomine Persarum leges laudantur, sed neque quid cauendum sit, nisi ex alieno periculo perspicimus casuque, & optimæ illæ leges sunt quæ ex communi vsu atque experimento nascuntur. Scimus autem Hebræorum libros passim fuisse ꝑpositos in publicis scholarum & priuatis monasteriorum bibliothecis in omnibus nationibus apud viros etiam cautos qui suos aliorum librorum suspectorum lectione diligenter arcerent, scimus sæpè à Pontificibus Romanis, tum antiquis temporibus, tum memoria recenti de Iudæorum libris leges latas à Gregorio IX. Innocentio IV.

Benedicto XIII. schismatis tempore: præterea à Iulio III. anno 1553. & à Paulo IV. anno 1559. nulla lege inuenias eos libros de quibus agitur fuisse reprobatos, quod eò dicimus, vt si qua lex de ijs libris feratur aut lata sit, ea moderatè vtantur quorum interest, & constat homines antiquis stare malle quam nouis, nisi quæ vsus manifestè arguit. Et omnium prouinciarum colorem vnum esse, eosdemque mores verum est in ijs præsertim, quæ ad religionem spectant, quæ omnium communis est, neque pro locis & nationibus varia. Nam commoda quę ex ijs libris proueniunt leuia profectò non sunt, linguæ Hebraicæ phrases vnde nisi ex Rabbinorum libris? num ex dictionarijs? at qui ex dictionario sapit, parum in linguis omnibus sapit, neque omnia possunt lexicis comprehendi, & frequenti potius variorum librorum lectione, linguarum peritia comparatur; vocum Hebraicarum reconditas significationes ex Rabbinorum libris eruimus, quæ passim nostræ causæ fauent. Ritus Iudaicos & mores quorum magna pars in veteris testamenti libris comprehēditur, vnde commodius quam ex ea gente haurias, atque eorum libris? quemadmodum Græcorum ex Græcis auctoribus eruimus, Romanorum ex Romanis. Quid de *mensuris & ponderibus & numismatis Hebræorum commemorem?* quarum rerum inscitia passim laboramus. Scimus in veteribus patrum libris id genus quædam tradi sed pauca & obscurè, nempè confirmanda religione magis quam id genus rebus explicandis districti erant. Multis exemplis cum liceat rem hanc explicare, vnum & alterum proferam, non vno loco de *Mammona iniquitatis* mentio fit, & vt de eo amicos faciamus præcipit Christus, Lucæ 16. vers. 19. multi in ea voce explicanda laborant, & multa comminiscuntur explicando cur *mammona iniquitatis* dicatur, cùm simplicissimè mammona iniquitatis significet *dona quibus iudices corrumpuntur*, quod ex pluribus locis Chaldaicæ paraphrasis obseruauimus 1. Regum 12. vers. 3. si de *manu cuiusquam munus accepi* Chaldaicè קבלית ממון דשקרי, id est, *accepi mamon iniquitatis*, quasi pauperes debeamus, quorum est regnum cælorum, donis allicere & quasi corrumpere, vt delictis nobis eorum in gratiam condonatis, nos in suorum numero recipiant. Præterea Matth. 5. capit. vers. 22. *Qui irascitur*, inquit Christus, *fratri suo, reus erit iudicio, qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit consilio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis*, passim expositores ijs verbis explicandis discruciantur, cum constet tria tribunalia notari, vbi exercebantur iudicia Hierosolymis constituta, quorum posterius priori seuerius erat, atque illis nominibus iudicij, concilij & gehennæ ignis vulgò vocabantur, quod nisi ex Rabbinorum libris eruere qui possis? Tertium exemplum accedat, Iob capit. vltimo vers. 11. *Venerunt ad Iob fratres post valetudinem & sanitatem restitutam, & dederunt ei vnusquisque ouem vnam, & in aurem auream vnam.* In tanta pecorum copia leue munus videatur ouis vna, neque desūnt qui existimant vocem Hebraicam, *Chesita*, non *ouem* tantùm significare, sed etiam monetæ genus (nimirum aureæ neque exigui ponderis) sic dictæ quod ouis forma expressa esset, quod antiquissimis Romanis in vsu fuit, & in antiquissimis monetis ouis figuram videmus expressam, vnde & *pecuniam* dictam fuisse viri eruditione præstantes notarunt. Ergo fratres Iob pro se quisque ouem illi obtulerunt, id est, (si hoc recipitur) *monetam, quæ ouis nomine vocabatur.* Postremò illud adiungam paraphrasim Chaldaicam, quæ ab Hebręis vulgò *Thargum* nominatur, esse à Rabbinis confectam, qua diuini libri explicantur Iudaicis superstitionibus & prauis interpretationibus Hebræ-

orum non minus fœdam quam reliqui Rabbinorum libri, quæ tamen passim circumfertur, non tantùm Chaldaica lingua, sed etiam Latina quæ omnibus communis est, pars in biblijs Complutensibus & vniuersa in biblijs Regijs, quæ superioribus annis in lucem prodierunt. Neque eius lectione prohibere integrum sit, quod Clementina de magistris, *Linguam Chaldaicam in publicis scholis explicari mandatur*, quod non contingat nisi ex Chaldaica paraphrasi. Quod si lex esse debet vniformis & secum ipsa consentire, neque hunc librum Rabbinorum quo diuini explicantur reprobare fas est, neq; incommodum iudicatur in lingua Latina circũferri, certè aliorum librorũ eius generis copia fieri debet saltim viris doctis, in quibus pauciores superstitiones sunt, paucique eò eruditionis prouecti, vt eos intelligere atque in illis versari possint. Quod si Iudæorum libris opponas inueniri quædam religioni nostræ contraria, ritus, cæremonias, placita: multo plura in Græcis libris atque Latinis, quæ linguæ minus reconditæ sunt, minusque à communi vsu remotæ dicam extare, passimque legi: quæ si tolerantur ob earum linguarum vtilitatem iure petere videamur, vt idem Hebraicis libris concedatur. Quod si conuitia in religionem nostram iactantur, raro id contingit, idemque in Græcorum & Latinorum libris inuenitur, vt religio nostra accusetur. Cornelius Tacitus lib. XV. sic ait: *Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos & exquisitissimis pœnis affecit, quos per flagitia inuisos vulgus Christianos appellabat, auctor nominis eius Christus, qui Tiberio impertiante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat, repressaque in præsens exitiabilis superstitio rursus erumpebat*, &c. Quibus similia Suetonius in vita Neronis cap. XVI. *Afflicti*, inquit, *supplicijs, Christiani genus hominum superstitionis nouæ ac maleficæ.* Quid Lucianum proferam in nonnullis dialogis, qua cætera libertate ridentem nostra? Zozimum *Constantinum* insectantem calumnia quasi nostra sacra syncero animo haudquaquam susceperit? quid Iustinũ lib. XXXVI. de *Moyse* fabulosa aniliaque commemorantem? quid alia multa quæ in libris alijs reperiuntur, neque ea causa reprobati vnquam sunt aut castigati, nimirum maioris vtilitatis respectu: quod si in Iudæorum libris loci nonnulli ex diuinis litteris explicantur aliter quam ab Ecclesia accipiuntur, ex aliorum Rabbinorum libris refellimus, quo in genere Porchetus & Galatinus cum laude Iudæos exagitarunt, neque est dubium his libris de quibus agitur sublatis magno adiumento ac præsidio viros doctos expoliari ad Iudæos reuincendos, non aliter diuinos accipientes quam ab eorum maioribus explicantur, vt necesse sit ex eorum libris illos conuincere, quod si in Hispania Iudæi non viuunt, diuino beneficio tribuatur, neque semper res in eodem statu manent, virique docti ex Hispania prodeuntes his studijs ac libris indigere poterunt, quæ nisi in idonea ætate suscipiantur, frustra confirmata labores. Reliquæ obiectiones quæ ab aduersarijs afferuntur ad duo reducuntur capita, primum qui in Rabbinorum libris versantur, in diuinorum librorum explicatione humi repere, quæ de Christo accipienda sunt ad reges aut priuatos homines traduci: secundum, id genus hominum patrum antiquorum dicta atque expositiones, flocci facere. Non negabimus quod verum est, Iudæos longè aliter quam debeant sacros libros explicare *verbis inhærentes modo*, quod Sozomenus libr. V. historiæ cap. XXII. πρὸς ῥητὸν μόνον Græcè dicit respicere Iudæos, Christianos sententiæ potius inhærere atque altiores significationes perscrutari, atque πρὸς θεωρίαν conuertere, vti idem Sazomenus ait, contingit autem sæpè vt librorum, in quibus frequenter

versa-

versamur, colorem assumamus, atque illis plus aliquando quam sit opus tribuamus. Verùm id vitium hominum potius est quam librorum & qualecumque periculum maioribus commodis compensatur. Omnino *Sanctes Pagninus* ex ordine Dominicano vir doctus in primis Hebraicè Græceque, non modo in libris sanctorum patrum fuit versatus, quod eius scripta indicant, sed etiam mysticas significationes, si quis alius, secutus est opere dicato quod *Isagogem in diuinas litteras nuncupauit*. Idem de Genebrardo Hebraicarum litterarum professore regio dici potest Parisijs ex diui Benedicti ordine, inprimis esse versatum in antiquorum patrum libris, idem dici potest de multis alijs, quos breuitatis studio prætermittimus. Porrò in diuinis litteris sensum historicum inuestigare quasi fundamentum aliarum interpretationum non modo reprehensione vacat, verum etiam magnas vtilitates habet, ad quam rem quibusdam scopulis vitatis quibus Iudæi ad nostram religionem infirmandam diuinas litteras inuertunt, magnum in modum Rabbinorum libri conducunt, argumento sunt Vatabli annotationes in vetus testamentum, hac de causa ab omnibus magno plausu acceptæ, tametsi Roberti Stephani qui eas euulgauit singulari perfidia non paucis locis contaminatæ sunt, quod affirmat Genebrardus epistola nuncupatoria in opera Origenis his verbis. *Nec opus est commemorare Vatableam, quæ circumfertur, interpretationem, nam aut illa Vatabli non est, viri vti accepimus (neque enim per ætatem vnquam mihi hominem videre concessum est) doctissimi, & quod multo pluris faciendum est Christianissimi, qui longè abhorreret à sectariorum tunc incipientium emergere disciplina, institutis, opinionibus, sed quorundam discipulorum ipsius qui prauè dormitando à Doctore accepta peius accipiebant, typisque mandabant, vel nomen sui doctoris prætexentes, interim suas nouitates nouarum rerum cupidis specie Dei verbi instillabant.* Hæc Genebrardus pluraque alia in eandem sententiam, quibus Vatabli annotationes ab eius discipulis fuisse deprauatas nefarijs hominibus declarat, Robertumque Stephanum falsi crimine ab eo postulatum fuga sibi ad hæreticos cōsuluisse, quorum placitis iam antea fuerat contaminatus. [redacted]

[redacted] Neque exigui momenti haberi debet linguæ vnius, qualis est Hebræa, præsidio magna ex parte viros doctos expoliare, & periculum est ne ab hoc aditu ad reijciendum libros Græcos procedatur, nec enim argumenta malè sentientibus deesse possunt: dicent enim quæ in Latina lingua sunt viris doctis præsertim in tanta librorum copia, sufficere, cætera superuacanea esse, atque quoniam in Græcorum patrum libris nonnulli errores inueniuntur contendent reprobandos videri, certè castigandos, quod scimus à quibusdam fuisse tentatum, quorum sententiæ fauere non debemus, nimirum alienæ atque præposteræ, neque eorum sequi iudicium. Ego quidem huius disputationis laborem subterfugere nolui, ac verò eam libenter suscepi extremo hoc opere, [redacted].

Sed cum falli ipse possim vt humanus, omnia quæ in hac disputatione posita sunt Catholicæ Ecclesiæ, atque adeò cuiusuis viri docti melius sentientis censuræ subiecta esse volo optoque.

(?)



IOAN. MARIANAE.

DE SPECTACVLIS

LIBER SINGVLARIS.

Index Capitum.

CAP. PRIMVM.

Cur disputatio de spectaculis suscipiatur.



VETEREM ludorum insaniam noua disputatione de spectaculis compescere pro virili parte cogitanti mihi sæpenumerò in mentem venit admirari, tantoperè mores nostros ab antiquis degenerasse, vt quæ maiores nostri pari & consona voce vituperàrunt, quasi religionis Christianæ ludibriũ ac dedecus, passim nostra ætate vsurpari videamus, quasi pietati consona, neque ab honestatis studijs aliena, tantum deflexa in peius sensim cõsuetudo potest, quod refutare certè debemus, auctoritate & argumentis confirmare, theatri licentiam, de qua potissimum laboramus, nil esse aliud quàm officinã impudicitiæ atque improbitatis, vbi omnis ætatis, sexus, & conditionis homines deprauantur, simulatisque & ludicris actionibus ad vitia vera informantur. Admonentur enim quid facere possint, & inflammantur libidine, quę aspectu maximè & auribus cõcitatur: puellæ inprimis & iuuenes, quos intempestiuis voluptatibus infici graue est, atque reipublicæ Christianę inprimis exitiale. Quid enim continet scena, nisi virginum stupra, & amores prostituti pudoris fœminarũ, lenonum artes atque lenarum, ancillarum & seruorum fraudes versibus numerosis & ornatis explicata, sententiarũ luminibus distincta, eoq; tenacius memoriæ adhærẽtia, quarum rerũ ignoratio multo cõmodior est. Histrionũ impudici motus & gestus, fractæq; in fœminarũ modũ voces, quib. impudicas mulieres imitantur & exprimunt, quid aliud nisi ad libidinem inflãmant homines per se & ad vitia satis procliues? An maior vlla corruptela morũ excogitari possit? quæ .n. in scena per imaginẽ agũtur, A peracta fabula cum risu cõmemorãtur, sine pudore deinde fiũt, voluptatis cupiditate animum titillante, qui sunt veluti gradus ad suscipiendã prauitatẽ facili à iocis ad seria transitu, interuallo nõ maximo. Rectè enim atq; sapiẽter Salomon Prou. 10. vers. 23. quasi per risum inquit, *stultus operatur scelus*. Turpia .n. atque inhonesta factu dictuq;, dum ridem⁹ approbamus, suoq; pondere prauitas identidẽ in peius trahit. B Porrò cùm pietas Christiana exigat, vt ad sceleris mentionem, quo diuinæ legis violãtur, & in laqueos mortis incurritur, exhorrescat corpus & animus; qua fronte stupris ac turpitudine cõmemorata oblectabimur ipsi, & alios publicè oblectari sinemus? Apage tãtum dedecus, facessat tã grauis ignominia nominis Christiani & gentis, quæ cum C alijs gẽtibus cõparata, vt inter noctis tenebras cælestia lumina micare debet, morũ sanctitate & totius vitæ cãdore. Quid certè nationes aliæ faciãt & dicant, in quib. non paucæ hãc turpitudinem constanter repudiàrunt? atq; ita magno vt se scelere astringi, periculo rempubl. implicari putarẽt, si ea spectacula ludosq; patienter audirent aut spectarent. D Hoc ergò contendimus, vt doceamus morib. Christianis certissimã pestẽ afferre theatri licentiã, nomini Christiano grauissimam ignominiã. Atque vtinam par oratio suscepto argumẽto contingeret, vt quantum veritas valet, tãtum se nostra diligentia exereret. Neq; de successu desperandum est hac qualicunq; eruditionis facultate, tametsi E nostris conatibus gemina præterea difficultas opponitur quasi moles q̃dam, peccantiũ multitudo, auctoritas eorũ qui errori patrocinantur: & est excusatio furoris multitudo insanorum hoc quoq; nomine praua nostra natura, q̃ vitijs suis & cupiditatib. fauet clauditq; oculos, ne suã fęditatem videat, ingerentemq; se mẽti diuinã claritatem, neque facilè auelli se sinit ab ijs, quæ cũ voluptate suscipiuntur; cuius sum⁹ natura cupidissi-

mi, præ-

mi, præsertim specie vtilitatis obiecta aut honestatis, quæ maior calamitas est. Si quis vanitati resistat, ei vehementer irascitur populi multitudo. *Ille sit publicus inimicus.* Augustinus ait lib. II. de ciuit. Dei cap. XX. *cui hæc fœlicitas displicet. Quisquis eam auferre vel mutare tentauerit, eum libera multitudo auertat ab auribus, euertat à sedibus, auferat à viuentibus. Illi habeantur dij veri, qui hanc adipiscendam populis procurauerunt, ademptamq́; seruauerunt.* Excæcat nimirum praua consuetudo animos, & quod passim fieri videmus defendere conantur quidam licentiæ patroni, magni scilicet Theologi, quasi iuri & equitati consonum, otio & litteris abutentes, quos redarguere facilè erit testimonio & auctoritate veterum Theologorum in hac re non discrepantium: à quibus discedere velle nostræ ætatis Theologos non putamus, has omnes simulatæ veritatis præstigias retegere certum est, multitudinem à furore retinere difficilius erit, nisi publica accesserit auctoritas, quorum interest magistratuum. Efficiemus certè vt ad theatra deinceps, quibus obscena argumenta tractantur, non secus concurratur, atq; ad ganeas, ad furta, ad cędes, ad lupanaria, qui suscepti laboris fructus erit multo maximus. Erunt enim qui prauitate cognita desinant peccare, salutemque suam turpi voluptate potiorem habeant, neq; prudẽtes & scientes in mortem ferantur furẽtes, rapidi, miserabiles.

CAP. II.

Varia spectaculorum genera.

SVscepto igitur officio coërcendi ludorum petulantiam: commodum duxi initio quid *spectaculum* sit, & quàm varia spectaculorum genera olim essent, summatim explicare. *Spectaculum est ludus voluptatis causa publicè susceptus.* Nam etsi ludi quidã ad virtutem ostentandam aut exercendam instituuntur, nimirũ quibus de virium præstantia certamen est, aut etiã quæstus gratia suscipiuntur, in ijs etiã voluptas populi quæritur. Ludos autem à Lydijs fuisse primum inuentos, vnde *Ludorum* vox, Tertullianus de spectaculis c. V. & Isidorus lib. XVIII. etymolog. c. XVI. affirmatum reliquêre, ab illis susceperũt alij quasi rem minime dubiam, quin Nonius Marcellus ex Varronis sententia *Ludios* dictos, ait, quasi lydios, quos *ludiones* Liuius vocat Decadis VI. lib. VII. Eandem vocis notationem indicat Valerius Max. lib. II. c. I. vbi de ludorũ more agit. Porrò spectacula summa diuisione in *scenica* & *gymnica* tribui possunt. In scenicis comædiæ & tragœdiæ numerãtur, mimi, pantomimi, archimimi, omnes fabularũ actores: *histriones* ab Histria dicti, vnde primũ aduecti in vrbem sunt, qui an gestu tantũ & motu corporis personas varias exprimerent non satis constat, & pleriq; verba illis in fabulis detrahunt, gestus impudicissimos dant, de quibus Cassiodor. li. IV. epistolarum epistola postrema ad Symmachum, loqui videtur cùm de theatro agens; *His sunt*, inquit, *addita orchestrarum loquacissima manus, linguosi digiti, silentium clamosum, expositio tacita.* Verùm Gellius li. VII. c. V. Polo histrioni vocẽ & lachrymas dat, cùm pro Orestis ossibus filij nuper defuncti vrnam gestaret recens è sepulchro detractam. Neq; in magno ponam discrimine, vtrouis modo sentiatur, vocis enim significatione extẽsa *histriones* vocari puto tam eos qui voce, quàm qui corporis gestu impudicas fœminas aut alias personas mentiebantur, quod in mimi etiã Græca voce contigisse puto, ne nos hæc cura solicitet. Ad scænã *thymelici* etiam spectant, de quibus frequens mentio extat in legibus Imperatori. C. Theodosij de scenicis leg. IV. ij autem cantu, fidibus, aut saltu, alijsque motibus fabulæ subseruiebant, quos merito *socios theatrales* vocâris, nam *scænici* voce actores omnes, mimi, hy-

mi, hystriones, thymelici comprehẽdebantur. In gymnicis ludis ipse agones posuerim athletas, cursores, aurigas, pugiles de iactu aut saltus pernicitate certantes, ad quæ genera illa quatuor certamina pertinẽt Græcorum litteris tantoperè celebrata, *Olympia*, quibus Romæ capitolina respondent, *Isthmia*, *Pythia*, *Nemea*, illo epigramate Græco comprehensa.

Τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα τέσσαρες ἱροί.
Οἱ δύο μὲν θνητῶν οἱ δύο δ' ἀθανάτων.
Ζηνὸς Λητοΐδαο, παλαίμονος, ἀρχεμόροιο.
Ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Omninò Tertullianus lib. de spectaculis ludos omnes tribuit *in Circenses scenicos, agones, & munera gladiatorum*; & cum Tertulliano consentiẽs Isidorus loco supra citato ludos à locis in quibus committebantur quadrifariam distinxit, *ludus*, inquiẽs, *aut Gymnicus est, aut Circensis, aut gladiatorius, aut scenicus*. In gymnasio vnde Gymnici ludi dicti sunt, saltu iuuenes, cursu, iactu, luctaque certabant, ac omninò de virium magnitudine & gloria contentio erat. *Gymnasium* autẽ dicebatur, quod nudi in eo plurimum decertarent, vnde *Gymnasij* vox est traducta, quoniam ibi iuuenes exercebantur, ad alia loca vbi cęteræ artes præsertim ingenuæ exercẽtur, eoq; gymnasia Mineruæ sacra erant, vti Saluianus ait lib. VI. de prouidentia, quoniam in eius deæ tutela artes esse putabant. *Ludi Circenses*, quib. equos currui iunctos, bigis quasi lunæ, quadrigis solis imitatione, vti Cassiodorus ait lib. III. epistola LI. ad cursum incitabant, à carceribus egressi circum metas currentes de equorum velocitate, aurigarumque dexteritate certantes. *Circus & circenses ludi* à Circe dicti sunt, quæ filia solis esse fingebatur, eosq; ludos prima in patris sui honorem instituit. Tertullian. cap. VIII. de spectaculis. Nam Varro li. IV. dictos putat, quod pompa duceretur circum metas, & circũ easdem equi currerẽt, vtrumq; Isidorus coniungit. Porrò in metarũ medio spatio obeliscus erat in modũ sagittæ extenuato fastigio, globo superposito in modũ flammę, solis significatione, cui circus erat sacer, ludi ipsi circenses Castori & Polluci, quibus equos à Mercurio distributos historiæ docẽt; sic Isidorũ ex Tertulliano castigato. quamobrẽ circus ipse, quoniã ij heroes ex ouis nati finguntur, ouali figura erat, globiq; ouorũ forma summas metas terminabant. Neptuno etiam ij ludi dicati erant, vti ex Lactãtio lib. VI. c. XX. & Saluiano colligimus, quoniam in Neptuni tutela equos esse antiquitas habuit persuasum. Cereri etiam eos ludos sacros fuisse ex Ouidio & Tacito colligit Marlianus lib. IX. c. V. de antiquæ Romę topographia, neq; causam explicat facti. Verũ de circo & eius structura proximo capite plura dicenda sunt, nunc ad alia ludorũ genera trãseamus. *Gladiatores* in amphiteatro pugnabant, aut inter se, aut cũ bestijs, nõnunquam etiam feræ inter se pugnabãt. *Theatrum* semicirculi figura erat, obiecta in fronte scena, vbi ludi committebãtur: *amphiteatrum* quasi ex duobus theatris coniunctis maiori tamen longitudine quàm latitudine. In eius area vndiq; circumclusa pugna erat. Agonesq; primum instituti in honorem mortuorum, quorũ manes humano sanguine placari credebant, vti Tertullian. explicat c. XII. captiuosque aut seruos pecunia emptos in suorum exequijs immolabant. Erant prætereà Saturno dicati, qui ludi venatiões etiam & munera vocabantur, id est, officia mortuis exhibita. Lactãtius loco citato. In theatro ludi scenici erant Veneri dicati, vti Saluianus ait. Lactant. verò Libero attribuit, vtriq; Tertullianus, quoniam vtraq; voluptas coniuncta est, omnisq; venerea spurcitia in theatris peragebatur, ipseq; Pompeius Magnus, qui primus è lapide stabile theatrum extruxit, coniunctum Veneris

tem-

templum exædificauit, turpitudini
religionem obtēdens, quod alio lo-
co copiosius est explicandum.

CAP. III.
Theatri Circique stru-ctura.

DE theatro & Circo quali stru-
ctura fuerint pauca dicere co-
gitabam, ne aures nostræ peregrina-
ri videantur, cùm in eorum mentio-
nem incidimus, quod sæpenumero
contingat, necesse est. Nam theatri
& amphiteatri coniuncta explicatio
erit, theatrum enim circuli forma e-
rat, quarta tantum circuli parte de-
tracta, vbi scena surgebat duobus
theatri brachijs inclusa quasi frons
totius operis, in quam omni ex par-
te conspectus esset, diuisa in scenam
vnde actores prodibant, *Proscenium*
siue *pulpitum*, vbi agebantur fabulæ,
& *orchestram* humiliori loco posi-
tam saltatoribus seruientem, tamet-
si Isidorus lib. XVIII. cap. XLIV. *pul-
pitum & orchestram* idem facit, & nō
ignoramus has voces loquentium
abusu sæpè confundi, ad aliaque sig-
nificanda traduci. Ex duobus thea-
tris dempta scena ampliatisque late-
ribus *Amphitheatrum* constabat, qua-
si in vnum iuncta duo *theatra* seu
visoria (vt Cassiodori lib. V. epistola
XLII. verbis vtamur) maiori longi-
tudine quàm latitudine, oui forma,
ac quædam prolixa rotunditas, vti
idem ait. Temporaria atque è ligno
plura fuisse Romæ theatra suspicari
libet, quale illud Curionis apud Pli-
niū lib. XXXVI. è lapide amphithea-
trum primum Statilij Tauri impen-
sa, Augusti suasu factum est in cam-
po Martio, anno Vrbis cōditæ DCC
XXV. cuius magna pars ad sanctæ
Crucis in Hierusalem ad ipsa vrbis
mœnia cernitur, nam amphiteatrū
alterum nobilissimū in vrbe media
priori incēdio deformato Augustus
destinauit. Vespasianus, vti Suetoni9
ait in eius vita cap. IX. extruxit, sed
gloriam absoluti & dedicati operis,
A Titus eius filius tulit, non Domitia-
nus, vti vulgò hominū persuasio ha-
bet, eoq; referēda sunt Martialis car-
mina in eius operis laudem li. I. eius
amphitheatri formam explicare per-
gimus, quoniam ad eius instar thea-
tra alia & amphiteatra extructa per
vrbes erant, paucis mutatis. Ac pri-
mum *arena* dicebatur, quoniam ea
sternebatur ad commoditatem pug-
B nātium: *Cauea* quod locus cauus erat
ab vtraq; parte in eam altitudinem
erecto opere vix vt oculi pertinge-
rent, & quoniam ex Marco Varrone
li. IV. *cauum* in ædibus dictum, locus
intra parietes relictus ad cōmunem
omnium vsum, qui si tectus erat di-
cebatur *testudo*, si apertus vt lucem
caperet, *impluuium*. Sic Varronis ver-
ba intelligenda putabam, ea operis
C amplitudine, vt XXCVII. homines
caperet, vt Victor ait, stantes seden-
tesve, non explicat. In area, Iouis la-
tiaris ara erecta fuit, sub area cloacæ
fortassis ad aquas recipiendas aut de-
riuandas, quæ ex pluuia dilabebātur.
Circum opus porticus erat multis ia-
nuis pertusum, feras aut gladiatores
vnde emitterēt, supra porticum pro-
D iectura mœnianorū instar, podium-
que, vnde Senatores & Principes spe-
ctabant, clatris seu retijs adiectis ad
maius tutamen, adiecto etiam ad ra-
dicem operis aliquando euripo, hoc
est, fossa aquis plena ad feras arcen-
das. Supra podium gradus succedunt
minori altitudine singuli quàm lati-
tudine, nempe superiorum pedes, in-
feriores sedentes capere debebant.
E Erant autem ex interuallo tribus di-
stincti baltheis totum opus cingen-
tibus, vnde præcinctiones & perizo-
mata vocantur, nimirum prioris po-
dij similitudine latioresque, ad quo-
rum radices viæ erāt, per quas à locis
in loca alia trāsibatur. Sic Tertullia-
num intelligo, cùm cap. III. ait. *Vias
enim vocant cardines baltheorum per
ambitum*, nam quod sequitur, *& dis-
crimina popularium per procliuium*,
ad minores scalas referri debet,

qui-

quibus ab vno, vt puto, baltheo versus alterum descēdebatur, inter quas interualla graduum comprehensa cunei vocabantur à figura deorsum angustiori; qui cunei diuersis ordinibus attributi erant equitibus, tribunis, militibus, vnde ludos spectarent. In ipsa autem baltheorum fronte ianuæ paruulæ erant, *vomitoria inde dicta*, quod ad accipiendam & reddendam multitudinem idoneæ essent, vt per concamerationes, quæ sub gradibus erant, ingredi & exire possent. In summo opere porticus erat cum cancellis tecta, vnde populus & mulieres spectabant, aut pedibus stantes, aut è cathedris positis. Præterea vela erant ad solem arcendum & pegmata, hoc est, machinæ è ligno plicatiles in alios vsus, & vt puto, extendendis velis seruientes, quæ pegmata in summo ædificio extantia confixa dixeris. Erant & tubi occulti per gradus facti, vti ex commissuris lapidum cernitur hodie etiam Romæ, lotio fortassis reddendo, aut emittēda aqua pluuiali. Podium, vbi senat⁹ erat, *orchestra* vocabatur voce à sena mutuata, vnde equites spectabant equestria, vnde populus popularia. Hæc ex *Iusto Lipsio* lib. de amphitheatro, paucis commutatis desumpta sunt. Quæ de circo dicturi sumus ex Tertulliano, Cassiodoroque lib. III. epist. L. & Isidoro collegimus, atque alijs. Duplex circus Romæ fuit: alter flaminius dictus, cuius nulla certa vestigia extant, alter Maximus in valle, vt immensa moles montibus contineretur Auentino Palatinoque à Tarquinio Prisco primum constitutus, vti Dionysius & Liuius aiunt, deinde à Cæsare dictatore Plinius auctor lib. XXXVI. cap. XV. ijsdem vestigijs longitudine stadiorum trium, latitudine vnius, sed cum ædificijs iugerum quaternum ducenta sexaginta millia homines sedentes capiebat, ingenti proculdubio vastitate; centum quinquaginta millia Dionysius ait. Porticus totum opus circundabant fermè, tecto inæquali, quod columnis sustinebatur inferius, ita vt quasi tres porticus cō iunctæ essent, extrinsecus alia porticus erat æquali tecto, officinas in se habens & cubicula superius, per quæ venientibus ad spectaculum ascensus, ingressusque erat ad gradus, qui in hunc modum erant compositi, supra interioris porticus tectum ima parte podium erat adiectis clatris, quemadmodum in amphiteatro dictum est. Deinde ordine assurgebant gradus, in quibus erat sedēdum cum suis vomitorijs & superiori porticu, vnde spectabat populus. Baltheos seu præcinctiones cum suis vijs in circo fuisse non inuenio: erat tamen euripus decem pedum latus ad radices totius operis interius. Erant etiam ianuæ duodecim ad septentrionalem plagam, quæ arte quadam simul omnes pandebantur, pinnis superius extantibus mœniū instar, vnde ad oppidum ire dicebantur, vti Varro ait lib. IV. Ausonius epistola V. tredecim portas Circi fuisse ait, multa enim cùm dixisset de ijs, quæ senario numero in rebus sunt, addit:

Ostia quot pro parte aperit stridentia Circus
Excepto medium quod patet ad stadium.

Prope ianuas erant carceres à coërcendis equis dicti, vnde signo mappa dato currus (qua etiam mappa explicata ludos Circenses fore populo significabatur) egrediebantur, atque his operibus circundabatur area omni ex parte. In media autem area secundum longitudinem alia ornamenta erant, quæ nemo melius Tertulliano descripsit lib. de spectaculis cap. VIII. Ac primum vtrinque ternæ metæ, nimirum sex erant (Cassiodorus septem fuisse ait, fortassis obelisco, quod erat in medio, inter metas annumerato) globis summitatem singularum terminantibus ouorum forma, quæ oua Castorum vocabant, quibus ludi Circenses sacri erant, vti superius dictum est, cir-

cum

cum eas metas currebant equi, & pompa ducebatur. In medio intervallo Obeliscus erat Soli sacer litteris AEgyptiacis incisis, lõgitudine centum & triginta pedum globo superius adiecto flammæ similitudine, vti Isidorus ait, coniuncta æde Solis, eiusq; effigie in fastigio ædis, neque enim putauerunt sub tecto cõsecrandum, quem in aperto habent. Erat prætereа Obeliscus alter minor lunæ sacer, vti Cassiodorus ait, longitudine pedum octoginta octo. Adijciebantur alia ornamenta, sacellum Murtiæ Veneris antè primas metas, aræ pluribus dijs sacræ, ac nominatim Conso deo ara apud metas erat sub terra: quod consilia, cui ille præerat, tecta debeant esse. Porrò à Conso ludi Circenses *Consualia* sunt dicti, & *Consus* idem Neptunus (vt Tertullianus ait de spectaculis cap. V.) cui totus apparatus seruiebat, qua ratione in tanta turba deesset? Item columnæ variæ erant, & mater magna Deûm, quo quæque ordine diuinare non attinet, nam delphinorum effigies ad Euripi oram effictas puto. Sic enim Cassiodorus ait, *Euripus maris vitrei reddit imaginem, vnde illuc delphini æquorei aquas interfluunt*; nisi mauis interpretari delphinos veros in aquis illis natasse. Neq; plura de Circi structura dicenda sunt, ad apparatum & pompam, qua ad eos ludos ibatur accedamus. Ab aris & templis ad ludos Circenses ibant sacrificijs peractis, nimirum vesaniæ illi religionem prætexentes maiori licentia peccandi, præferebantur simulacra imaginesque deorum in ferculis vti Lilius Giraldus syntagmate VII. de Dijs gentium ex Plutarcho affert. Sequebantur *thensæ* quibus Deorum statuę aut exuuiæ gestabantur ab hominibus coronatis, coronas, inquit Tertullianus lib. de corona militis, ad deducendas thẽsas cum palmatis togis sumunt. Currus succedebant vitis onusti & armamaxæ fœminis nobilibus. Varia vrbis collegia, sacerdotes, augures, magistratus, artifices, plebe promiscua claudente pompã, quæ vbi ventum erat ad Circum, circum metas ducebatur, nouisque hostijs mactatis, suas quique sedes pro cuiusque gradu & dignitate occupabant, mox signo dato quadrigis aut bigis nonnunquàm trigis aut seiugis à numero equorum currebatur, vti ex Isidoro & Cassiodoro colligimus, præcedebant singulares equi, quibus Circensium ministri vecti denuntiabant certamen instare, *desultores* vocati, quod in equos mira velocitate desilirẽt, aut de equo vno in alterum equum transilirẽt magno spectatorum miraculo, pedites etiã nonnũquam in Circo de velocitate contendebant recto cursu, atque ab oriente ad occasum, vti Isidorus ait, quod in Circum maximum conuenire nõ satis poterat à septẽtrione ad austrum extenso, vti superius est indicatũ. Sic ad Circum procedebatur. Quo apparatu ad amphiteatrum iretur nõ inuenio, tametsi præcipuum fuisse ipsa ludorum magnitudo indicat, prætereà cæremonia ludis theatralib. obseruata, peractis enim in templo sacrificijs, atque defuncti alicuius exequijs celebratis, vti ex Tertulliano c. X. conijcimus, inter tibias & tubas astãtium ordo procedat ad theatrum totius pompæ duobus ducibus designatore atq; haruspice non sine lictoribus, quod indicat Plautus prologo quodam. Sanè quis locus haruspici esset in ludis scenicis aut in exequijs non satis intelligo, & forrassis pro *haruspice* in Tertulliano, *auspice* legendum est, nempe qui esset totius cæremoniæ & funeris antistes, aut auguria committẽdis etiam illis ludis captabantur. *Designatorem* plerique ipsum ludorum magistrum & prędectũ intelligũt, vnus *Iustus Lipsius* in amphiteatro c. XV. huic sententię refragatur, *designatorem* putans eum fuisse qui loca ad sedendum dabat, qui à Martiali *locarius* vocatur. Sed miror virum eruditum in Vlpiano l. IV. de his qui notantur infamia non considerasse *designatores* vocari, quos

Græci βραβευτὰς appellant, cùm constet βραβευτὴν Græcis esse *ludorum magistrum*, qui prœmia victorib' dabat, ipsa Vlpiani verba subijcimus. *Designatores quos Græci βραβευτὰς appellãt, artem ludricam non facere Celsus probat, quia ministerium non artem exercent; & sanè locus iste hodie à principe non pro modico beneficio datur.* Exciderat illud, in Circo certantes colorib. distingui *Prasino & Veneto*, vti Cassiodorus ait, quatuor Tertullianus numerat cap. IX. hos duos præterea *album & rubrum* (*russeum* ipse vocat) verum facilis est concordia ex Isidoro. Aurigæ enim duobus primis coloribus tantum vtebantur, equi quatuor colorum erant, quos colores quatuor anni tempora, aut quatuor elementa significare putabant, iisque sacratos esse.

CAP. IV.

De sensuum voluptate.

MAgna est potestas voluptatis, vires incredibiles; lenis enim quamuis & blanda, non magno temporis spatio, nisi caues, animi & corporis partes omnes expugnat, virtutes eneruat, ipsamque arcem in sublimi constitutã mentem euertit, atq; in omne genus vitiorũ præcipitẽ dat. Rectè & sapienter Plato homines etiam excelsi animi reddi cereos à voluptate affirmauit, vt ceræ instar mollis vitijs cedant atque impuritati; & alio loco voluptatem esse dixit omnium malorum nutrimentum, neq; aliunde maius periculũ vrget, quàm à circumfusis vndique voluptatibus. Itaque ab omni memoria, quos neq; hostes vincere, neq; vlla æstus, frigoris aut inediæ iniuria frãgere potuit, eos videmus, & legimus illecebris voluptatũ fuisse superatos. Quid enim aliud Salomonem ea sapientia atq; probitate trãsuersum egit? quid Annibalem Pœnum eiusque copias hosti opportunos præbuit, nisi Capuanæ amœnitates? vina & conuiuia Campaniæ armis inuictũ vicerunt. A Quod Romanis etiam accidisse satis cõstat inuictis priusquam Asiæ iucũditates commoditatesq; essent experti, atq; voluptates alias. Latronibus sanè persimiles sunt, quos Aegyptij Philistas vocabant, amplectẽtes quos strãgulare volebant, vt Seneca ait epist. LII. ferrea ingenia voluptas quasi igne victa debilitat penitus & frangit: cumq; in homine nihil virtute præ- B stantius sit, huic diuino muneri nihil est tam inimicũ quàm voluptas. Neque enim ea dominante temperantiæ, fortitudini, liberalitati, aut cæteris virtutibus locus est, neq; sub eius imperio vlla honestatis pars potest consistere, quoniam vitiosa & mortifera est, armaque illius cuius vnum opus, mentes hominum expugnare atque vitiorum maculis fœdare; est C enim mortis fabricatrix voluptas. Et sicut Deus hominem ad vitã per laborem & sudorem vocat, cùm sit virtus in arduo posita; ita ad mortẽ per delitias & suauitates festinamus, nimirum ad verum bonum aspera via ducit, malorũ imagines ad exitium per bona fallacia. Cauenda sunt igitur oblectamenta omnia, sensuumq; D voluptates tanquam laquei, ne capti ea mollicie in ditionem mortis nos, nostraque redigamur. Si voluptati cesseris, cedendum est dolori, labori, molestiæ, paupertati, quia voluptati inimica sunt: ambitio, ira, auaritia, cęteraq; vitia vno impetu animũ occupabunt. Dedit Deus sator & parẽs humani generis homini cognitionẽ & appetitum, quibus ad agendum in- E citatur sponte, nullo cogente, vnde inter alios affectus, quemadmodum tristitia ex re aduersa oritur, ita ex prosperis cùm voti compotes euadimus aut nos ea spe lactamus, voluptas manat, quasi quies quædã animi cupiditate satiata, metaque laborũ, magnam ei suauitatem inseruit, vel ipsa tota est suauitas, vt esset velut condimentum, cuius cupiditate incitati omnia humanæ vitæ officia, quamuis difficilia impleremus. Itaq; quo dif-

ficilior

ficilior est actio, quã obire opus est, maiorem indidit voluptatem, vti in filiorum procreatione considerare licet, ne deficerẽt genera, ardentissimam cupiditatẽ admiscuisse corporib. vt vterque sexus alterũ appeteret auidissimè, eaque ratione propagari & multiplicari animantes possent, quam cupiditatem cùm omnibus animantibus dedit, tùm in homine acriores stimulos habet, vel quia hominum cognitio maior est, mollior caro; vel quia genus hominum amplius propagari voluit: vel vt virtus, cuius solus homo est capax cum vehementiori voluptate tãquam cum domestico hoste pugnaret, nam quæ incitamentum ad virtutẽ esse debet, ideoque à conditore data est, si modum excedat certissima virtutis labes est. Cæteræ quidem animantes præter eam voluptatem quæ ex coitu, & quæ ex pabulo percipitur, nullam aliam aut vix sentiunt, ad eam certè referũtur aliorum sensuum functiones oblectamentaque. Vident vt appetant quibus ad cibum opus habẽt, audiunt vt pericula fugiant, congregariq; possint, odoratus pabulo seruit, neque enim florum aut aliorũ odorum & aromatum suauitates omninò percipiunt. homini verò data est infinita voluptas, quæ sensibus omnibus capitur, vt in vitiũ cadentem virtus reprimeret. Stupra enim & adulteria, & omnia flagitia nullis alijs illecebris nisi voluptate excitantur. Sed discrimen est, nam cibi & libidinis nimiæ voluptates vituperantur, atque in vitijs ponuntur. Quæ ex oculis, auribus, aut odoratu percipitur non item, quę plerisq; occasio errandi est, nullam vt putent aspectu ludorum, aut auditu musici concentus vituperationem incurri. Rectè enim Aristoteles eos tantùm incontinentes vocari ait, qui tactus aut gustatus voluptate superantur, qui immodicè re vtuntur venerea, aut ciborum luxum consectantur, Philoxeno similes, gruis collum à Dijs immortalib. sibi datum optanti, quo se diutiùs cibi sapore oblectaret; qui aũt vidẽdo audiendove modũ non tenent, quis eos intemperantes vocârit? nempe quoniam priores voluptates cum cęteris animantib. communes habem⁹ eas solas aut maximè probro damus quasi in similitudinem brutorũ homine degenerante, quod in aliorum sensuũ voluptatib. non cõtingit; aut fortassis quoniam illæ priores acriores sunt, eoq; magis nocent nisi modus adsit, certis finibus circũscribantur necesse est, à virtuteque corrigantur, cuius partes sunt prosequi salutaria, amouere atque repellere contraria. Sed & in alijs voluptatibus quoddam incontinentiæ genus esse potest minus fortasè vulgò cognitæ, verissimæ tamen. aurium & oculorũ voluptas ex aspectu ludorũ, vocum & cantuũ suauitate suscepta non minùs vitiosa est, neque minus exitiosa quàm oblectationes aliæ. Quis enim non luxuriosum & nequam iudicarit eũ, qui totos dies desideat in theatro, aut scenicas artes, lyristas & comœdos domi habeat victus auiditate eius voluptatis? omnes enim corporeæ oblectationes irritamenta vitiorũ sunt, & ad corrumpendos animos turpitudineq; fœdandos magnam vim habent. Omninò ex tactu velut ex cõmuni fonte vniuersę sensuum voluptates deriuantur, quoq; magis illi coniunctæ sunt vehementiores existunt, cùm sensus omnes in carne sint, per quam voluptas tactus diffusa est, ex ea quasi per quinque riuulos in omnes sensus diducitur. Sic voluptates cæteræ ex carne ortæ ad eam referuntur, & quasi limo suscepto à reb. externis in se reflexę totam carnem, & per eam animam inficiũt quo minùs probitati operã dare, Deumve contemplari tranquilla mente possit, vti Basilius docet lib. de virginitate, vnde hæc hausimus. Nullis enim finibus praua hæc cupiditas resistit, ignis instar quo plura damus plura petit, sæpeq; ab honestis voluptatibus progrediens momento temporis ad illicita trahit, atque ab vna

voluptate in diuersam facto transitu in turpitudinē desinit. Eam Græci per hydriam significârunt, quam in palude delitescere, & multa capita habere finxerunt fabula non inepta. Voluptas .n. carni insita in multos sensus quasi capita diffunditur magno periculo, nisi vniuersa vno ictu opprimātur, nam qui cupiditati indulgendo quasi vnum caput præscindit, indulgentia bellua illa multiplicior exurgit, maioresq; impetus habet, igne poti⁹ quàm ferro exscindenda, cælesti inquam ope & charitatis ardore magis quàm humana industria. Cuius etiam rei gerebat imaginem tùm adeps animātium, quem Deo vniuersum offerri diuinæ leges præcipiunt. Leuit. cap. 3. vers. 17. & ca, 8. vers. 16. ad significationem non partem voluptatis, sed vniuersam, quoad eius fieri possit, abdicandam videri: tùm vitulus pro sacerdote oblatus, cuius adipem, qui erat super vitalia (Græca super *intestina ventremque* habent) & reticulū iecoris, duosque renunculos cum aruinulis suis diuina lex offerri iubet ignis alimentum. Nimirum sunt voluptates quędam, quib. carere penitus possumus, quales venereæ sunt, eas *renes* significant cum suo adipe cremati, alijs carere prorsus non possumus, vt quę ex gustu, visu, audituq; existunt, quod ventris & iecoris adipes incēdio cōsumendi significant, non venter ipse, iecurve. Ergò voluptates nimiæ præscindantur, quoniam vitiorum fomenta sunt, & vitijs pabulum subministrant, susceptæque semel nullis resistunt finibus, sed ad turpiores oblectationes identidem prouocant, intimis visceribus stimulos libidinis commouent, & naturalem illum incitant & inflammāt ardorem, donec totum hominem in laqueos æternæ mortis inducant, nullaque re magis in vita peccatur, quām praue huic cupiditati frenos laxando, quàm compescere initio atq; cōprimere multis extitisset salutare, qui sua certè ruina cæteros cautiores debent efficere, ne se hac labe pesteq; infici sinant, quantumuis sensim se insinuet, & honesti specie fallat.

CAP. V.

Scena cur oblectet tantopere.

QVæ si vera sunt, voluptates sensuum quas appetunt, qui corpori vt pecudes seruiunt, ita inter se comparari, vt ex vna alliciatur altera maiori turpitudine; quid contingere credamus, quibus in *scena* familiare est totam turpitudinem oculis haurire atq; auribus? Num innoxios temperatos, sanctosque dicemus? an potiùs in cœno volutari atque morte, q̄ in voluptate est, sicuti vita perpetua virtute comparatur. Quo loco mirari conuenit, cur homines tantopere *scena* ad se rapiat, vt contemptis cæteris vitę officijs eò pleriq; cōcurrant, totosq; dies in ea voluptate consumant, tanto sæpè animi motu in furorem concitati, vt non minùs spectaculum præbeant quàm ipsi histriones, ij ipsi qui spectatū venerunt, clamore, plausu, lacrymis. Sed nimirum quæstuosa hominum arte in vnum locū omnia voluptatum instrumenta congesta sunt, quæ singula ad detinendos, ac suspendendos hominum animos magnam vim habent. Primum enim insoliti casus & admirabiles commemorantur mirabiliori aliquo exitu terminati, vti in tragœdijs & comœdijs perspicimus, ita incredibilia cōponi, vt facta non ficta videantur esse. Porrò insolita admirari, quotidiana contēnere, humanum est: suntq; maximè mirabilia, & maximam exprimūt voluptatem, quæ maximè inexpectata contingunt, maximè periculosa videntur. Quod si nudis sæpè narrationib. rerum capimur, historiaque quoquo modo scripta oblectat animos, cùm sim⁹ natura curiosi sermunculis etiā anicularū & fabulis detinemur: quid faciant cùm nitor sermonis & eloquen-

quentia accesserit? quanta gratia narrationi addetur? quæ altera eius oblectationis causa existit, præsertim verborum luminib. & sententiarum tota oratione distincta, vti pratũ floribus, gemmis aurum. Deinde versus numerosi & ornati titillant animos, & quo voluerint impellunt, eoque magis nitore suo persuadent, & facilius adhærent auditorum memoria atque animo. Qui enim numeris cõstamus omnium, maximè numeris capimur, numerisq; adstricta oratio vehementiores motus in omnẽ partem solet concitare. Nam quę verbis carent, aëris & neruorum dulces soni, suaues & canoræ voces addita fabulis non parum suauitatis adijciunt cùm sæpè soli sine satietate multo temporis spacio audiantur. Finguntur mores hominũ omnis ordinis, conditionis, ætatis, voce, gestu, habitu, lenonis, meretricis, parasiti, iuuenum, senumque, in quib. multa sunt notatu digna deridiculaque. Neque referuntur tantum verbis, sed ipsis oculis subijciũtur, quod multo maiorem vim habet. Sales iocique adijciuntur ad risum multitudinis excitandum. Postremo quæ maior est illecebra, pulcherrimi adolescentes, aut quæ maior pestis est, puellæ eximia venustate producuntur in theatrum, aptæ oculos detinere non petulantis multitudinis, sed prudentum etiam hominum & moderatorum. Num vllius gemmæ, floris aut animantis decor cum humana pulchritudine possit comparari? Num vlla res potẽtius oculos atque animos flectit, etiamsi nuda obijciatur? iam ornatus planè regij, & in morem antiqui conformati quantũ venustatis, quantum oblectationis addunt? Longum est ire per singula, quę si exequi & dilatare pro dignitate velim, nullum finem reperiat oratio. Atque hactenus de honestis comœdijs, tragœdijsque dictum est, in quas si tam multa conferuntur voluptatem facientia, quid si ad turpitudinem singula referantur? quæ oblectatio maximè omnium deuincit homines, atque ita vt vel ipsa nuda commemoratione animos rapiat? quid si de stupris virginum fabula est: de amoribus meretricum, lenonum turpitudine, num ea voluptate potentior aliqua excogitari possit? non arbitror. Obijciuntur enim menti irritabiles formæ, suggeruntur fomenta vitiorum, & ex rerum imagine ac commemoratione cupiditas excitatur, atque simulatis amoribus quasi veris intersint turpi voluptate spectatores ingurgitantur, quasi in sentina volutati. Quod an sit vitandum atque omni ratione detestandum periculum, hac disputatione conabimur demonstrare.

CAP. VI.

Veteris & nouæ comœdiæ discrimen.

EX omnibus spectaculis, quæ Græcis & Romanis quondam in vsu fuerunt cæteris antiquatis, scenici fermè ludi relicti modò sunt, qui omnium maximè exterminari debebant, atque è moribus nostræ nationis cõuelli. In alijs enim ludis quoddam tyrocinium & meditatio virtutis erat ludicris ad vera certamina & bella corpore exercito, vbi iactu, lucta, cursu equorum, sagittandi peritia certabant. In theatris dies totos residentes corpus otio, animum libidine frangunt. Verùm priusquam ad nostra theatra venio, quid vetus comœdia à noua differret explicandum est, altiori sumpto principio. Soliuagi initio homines incertis sedibus ferarum ritu pererrabant: nullo certo imperio deuincti, nisi quatenus naturæ impulsu quæque familia ei honorem deferebat maximũ, qui cæteros ætate præibat. Ea cum numero augebatur, quandã populi for-

mam repræsentabat, vnde pagi nati sunt, ex pagis multis mutui præsidij causa ne à potentioribus premerentur, vno delecto capite in locum vnũ conuenientibus vrbes sunt constitutæ ciuium numero, & maiori cultu præstantes, adiecti ludi ad multitudinem alliciendam detinendamq́;. Quod institutum vbique terrarum tenuit. Athenienses etiam nondum à Theseo in vrbis formam coacti rudi more agrestique instituto per agros sacris operati, tum eos qui sacrificio interfuerant, tum externos scommatis dicterijsque quadam dicacitate impetebant: quod rustici etiam in Italia imitati sunt, post messem peractis sacris in se inuicem simili procacitate ludentes, neque à verborum obscænitate abstinentes nonnũquam alternis versibus *fescenninis* ex eo dictis, quod à Fescenina ciuitate Hetruriæ is mos ad cæteros dimanârit. placuit is ludus vrbano populo, & qui dicendo valebant ad id argumentum versibus tractãdum animum applicuerunt in Gręcia Italiaque. Sic rusticis exclusis ingenia vrbana aliorum mores taxando se exercuerunt, non modo versibus factis, sed etiam prodeuntes in scenam spectatores, absentesque carpebant, satyræ amaritudine, magno nonnũquam dolore eorum qui notabantur. Vnde à sano principio suscepta licentia, cùm poëtæ sæpe priuatis affectibus seruirent, auditores asperis facetijs elusi iurgia concitarent, lege cautum est, ne quemquam liceret nominatim in scena notare. Ita genus illud comediæ abolitum est, quæ vetus est dicta nouæ comparatione; ac ne permissum quidẽ diu, quod poetę factitare cœperunt, vt obliquis dictis tacitisque nominibus aliquem perstringerent. Ergò sublata veteri comœdia, noua successit, qua de virginum stupris, nuptijs iuuenum, meretricum fraudibus agebatur, nullo nominatim ne obliquè quidem perstricto ab histrionib⁹, qui in multa quãuis rerum turpitudine à verborum obscęnitate tẽperabãt, vti August. ait li. II. de ciu. Dei c. 8. Veterẽ comœdiã Grecia fermè retinuit nullis satis coërcita legib. aut exemplis calamitatũ ex ea licentia carpendi alienos mores natis, vti ex Aristidis sophistæ oratione de hoc argumento conijcio; cuius deinde mẽtio reditura est. Roma maiori seueritate morum posterius comœdiæ genus secuta est, & erat antiquitus lege duodecim tabularum vetitum: *carmen malum cõscribere*, quo fama alterius coinquinetur & vita, & ludi scenici non ante quadringentesimũ vrbis annum suscepti sunt, certè Tito Sulpitio Potito, Caio Licinio Stolone consulibus, cũ peste laboraret populus, ex libris Sibyllinis voti, tametsi aliquando viri insignes tacitè ab histrionibus taxabantur, vti Diphilus tragœdus directis in Pompeium magnum manibus verba illa fabulæ pronunciauit, *miseria nostra Magnus est*. Valerius Maximus lib. sexti cap. secundo. Mimus etiam, vt refert Iulius Capitolinus, quosdã coram Maximino Imperatore versus Græcè pronunciauit, quibus eius immanitatem notauit. *Elephas grandis est & occiditur. Leo fortis est & occiditur. Tigris fortis est & occiditur, Caue multos si singulos non times.* Hoc erat discrimẽ veteris & nouæ comędiæ, Græcæ & Latinæ, vtrique cõmune vitium, quod cõuitia in Deos impunè iactabant dignos cultoribus talibus. Quam fœditatem Arnobij verbis accusare præstabit lib. quarto aduersus gentes extremo, poëtarum licentiam redarguentis, Deorũ probra carminibus explicantium. Quod idem in scenis ab histrionibus factitatum his verbis accusat. *Sed poetis tantummodo licere voluistis indignas de Dijs fabulas, & flagitiosa ludibria comminisci. Quid pantomimi vestri, quid histriones, quid illa mimorum atque exoleti generis multitudo? Nonne ad vsum quæstus sui abutuntur dijs vestris, & lenocinia voluptatum ex iniurijs attrahunt, contumelijsq́. diuinis? Sedent & in spectaculis publicis sa-*

cerdo-

cerdotũ omnium, magistratuumq́ collegia Põtifices maximi, & maximi Curiones, sedent quindecim viri laureati, & Diales cum apicibus Flamines; sedent Augures interpretes diuinæ mentis & voluntatis, nec non & castæ virgines perpetui nutrices & conseruatrices ignis; sedet cunctus populus & senatus; consulatibus functi patres, dijs proximi atque augustißimi reges; & quod nefarium esset auditu, gentis illa genitrix Martiæ, regnatoris & populi procreatrix amans saltatur venꝰ, et per affectus omnes meretriciæ vilitatis impudica exprimitur imitatione bacchari. Saltatur & magna sacris compta cum infulis Mater: & contra decus ætatis illa Peßinuntia Dyndimine, in bubulci vnius amplexu flagitiosa fingitur appetitione gestire, nec non & illa proles Iouis à Sophocle in Trachinijs, Hercules pestiferi regiminis circũpetitus indagine miserabiles edere inducitur eiulatus, violentia doloris frangi, atque in vltimam tabem diffluentium viscerum maceratione consumi. Quin & ille in fabulis ipse regnator poli sine vlla numinis maiestatisque formidine adulterorum agere inducitur partes; atque vt fallere castitatem alienarum possit familias matrum, ora immutare fallacia, & in species coniugum subditititij corporis simulatione succedere. Hactenꝰ Arnobius. Sic deos violare faciliùs putabant quam homines stulta persuasione decepti vltione nulla, nullis in populo motibus, quod de Christiani populi moribus sublatum esse penitus, fatemur, nemini fore impunè si in theatro cælestes audeat verborum procacitate tentare. Illud cõtẽdimus, qui res turpes in scena actitant, earum rerum commemoratione non minus nocere neque minus arcendos esse, neque permittendum vt in suæ turpitudinis gurgite diutiꝰ iaceant.

CAP. VII.

Comœdias Diuorum cultui non conuenire.

DIfficilè est prauam consuetudinem cõuellere longo tempore magnoq; assensu multitudinis cõfirmatam, celeberrima festa comœdijs actitandis celebrare solitæ; ac periculũ est ne diuorum cultũ hac disputatione imminuere voluisse videamur nõ sine aliqua impietatis suspicione. Conandum est tamẽ, quoniam nusquam grauiꝰ peccatur, quàm inepta religione suscepta. Ordiar autem vnde faciliùs aduersarios cõuinci posse putabã. Dico oportere Deũ immortalẽ, diuosq; oẽs omni lætitię significatione colere, votis, sacrificijs, cãtu, floribus, festa fronde, ramalib. opere topiario, nihilq; omnino prętermittere eorũ quæ religionem & pietatẽ in animis mortaliũ augent: qui quoniam sensibus ducuntur, externo rerum apparatu, ornatu, pompa capiũtur maximè: Contẽdo tamen histriones à festis populi Christiani & templis exterminari penitꝰ debere, quod priusquam ex ipsorum persona & argumentis quæ tractant confirmem; illud dicam Aristidẽ sophistam neq; nostris moribus, neque religione nostra imbutum, orationẽ edidisse qua Smyrnæ, (quæ est ciuitas Ioniæ) hoc ipsum persuadere conatus est, deorũ festis comœdias non conuenire, neque ludo agere quod honestum non sit. Atque ille quidem eas comœdias insectatur, quibus ex Græca licentia conuitia in præsentes absentesque iaciebantur, in quam prauitatem pleraq; eius argumenta diriguntur, non pauca nostro etiã proposito fauent. Ea sunt nullum libamẽ aut sacrificiũ gratius dijs esse, quam si animũ suscipiamus optimum & pacatissimum; deorum celebritates mutuæ beneuolentiæ atque amicitiæ vincula esse: q̃ res dijs maximè curę est. Amico præsente viro graui cõuitium dicere audireve, quis ferat? Deos minori reuerentia prosequi, quî cõueniat? Optima honestissimaq; dicẽda semper sentiendaq; in festis, quæ ad religionem pertinẽt, multo magis cũ voce præconis omnibus, qui adsunt, initio rei sacræ denuntietur εὐφημεῖν, hoc est, *benedicere*, quî ergo cõueniat ad diuos hono-

honorandos turpissima verba vsurpare? quî côueniat quæ neque facere neq; pati intra lupanaria fas est, hæc in medijs templis canere? Et quidem in sacrificio offerre quæ lege sunt vetita, impium est; quid honorare deos eorũ opere & arte, quibus nulla pars probitatis inest? Si inter cantores dissonet aliquis, eijcitur cum probro; si vniuersus chorus absonum canat, feremus? præsertim pueris & virginibus præsentib⁹, quos domi & in scholis vt honesta loquantur & audiant, curare debemus, num ea publicè audire patiemur, quæ si priuatim impunè dicerentur, mores euerterentur singulorum? & miramur tantam malorum colluuiem in republica vigere, cum vbi sanctitatis domicilium est, tantam prauitatis sementem fieri patiamur? Num iuuenes impuris magistris erudiendos tradamus? hæc enim excusatio affertur: in comœdijs vitæ humanæ varios casus exprimi, retegi fraudes, documenta tradi, quibus iuuenes cautiores reddantur, quos ego abertare prorsus côtendo. Neque enim ebriorum est sobrietatem suadere, neque turpissimus quisq; ad probitatem docẽdam præceptor idoneus sit, qui ad virtutem à vitio, ad rationem à furore, ab immanitate ad humanitatem publicè auditores reuocet. Ianuæ curam non credamus cuiuis, ne quid domi contingat quod dedecus afferat, sed probatæ fidei viro: filios & vxores atque omnem vrbanam multitudinem docendã, idque in templis, profligatæ vitę hominibus tradamus? atque quos sobrios ad colloquium nô admitteremus, neque cum ijs consociaremus vocem, ijs ebrijs & amentibus fidendum putabimus? eorumque opera credemus dies festos multo celebriores euadere? apage dedecus ac nefas omnibus piaculis procu randa. Verùm Aristidis argumentis compẽdio recitatis ad Augustinum progrediamur qui lib. secundo de ciuit. Dei cap. tertio decimo antiquos Romanos ridet, quod histriones notarent infamia; ijdem scenicis ludis

A deos honorãdos putarent, quî enim conueniat ignominia notare atque in infamium numero ponere, per quos diuinus cultus augeatur. Ipsa Augustini verba subijcimus: *Sed respondeatur mihi*, inquit, *qua consentanea ratione homines scenici ab omni honore pelluntur, & ludi scenici deorum honoribus admiscentur? Illas theatricas artes diu virtus Romana non nouerat,*

B *qua etsi ad oblectamentum voluptatis humanæ quærerentur, & vitio morum reperent humanorum, dij ea sibi exhibere petiuerunt. Quomodo ergo abijcitur scenicus per quem colitur Deus? & theatricæ illius turpitudinis, qua fronte notatur actor, si adoratur exactor?* In quo multo prudentiores Græcos fuisse contendit, qui actores fabularum repentè à

C scena & theatro ad summos honores & magistratus euehebant, quasi dijs sacros & cælestibus in primis gratos. Sed & aliquando à Romanis histriones templis fuisse prohibitos quasi deorum cultui non conuenientes. Tacitus libr. quarto decimo his verbis indicat: *Ac ne modica quidem studia plebis exarsere, quia redditi quanquam scenæ pantomimi,*

D *certaminibus sacris prohibebantur.* Qua ergo fronte histriones de foro raptos è publicis diuersorijs in templum Christiani inducunt, vt per eos sacra festorum lætitia augeatur? quos Ecclesiasticæ leges. d. 33. Can. maritum. à sacris ordinibus repellunt, quomodo ipsorum opera consentaneum sit credere diuinum cultum diebus festis illustrari? Sed obijcis fortasse eos in templis, non in

E turpibus argumentis versari, sed sacras historias referre, aut ex diuinis libris petitas, aut ex sanctorum hominum historijs. Quod vtinam verum esset, & non potius ad mouendum populi risum obscenissima quæque actitarent, & est acerbissimum negare non posse, quod sit turpissimum confiteri. Scimus sæpè sanctissimis

templis prætertim inter fabulæ actus chori ad instar adulterorum furta, amores turpes recitari; vt honestissimus quisque ea spectacula vitare debeat, si decori & pudori consultum velit. Et putabimus tamen quę à modestis hominibus fugiuntur, ea cælestibus esse grata? Ego putarim potius quasi sordes & religiõis ludibria hos omnes ludos à sanctissimis templis esse exterminandos, præsertim à publicis histrionibus actitatos; nam cũ turpi vita sint, religionẽ fœdare potius sua ipsorum ignominia videtur, & assueti turpibus etiam in sanctissimis locis odorem quo imbuti sunt ore, oculis, & toto corpore exhalant; ac nescio an aliquando fabulã agant, quin verba turpia vel imprudentib' sæpè excidant, & hos tamen contendemus diuinis celebritatibus adhibere? sed fac, quod nunquam accidisse probabis, histriones seuera aliqua lege constrictos intra modestiæ fines contineri posse, ac sacras tantum historias cum dignitate referre: contendo nõ minus eum morem religionis sanctitati fore exitialẽ, neque minus dedecus reipublicæ afferre, quî enim conueniat ab hominibus turpibus diuorum res gestas referri, eosq; Francisci, Dominici, Magdalenę, Apostolorum, ipsius etiam Christi personas sustinere? an non id sit cælum terræ aut cœno potius, sacra prophanis miscere? Imagines in templis magna honestate depingi iubetur, & impudicam fœminam Mariæ aut Catharinæ, probrosum hominẽ Augustini aut Antonij personam repræsentare patiemur? Quod Arnobius certè lib. quarto cõtra Gentes extremo ab antiquis factitatum reprehendit: vt histrionibus deorum personæ imponerentur, illis verbis: *Nec satis hæc culpa est: etiam mimis & scurrilibus ludricris sanctissimorum personæ interponũtur Deorum; & vt spectatoribus vacuis risus possit atque hilaritas excitari, iocularibus feriuntur cauillationibus numina, conclamant, et assurgunt theatra, caueæ omnes concrepant fragoribus atq; plausibus.* Idem Tertullianus accusat in Apologia. c. quinto decimo. *Quid,* inquiens, *quod imago Dei vestri ignominiosissimũ caput et famosum vestit? quod corpus impurum, & ad istam artem effœminatione productum Mineruam aliquam vel Herculem repræsentet? nonne violatur maiestas, & diuinitas constupratur laudantibus vobis?* quæ verba ad nostros mores transferas licet, atque in antiquis vitijs interpreteris nostrorum licentiam & turpitudinẽ accusari. Itaq; si duorũ optio danda esset, mallem ab histrionibus prophanas fabulas agi, quã sacras historias, quibus diuorum personæ cum decore atque honestate referri debent, quod eos facere nõ posse persuasum habeo, tùm ob eorum vilitatem, & dedecus, tùm ob fœdissimos mores paremq; actionum leuitatem & turpitudinem. Et ipse cogitabam in templis festisq; Diuorum, cuius causa instituta sunt, omnia ad pietatẽ & modestiam debere esse comparata, quibus rebus animus excitatur ad religionem & ad rerum diuinarum contemplationẽ, ijs cõmuniter & priuatim vacãdũ esse. risus, plausus, clamores an id præstent per se quisq; considerabit, quod si nequam & perditus haberetur, qui solus aut cũ paucis in templis id faceret; an meliorẽ putabimus qui cũ vniuerso populo id faciat? sed quid hoc loco diutius hæsitamus? cum lege Ecclesiastica vetitũ sit ludos theatrales in tẽplis agere, quæ lex incipit, *Cum decorem*, De vita & honestate clericorũ. *Interdũ,* inquit, *ludi fiunt in Ecclesijs theatrales & non solum ad ludibriũ,* (sic lego) *spectaculi introducũtur in eis monstra laruarum, verum etiam in aliquibus festiuitatib' diaconi, presbyteri, ac subdiaconi insaniæ suæ ludibria exercere præsumunt,* Quæ vtraque legis conditor Innocẽtius tertius deinde fieri prohibet, cuius interpretes tamen de prophanis spectaculis interpretãtur, ne multorum cõsuetudinẽ reprobare necesse sit, scilicet comœdias de argumentis sacris in tẽplis agentium; quã senten-

tiam

tiam hoc loco neque refellere est animus neque probare; ac satis haberem si quemadmodum qui ex sacrato ordine sunt, ludos scenicos cõmittere vbicumque vetantur, ita histrionibus (quod Panormitan' in eam legem indicat) generi hominũ corruptissimo templa essent clausa. qui siue prophana, siue sacra argumenta tractent, parem mihi videntur religioni cõtumeliam facere: & in quocumq; argumẽto ad ingenium redeunt, in medijsq; actionibus ad verba turpia & gestus passim dilabũtur. Sed quoniam Innocentius laruas à templis arceat, crediderim tripudia, quæ more Hispanico magno strepitu & fragore tympani modos plausu pedum modulante cõcitantur à laruatis hominibus, remouenda esse; quid enim nisi perturbationem orãtibus priuatim, & publicè canentibus afferunt? Est quidẽ prouinciali lege cautum ne templa ingrediantur, priusquam precibus & diuinis laudibus finis sit impositus. Verùm id non satis seruari compertum est, cum circum templa, circũq; chorum vbi canitur cum strepitum edant, qui nõ minori impedimento sit quam si penitus irrumperẽt. Et est litteris proditum in Saxonia villa colbecke ipsa natalitiorum Christi nocte decẽ & octo viros & fœminas in cœmeterio choreas agentes, neq; ad sacerdotis in templo sacrificãtis præceptum cessantes eius Dira imprecatiõe integrum annum saltare compulsos, ac tãdem ad vnum perijsse salutis anno 1012. auctores Vincentius & Trithemius, & miror quorum exempla imitantur, supplicium eorum non perhorrescere. Addã etiam modos musicos accuratiores, quos passim in celebriorib' festis vsurpari videm', additis omne genus instrumẽtis contra legem Ecclesiasticã inuectos esse, quæ lex Ioãnis 22. inter extrauagantes refertur, *De vita & honestate clericorum*, cuius initium est, *Docta sanctorum*. quæ eo pertinent non vt moueamus suscep tam pridem ab omnibus fermè consuetudinem; sed vt indicemus quãta cautela opus sit, quantaq; moderatione vsurpari debeant, quæ à maioribus reprobata fuisse non possumus ignorare; debereq; eos quorũ interest curare atq; efficere, vt similia seruiãt pietati, neq; populus cuius causa hæc suscipiuntur, ad templa nõ secus concurrat, atque ad spectacula, ludos & celebritates alias profanas, quæ maxima corruptela morũ est, & sanctissimæ religionis labes. Neque turpes cantilenæ audiantur, aut quæ turpitudinis memoriam excitent ad obscenarum modos, mutatis quamuis verbis, decantatæ, quod graue crimẽ est omni supplicio vindicãdum. Sed noui multitudinis vanitatem, cantorum licẽtiam (quippè corruptissimũ ferè id genus hominũ vitijs est) nunquam impetrabimus vt debitis finibus se cõtineant, præfectos monuisse satis habeam. atque vnde dilapsa est, ad histriões referatur oratio, legesq; imperatoriç quid in hac re sanxerint explicandum est. Variè quondam habita ac sępè immutata eius rei forma ab Imperatoribus est, & plerìq; ludos scenicos ad oblectandum populum permiserunt, ea tamẽ exceptione ne diebus Dominicis, Christi natali, Paschæ atque Quinquagesimæ diebus committerentur, quod sanxit Valẽtinianus Cæsar anno salutis 425. Codicis Theodosij, lib. XV. tit. V. *De spectaculis*, lege, *Dominico*, nimirũ quinta, quod maiori seueritate Gratianu' Valentinianus & Theodosius sanxerant anno 389. lege, *nullus eodem* tit. ne qs iudex ijs ludis vacaret, nisi natali Imperatoris & imperij die, quo die vel in lucem editus, vel imperij erat sceptra sortitus, idque ante meridiem tantùm, & post epulas ad spectaculum redire desisterent. Quod si de spectaculis accipiendum putes, quæ publico sumptu exhibebantur, non resistam, modo eadem lege concedas diem solis, id est, Dominicum ab ea vanitate esse exemptum; & merito, ne populus quo die diuino cultui vacare debebat

bebat & debet, ad theatra recurreret; ab schola virtutum & pietatis studijs ad tetra impuritatis omnis & impudicitiæ gymnasia. Non ergo censebant Imperatores ludis scenicis diuinum numen coli competenter, quos diebus festis fieri vetabant. Nunc vide quanta peruersitas, ratio quã præpostera, histriones impuros in templa vocamus, neque satis celebrem diem festum fore putamus, nisi mimi veste insolenti & rugosis sinibus festiua lætitia augeatur.

CAP. VIII.

Mulieres in scenam inducendas non esse.

SEquitur prauitas alia, neq; minor superiori neque minus repellẽda, mulieres excellenti pulchritudine, eximia actionum venustate & gratia inducuntur in theatrum, quod maximum est irritamentum libidinis, & ad corrumpendos homines potissimum valet: Nimirum histriões cum studia omnia lucro metiantur, & ad quæstum omnia referant, ad multitudinem alliciendam, quam non ignorant aspectu mulierum & auditu maximè capi, omnes fraudes suscipiũt nulla honestatis cura. Vincit officium linguæ tanti sceleris commemoratio, eo amplius quod hæc etiam turpitudo suos patronos habet, non quosuis de populo, sed viros eruditionis & modestiæ opinione pręstantes. Quorum errori quoniam latius patet, & altas radices egit, mederi quãtum in nobis situm erit, hac disputatione conabimur. Neq; enim in tam malo statu res est, vt desint sanæ mentes quibus hęc turpitudo displiceat; & est principum munus resistere leuitati multitudinis & perditorum hominum temeritati. Neque ignoramus antiquis temporibus mulieres in scenã fuisse inuectas, quod primus Phrynichus tragædus fecisse

A traditur, vt muliebrem personam in scenam induceret, Gregorius Giraldus auctor. Et in floralibus ludis fœminæ nudabantur pudendis modo inuelatis. Alexander ab Alex. lib. sexto dierum genialium ca. octauo, sed vulgati pudoris & seruæ publicæ eæ erant, præterea nostræ religionis expertes, vti leges variæ indicio sunt, prɇsertim in C. Theodosij lib. XV. tit. VII. de scenicis l. I. II. IV. & VIII. &

B IX. Tertullianus lib. de spectaculis c. XVII. *Spurciciam per mulieres in scena repræsentari* ait, *& prostibula publicæ libidinis hostias in scenam proferri perditas fæminas*; quas insigni impudentia corpora etiam nudasse, omnemque ætatem obiecta specie libidinis expugnasse passim atque corrupisse, sua quoq; ætate Chrysostomus multis locis accusat, ac præsertim ho-

C milia sexta extrema ad secundum caput Matthæi lõga oratione inuectus in spectaculorũ vanitatem. *Deinde,* inquit, *quale illud est, cum in plateis nudam fœminam nolis aspicere, imo neque domi quidem, sed etiam si id forte cõtingat in iniuriam tui factum putes: cum verò ascendis theatrum, vt violes vtriusque sexus pudorem obtutusq; proprios pariter incestes, nihil tibi inhonestum*

D *credas accidere? Non enim istud dicas, meretrix est, sed quia natura ipsa est, idemq; corpus & meretricis & liberæ. Si enim nihil esse opinaris in tali re obscænum, qua gratia cum idipsum in platea videris à cœpto resilis incessu et inverecundiam seuerius exagitas? nisi forte credis eãdem rem non similiter esse turpem, cum separati sumus, & cum congre-*

E *gati omnes vna sedeamus.* Hactenus Chrysostomus. Nudas quidem in nostra theatra mulieres prodire nõ arbitror, tametsi qd in hoc genere inaudiebam, nõnunquam in ipsa actione nudari, certè tenuissimis vestib⁹ indutas prodire, quibus membra omnia figurantur, ac fermè subijciuntur oculis. Mulieris verò aspectu pulchræ & ornatæ, prætereà gest⁹ & verba in mollicìem fracta adiungentis, quid potẽtius esse possit ad illiciẽdas

1.Tim.2.12 2.Reg.11.2

animas, atque in sempiternam mortem impellendas inflammandasque ego sanè nō video. Mulierem in Ecclesia docere Paulus vetat, ne vox eius audiētes moueat ad libidinē. Sic Anselmus interpretatur: & erit qui sibi & alijs securitatem ab eo periculo polliceatur? Dauidem Prophetam sanctissimū aspectus fœminæ in multa mala præcipitem dedit; & erit qui ab ea peste se satis tutum putet? ludus inquiunt, est, sed lud⁹ ille ad vera peccata trahet seriaque mala. Mulier in platea obuia curiosius intuentem sępè capit; quid ijs putemus contingere qui tanto studio mulieres scenicas spectandi ad theatra currunt? & certè diuina lege præscribitur, Matth. 5. cap. *Qui vidit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo*, & Iob ca. 31. ait: *Pepigi fœdus cū oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine*. Nimirum oculis ne cogitet præscribit: quoniam ex aspectu cogitatio sequitur; nequē fas est aspicere quod concupiscere non licet. Num in fornace incensa aliquis euadat incolumis? atqui theatra Babylonica fornace magis incēsa sunt subdente cacodæmone malleolos, excitanteque flammas, turpes cogitationes & cupiditates, tum ob alia, tum ex aspectu & auditu muliebri concitatas, & est ignis potentior qui mentes quam qui corpora depascitur, eo calamitosius, quod qui cōburuntur nihil sentiūt, alioqui nō riderent, sed lachrymis lætitiam mutarent, & est genus infortunij grauissimum, calamitatem putare delicias, quod Chrysostomus ipse copiosius disputat homilia octaua, de pœnitentia initiò. Multum mihi de sua constantia fidere videntur, qui prudentes volentesque in ea se conijciunt pericula, sibique incolumitatem in tantis laqueis pollicentur; aut quod verius puto vilem habent animam suam, eamque minoris multo quam corpus faciūt, quod vt tueātur, maiorem profectò cautionem adhibent. Verùm sit hæc communis vulgi calamitas, vt humana cælestibus, temporaria sempiternis potiora habeant. Illud miror homines prudentes ad eam vanitatem rapi, atque spectaculis sitienter incumbere: neque considerare suo exemplo minores in eundem interitum trahere. Præterea eo non cōtenti malo, communi amentiæ patrocinium præstant, vt sine reprehensiōe peccare videantur. Negant spectacula hæc ex sese ad prauitatē ferre, sed abusu hominum, quem si præstare debeamus, solem ipsum de medio tollere necesse esset, quę est enim sub cælo res, quę ars, qua hominum malitia non abutatur, ad prauitatemq; conuertat. Quod argumentum quoniam alio loco recurret, nunc prætermittendum est, & quod addūt copiosius explicandum, aut comœdias in vniuersum abdicandas, aut mulieres si non velint, vltrò inuitandas vt fabulas agāt; maiori enim periculo pueros elegantes induci veste muliebri & ornatu, quo aspectu ad præposteram atque nefariam libidinem spectatores solicitentur, quod flagitium diligentius cauendum disputant, non immeritò sanè; quid enim ea fœditate turpius exitialiusq; est? Itaq; in templa etiam turpes has mulierculas induci iubent, inducūtque. Quod his annis non semel factitatum est in augustissimo Hispaniæ templo, & eius exemplo in alijs tota prouincia, quod horrescunt audire aures, de quibus rebus egerint, piget pudetque dicere. Nimirum velamen malitiæ quærunt, aliud agunt, aliud agere videri volunt. Deus immortalis, in hoc argumento quanta præterea vitia insunt? Primùm per mulieres non muliebres personæ, sed militum etiam, lenonum, seruorū aguntur. Deindè Hispanorum nationi suspicio criminis imponitur, à quo natura abhorret (paucos excipio) siue institutione recta, siue ob diligētiam & seueritatem magistratuum. Et nos in prouincijs quibus id malum viget, scimus sæpè pueros nullo discrimine in scenam prodijsse, variasque

personas, vt res se dabat, cum dignitate elegantiaque actitasse. Cupiditas autem muliebris sexus latius patet, maioresq; multo impetus habet, non solùm in corruptissimis hominibus & prauis, quales sunt q puerorum amoribus indulgent, sed in alijs etiã viris aliqua probitatis & modestiæ laude conspicuis. Deus enim, vti Basilius ait lib. de virginitate initio, cum cõderet animantes in vtrumq; sexum distinctas, æstrum mutuæ cupiditatis inseruit corporib. inter homines maximè, qua se inuicem appeterent & mutua cõiunctione gauderent, maiorẽ multo in viro; nam fœminã imperio viri & potestati subiecit, quippè de eius latere formatã velut partem obedire toti sanxit, viru autem quasi cicurauit fœminæ desiderio & amore, feritate & robore tẽperato. Diligit enim eam vt propriũ membrũ, & per cõmixtionem quasi sibi iterum vnire satagit. Sic fœmina in se quãdam virtutem habet mirãq; potestatem trahendi ad se virũ, non secus ac magnes cũ ipse non moueatur, ferrum ad se rapit, quo factum vt fœminæ corpus & partes gratiores sensibus quàm viri sint, mollis, candidæ, acuta voce & suaui, decentissimo oris & toti' corporis habitu. Neque temerè de viro nõ autem de fœmina dictum est, Genes. cap. secundo vers. 24. *Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Mouentur quidẽ viri magis mulierum aspectu: sed & fœminis periculum è contrario imminet, si viros aspiciant præsertim nudos. Quod secutus Augustus ab athletarum certamine muliebrem omnẽ sexum submouit, vt Suetonius in eius vita ait, cap. XLIV. Contra hanc potentissimam cupiditatem pugnare debent quicumq; pudicitię dignitatem consequi student, nunquam interrupto vsq; ad vitæ finem certamine. Quod an ij faciant qui tanto studio ad theatra cõcurrunt, pius & modest' lector considerabit. Hoc igitur primum & maximũ incõmodum ex hac theatrali licentia existit: sed & alia subijcienda sunt. Fœminas scenicas quæ histriones consectantur & adiuuant, forma esse venali, qui enim tot viris procacibus & ociosis circunseptæ dies noctesque pudicè viuant? miraculi instar esset maioris profectò quã si ignis ardeat in aqua: & ex turpi quæstu plerumque raptæ, siue coniunctæ connubio histrioni vnicuipiam ex eo infami comitatu, siue quod sæpius accidit stupri consuetudine cum aliquo deinctę posito amplius in theatro pudore ad ingeniũ redeunt, & vulgato inter plures corpore omnibus exitium afferunt, suisq; artibus multos demẽtant, quod Circes faciebat herbis & cantibus, hoc est, arte meretricia homines vertens in feras. Scimus superioribus annis, in quadam horum hominum societate à iudice, quod ex ipsius ore auditum est, vnam quampiã ex hoc grege, quæ Magdalenæ personã sustinebat, deprehensam turpi consuetudine iunctam esse cum eo histrione qui Christum Dei Filium voce, gestu, habitu repręsentabat. Insignem fœditatem, atque eo maiorem quod magno populi plausu audiebantur, sæpeq; spectatoribus excutiebant lacymas. Neque id genus turpitudines quæ multæ existunt, & passim exempla offeruntur, vindicari possunt, cum nullis certis sedibus per oppida & vrbes histriones errent vagi & inconstantes maiorique libertate peccandi. Deindè aspectu earum mulierculaculrum concitati iuuenes otiosi & perditi, quorum magnus numerus vbique est, quid non faciunt, quas fraudes non suscipiunt, vt incensam cupiditatẽ expleant? Scimus sępè agmine facto ex composito eas mulieres rapuisse ad libidinem, detraxisseque histrionib', vnde rixæ graues, vulnera & cædes extiterunt iuuenibus inter se de præda, & cum histrionibus ferro certantibus. Neque dubium est sæpè eos iuuenes, ex alijs in alia oppida migrare contemptis parentibus, & re familiari præ amore earum

mulierculárum cæcos amentesque in ferrum flammamque irruentes, neque cessantes donec consumpta illæ pecunia vacuos domum exsuccosque remittunt. Nam sæpè maritis ipsis patientibus ad turpem consuetudinem admittuntur, cum omnia quæstus causa pati decreuerint, & lucri cupiditate ingentes fraudes ignominiamque in omni vita suscipiant. Certè histriones alij lenonum partes implent, suam operam perditis iuuenibus carissimè venditantes in singulas preces maiora dantibus munera. Præthereà oppidatim copiosa materia oblata lenæ suas artes exercent eas mulierculas illiciendo, viros promerendo, qui earum cupiditate inflammantur. Omninò turpissimum est cum per medias plateas, in ipsis hospitijs adolescentes nobilissimi nulla decoris cura eas fœminas comitantur, latus stipant, non secus atque incensa libidine canes, aut equi hinnientes visa equa, ad quam prurientes libidine post partum ardenti cupiditate rapiuntur feroces & rapidi, nulla fræni, aut sessoris cura, ne fustis quidem tergus quamuis verberantis. Quæ probra qui digna non putat, quæ omni studio depellantur, ferreus sit, & communi hominum cæterorum sensu rationeque destitutus. Sensere Imperatores periculum, cum fidicinam nulli licere, vel emere, vel docere, vel vendere, vel conuiuijs, aut spectaculis adhibere sanxerũt. l. fidicinam libr. XV. tit. VII. de scenicis in codice Theodosij, sensit August⁹ qui Stephanionem histrionem, cui in puerilem habitum circuntonsam matronam ministrasse compererat (in scena scilicet) per terna theatra virgis cæsum relegauit. Suetonius in eius vita cap. XLV. num minori cautione & seueritate hac nostra ætate sit opus in tanta morum labe, tot vbique deprauatoribus?

(.·.)

CAP. IX.

Theatra non esse publicè histrionibus designanda.

PER partes exequi disputationem volumus priusquam de summa agatur; atque de quo sæpè dubitatum est nouo facto principio explicare, num certam sedem histrionibus, domum, aut theatrum extruere expediat rebus communibus & priuatis, pręsertim tributo imposito (ea enim species obtenditur) vnde inopes alantur, aut quod in alias publicas vtilitates impendatur. Sit ergo hoc disputationis exordium. Mansuram theatri sedem alta cogitatione conceptam, mirabili magnificentia, exquisito opere primus Romæ Cn. Pompeius extruxit, nam antea scena ad tempus ex materia facta, & subitarijs gradibus vtebantur, tanta certè ex eo opere populi gratia & plausu, vt quod neque triumphi de victis hostibus parti, neque res aliæ præclaræ in pace gestæ, neque generis nobilitas & potentia pepererunt, Magni cognomen ex ea fabrica accesserit, vti Cassiodorus affirmat libr. quarto epistola vltima, cum de theatro Romæ restituendo ageret. *Vnde*, inquiens, *non immeritò creditur Pompeius hinc Magnus fuisse vocitatus.* Quo allusit acutissimè, Tertullianus lib. de spectaculis cap. X. cum dixit. *Itaque Pompeius Magnus solo theatro suo minor*, & quæ sequuntur. Id fuit multitudinis iudicium, quæ paleæ instar leuissimæ in omnes partes circunfertur, & voluptatis cupiditate cætera vitæ studia metitur. Nam prudentiorum magnæ partis reprehensionem incurrit, vnde laudem captabat, eiusque rei varia fama fuit, vt cunctis ferè nouis rebus accidit; laudabãt multi accusabant alij. Sic docet Tacitus lib. XIV. productis vtriusque partis argumentis, quæ à nobis hoc loco summa colligẽda sunt. Multitudinis

ignauiam

ignauiam augeri dies totos in theatro cõtinuãtis seueriores accusabãt: A sedendo in theatro (nam antea stantem populũ spectauisse) aboleri paulatim patrios mores p̱ lasciuiã, gymnasia & otia & turpes amores exercendo principum exemplo, quæ maxima pernicies est. Suaui oratione & carminibus fractos ad modos decantatis eneruari animos & pollui. Diebus adijci noctes cœtu promiscuo, & B ex vtroq; maiore peccandi cõmoditate, atq; hæc in hanc partẽ argumenta profert. In alteram quibus licentia placebat, quæ semper maior pars est, pluribus argumentis vtebantur. Maiores ab spectaculis non abhorruisse pro fortuna vrbis q̃ tunc erat: à Thuscis histriões acciuisse, alios ludos ab alijs p̱uincijs. Neminem Romæ honesto loco natum ad theatrales artes degenerasse totis ducentis annis, ex C quo primum ij ludi fuerant in Vrbe cõmissi à L. Mumij triumpho. Cõsuli parsimoniæ p̱petua sede locata, nec nouo quotannis sumptu repetito. Populo efflagitandi alia certamina causam non fore scenicis ludis contento. Oratorum & vatum victorias incitamẽtum ingenijs fore. Demum neque iudicibus, alijsq; Patribus graue fore aures tantisper ijs voluptati- D bus dare. Neque vllo insigni probo, aut facinore id spectaculum eatenus fuisse fœdatum. Sic antiquis temporibus disputatum est, cum nondũ Euangelij lumẽ mentes hominum illustrasset, neq; ijs legibus cõtinentiæ & pudicitię, quib⁹ nostra natio, adstringerẽtur. Vt quod in ea temporũ fœce, & morum labe dubitatum est, no- E bis pro certa lege esse debeat, nequaquam populi Christiani moribus & sanctitati conuenire, vt per vrbes & oppida, certa perpetuaq; sedes histrionibus detur, eaq; libertas & frequẽtia ludorũ quę ex ea theatri structura necessariò sequeretur. Quod subiecta argumenta magis etiã confirmabunt. Primũ enim facto theatro præsertim cellulis additis, vnde honesta conditione viri, & fœminæ spectent (de quo Toleti agitatum, susceptaq; his annis deliberatio est, Salmãtiæ & Madriti vsurpatũ) occulto aditu ne ab alijs videantur, occasio manifesta prębetur honesta conditione viris & fœminis inter se liberè cõueniendi, præsertim domus aut theatri magistro venali; nã qui emit magno vendat necesse est, omnem licẽtiam quæ ab illo flagitare homines perditi poterunt, fietque ex theatro Lupanar multo exitialius quam alia. Sic enim Romanorum tempore, vti Isidorus ait, theatra *Lupanaria*, vocabãtur lib. XVIII. Etymol. cap. LII. quod ad ima theatra in cellulis, fornicibusq; prostituti pudoris mulieres habitarent magna mercede: cum incensam spectaculi turpitudine libidinem continuò perditi in eas iuuenes despumarent. Sic fiet vt nulla sit pudicitia virginis aut nuptæ, quæ non facilè ea theatri commoditate polluatur & corruat, nullo qui retineat quo minus liberè ad spectaculum eant, quibus locis alijs omnis licentia præcisa erat custodia multorum septis omniumque in eas oculis coniectis, sublata opportunitate occulti cum amasijs congressus. At puellas custodire difficilè est, nisi se ipsæ custodiant, acutè Alexis poëta Græcè dixit:

Οὐκ ἔστιν οὐ τεῖχος, οὐ χρήματα
Οὐτ' ἄλλο δυσφύλακτον οὐδὲν ὡς γυνή.

Quod Ouidius latinè verbis alijs nõ minori elegãtia expressit his verbis:

Dure vir imposito tenera custode puella
Nil agis; ingenio quæque tuenda suo est.

Rectè hæc: nisi sciremus multa scelera oblata occasione perpetrari, quæ ea sublata non fierent, adulteria, cædes, peculatus. Est sanè difficilè corruptam animo fœminam continere, nullumque reperiri conclaue potest tam abditum atque obseratum in quod nõ felis & adulter penetrẽt, vt quidã alius poëta Græcus ait. Verùm ne corrumpantur animo multum sublata licentia & sermonis cõmercium prodest; & vt maximè deprauatus sit animus, si vitari prorsus

peccata nō possunt, efficitur certè vt minus sæpè & minori populi offensione committantur. Atque de primo argumento hactenus. Alterum est frequētiores fore ludos perpetua sede publicè designata, quàm omninò sit opus alliciente ad ludendum spectandumque loci opportunitate, & præfectus cum magno domū eam aut theatrum conduxerit, histriones vndique conquirat necesse est, nullumque diē elabi sine ludo patiatur, diebusq; noctes continuet, q̄ magna pernicies esset. Iuuenes enim & adolescentes contempto patrū imperio, atque re familiari, auelli ab ea vanitate nulla arte poterunt, excitabit in dies auiditatem audiendi grata spectaculi nouitas. Opifices & agrestes, quorum res fidesque in manibus sitę sunt, relicto opere quotidiano frequentabunt ea loca, quanta cum calamitate familiæ dicere non attinet, res ipsa loquitur, eo ampliùs quod otio & desidiæ deditos ad laborem reuocare si velis, næ tu multum laborabis, neque tamē multum proficies. Famuli à debito heris obsequio auocabuntur, nihil impediēte plagarum metu præ auiditate audiendi, domi rapiēt vnde scenæ pretium soluatur. Fœminę pudore posito, domusq; cura spreta auidissimè cōcurrent, quod scimus hoc tempore factitari, sæpeq; ante meridiem domos relinquere, vt vespertinæ fabulæ spectandæ locū opportunum capiant; vnde rixæ & iurgia domestica extant, cōcitanturque per domos. Et est pudicæ fœminę se limine continere nisi res necessaria compellat, quod fabulę cōmento Phidias statuarius adumbrauit cū Iunonem coniugij pręsidem testudini insidiētem depinxit, quod animal lentè mouetur, & voce caret, cū contra Salomon Prouerb. 7. capit. meretricem depingens, *garrulam* esse dixerit & *vagam*. Missos facio viros graues ætate nobilitateque, aut ex ordine sacrato, quorum si hoc tempore aliquis numerus concurrit magno suo & vrbis dedecore, quid futurum putamus, si certū theatrum ponatur in plures partes distinctum, vnde singuli pro conditione & dignitate spectare possint non vno omnes aditu admissi redditique, quam magnam turbam eius conditionis hominum fore credimus? detestabilis stupitudo, sed tanti voluptas erit. Deindè histrionum numerus, qui his viginti superioribus annis maior multo quam solebat est fact⁹, extructo certo theatro per vrbes & oppida immensum augebitur, pondus iners reipublicæ atque inutile, cum sint eneruati voluptatibus; lucri enim spes & auiditas multos excitabat vt se scena polluant voce & firmitate laterum valentes, qui ingenium & vires corporis potuissent ad meliora studia conuertere, rempublicamque bello, aut pace alijs artibus adiuuare, neque enim sine magno numero poterunt tam multis theatris & frequētiæ maiori ludorum, qualem fore diximus, satisfacere. Ipsique præfecti adolescentes etiam honesto loco natos ad scenicas artes seducent lucri auiditate & vectigalis, quod pendere debent necessitate compulsi. Labor omnia. Sed certè magnam pecuniæ vim id genus homines, à quibus minimè oportebat corradent varijs artibus, pretium pro loci commoditate augentes sediliaque, quod iam faciunt, noua mercede locantes, alijsque artibus quarum peritia valent, omnesq; vias norunt redigendæ pecuniæ, & pecuniæ causa omnia faciunt. Postremò num iuuenes ex his peruigilijs & baccanalibus, aut strenuos milites, aut bonos senatores fore credimus? discent illi quidem tam frequēti ludorum inspectione amare, rixas & iurgia miscere idonei erunt; frigoris & inediæ iniurias, armorum pondus, alias molestias sustinere, quí poterunt? cū totos dies residere in theatris cōsueuerint, quo tēpore aut equos calcaribus incitare, & flectere cū dexteritate potuissent, aut iactu & sagittis certare, aut alia ratione vires corporis exercere certè

pacis

pacis artes commentari. Et quidem oblectatiões moderatæ esse debent, neque tales quæ vires eneruent, animũ frangant, sed quoad fieri poterit verarum virtutum prçludia, meditationesq;. Magni enim refert quib. voluptatibus à tenera ætate assuescant iuuenes, quippe à primis annis magna ex parte cætera pendent. Nam si magno vectigali sublato theatro rẽpublicã priuari accusent, risum tenere nõ potero; neq; enim tãti lucrũ esse debet vt mores populi & religio negligãtur. Verũ ita res habet. Cũ superiorib. annis generale hospitiũ infimę egenorũ plebi, qui aliena ex misericordia viuunt, alendæ de publico in quibusdã ciuitatib. Hispaniæ pararetur, neq; facilè via se daret ad eos sumptus tolerãdos, viderẽt aũt multas histrionũ societates vniuersa ꝓuincia vagari, pecuniasq; corradere vndiq;, quibusdã viris prudentib⁹ fore è republica visum est, si partẽ eius lucri ad alẽdos egenos cõuerterent, publica domo aut theatro cõstituto, magnoq; alicui locato. Sic enim futurũ cogitabant, vt & inopũ miseriæ succurreretur, & mulcta illa histrionũ licentia cõprimeretur, præsertim additis legib⁹ & inspectoribus, q scelerũ materiã auferrent, modestięque curã gererent: consilium sanè præclarũ, si facta cogitationib. respõderent, aut verò vllis legib. satis frænari posset histrionum prauitas, vanitas spectatorũ, nimirũ nulla res tam praua est, cui non species honestatis possit obtendi. Et mihi ij homines Magni Pompeij factum imitari voluisse videntur: Is enim vt reprehensionẽ euaderet, quasi theatro constituto turpitudinis officinã instruxisset, Veneris templo theatrũ quasi appendicẽ adiũxit, religionis sanctitate nouam structuram velatur⁹. Sed præstat ipsa Tertulliani verba subijcere. *Itaq;* inquit, *Pompeius Magnus solo theatro suo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum extruxisset, veritus quandoq; memoriæ suæ censoriam animaduersionem, Veneris ædem superposuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupauit, cui subiecimus,* inquit, *gradus spectaculorum. Ita damnatum & damnandũ opus, templi titulo prætexuit, & disciplinam superstitione delusit.* Sic Tertullianus. Ergo Pompeij imitatione cum hospitio theatrum iũgant, quo maius lucrum sit, vti Salmanticæ in tantæ eruditionis luce factum scim⁹. Et ipse mirabar quæ à maiorib⁹ euersa sunt theatra, certè neglecta conciderunt, à nobis studiosè reponi, idq; pietatis specie. Neque enim similes prętextus maiores nostros fugerunt, neque minoribus necessitatibus respublica tunc erat implicata, si credidissent fas fore ad hæc subsidia confugere, vt satius putem generalibus hospitijs carere, neq; de publico pauperes alere, quam tãtis incommodis & periculis rempublicam implicare. Sæpè à Censorib. Romæ euersa theatra idem Tertullianus ait capit. X. de spectaculis, quasi morum certissima à lasciuia labẽ, & erit in populo Christiano hac ꝓfessione sanctitatis qui restituenda contendat? vincit rei indignitas orationis facultatem, neq; excuses nostra theatra non esse conferenda cum antiquis neq; maiestate operis, neque ludorum apparatu; turpitudinem loci accusamus non structuræ modum, riuus tenuis naturam cõtinet fontis vnde manat, surculus arboris, vbi coaluit, succum habet. Per omnes penè ciuitates cadunt theatra, inquit Augustinus libr. I. de cõsensu Euang. c. XXXIII. caueæ turpitudinum & publicæ professiones flagitiorum; Et nos ea instauranda contendamus?

CAP. X.

Histriones à mysterijs arcendos esse.

Histriones ignominia infamiaq; notari manifestũ est ex l. 1. ff. de his qui notantur infamia, cuius legis

hæc verba sunt. *Infamia notatur q ab exercitu ignominia causa, ab Imperatore, eove cui de ea statuendi potestas fuerit, dimissus erit. Qui artis ludicræ pronũciandi ve causa in scenã prodierit, qui lenocinium fecerit*. Ergo histriones in scenam prodeũtes inter infames numerãtur, sed ita, si in publicam scenã semel saltẽ & iterũ prodeant, & in fabula de reb. obscenis agatur, sic enim verba eius legis viri docti interpretãtur, & tẽperant eam seueritatem, Panormitanus in explicatione capitis, cum decorẽ, de vita & honestate clericorũ, & Syluester in summa, verbo infamia, nu. IX. Neq; refert in præcipuis argumẽtis obscœnitas versetur, an in intermedijs actibus, ipsisve cantilenis ad modos obscœnos & turpes decãtatis, aperteq; aut oblique turpitudinẽ indicãtib⁹, vtrũq; enim æque turpè est, paremq; perniciem affert, neq; minus incendium excitat in auditorũ animis excitata memoria turpitudinis quàm aperta cõmemoratio, eò amplius quod ex insidijs illatũ vulnus difficilius vitatur. Sic Romani veteres genus id hominũ non modo honore ciuium reliquorum carere, sed etiam tribu moueri notatione censoria voluerũt, vti Augustin. Ciceronis verbis ait, lib. II. de ciuit. cap. XIII. Quod si histriones qui eiusmodi sunt, infames habentur, peccato mortali sint obnoxij necesse est; neq; enim tam graue suppliciũ innocentibus imponeretur aut leuiter peccãtibus. quod si artis sordes & ludibriũ notari quis putat, cur baiuli, lanij, carbonarij, alieq; sordidissimę artes nulli subijciuntur infamiæ? Accedit huc cęteros, qui ea lege inter infames ponuntur, graui oẽs noxæ teneri, lenones, raptores, præuaricatores in iudicio, alijq; omnes, quid ergo causæ sit cur histriones à cõmuni lege exemptos, innocẽtesq; esse faciamus? Præsertim cum is infamis dicatur, cuius vita & mores reprobantur, vt colligitur ex glossa, ff. de in ius vocatis l. sed si hac lege. §. prætor. Obijcit tamen non nemo, atque nostram sententiam, quæ aliorum communis est, refellit dupliciter. Primùm quod ea l. ff. de ijs qui notantur infamia multi numerantur inter infames, quorũ nullum peccatum accusare licet, *vidua* nubens denuò antè præfixum legibus luctus tẽpus, *coniugium* contrahens inuito eo sub cui⁹ potestate degit, præterea *milites imbecilles*, seu pusillanimes, sed cur nõ potius *ignauos* dixit, quos graue crimen designare certum est, siue professione artis, cui erãt impares, siue desertis castris præ metu, aut alio quopiam facinore designato. Neque enim vulgarem infamiam qua vulgo notantur milites, iniuriam quam acceperunt non reponentes hoc nomine dignam putârim, alij qui in argumento sunt positi, cùm ea facerent quæ legibus erant vetita, peccare putabantur, dignique esse qui plecterentur, & nunc legibus commmutatis, seu potius iure Pontificio correctis cum peccato amota infamia est. Opponit deinde *histriones*, si honesta argumenta tractent, & ab omni turpitudine abstineant, nihil peccare & subijci tamen infamię. Ego verò cũ S. Tho. 2. 2. q. CLXVIII. art. III. ad III. existimo statuoq; commercio hominum inter se ludum esse vtilem, atque adeo artem quæ eo refertur concessam esse, neque histriones peccare, si finibus quos præscripsimus honestatis se contineant, quamuis venales sint, & lucri causa artem exerceant. Sed neque esse infames, absit enim vt quos vtiles esse facimus, eosdem ignominia inflicta reijciamus. A iudicibus quidem quodam præiudicio, seu præsumptione legis habentur infames, quoniam id genus hominum pecunię causa omnia facere, & quamuis turpitudinem suscipere præiudicatum habent. Si tamen aliquis exceptione vsus certis testibus confirmârit in omni actione honestatẽ retinuisse, nulla is profectò ignominia afficietur, fortassis etiam ad sacratum ordinem recipietur, cur enim minus quam cæteri ex sordidis artibus ad melio-

ra se conuertentes. Nam priori histrionum generi interdictum est ad sacros ordines assumi c. maritum, d. XXXIII. Neque id solum, sed can. Apostolorum XVIII. à sacris ordinibus repellitur, qui duxerit mulierem publicis spectaculis mancipatam. c. si quis viduam, secundo d. XXXIV. non propter artis sordes, vti glossa interpretatur, sed quia venali omnes esse corpore persuasum erat. Iidem à mysterijs, sacraq; Eucharistia arcendi sunt. c. pro dilectione. de consecratione. d. II. quo loco Cyprianus ab Eucratio rogatus, an histrio, qui nostris sacris imbutus artem eam, qua masculus frangebatur in foeminam sexu arte mutato, pueros docebat, tametsi ipse à theatro cessauerat: esset à communione fidelium repellendus? Respondet epistola LXI. nec maiestati diuinæ, neque Euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor Ecclesiæ tam turpi contagione fœdaretur. Quod si egestatem excusabat, Ecclesiæ sumptibus aleretur; si minus ea Ecclesia sufficiebat, certè Carthaginensis, cui ipse Cyprianus præerat, & quo eum transferri mandat. Ergo quod sæpè dixi, histrio obscœna agens, vt infamis & crimine obnoxius repellatur penitus à Sacramentis Ecclesiæ, nisi cessare velit, atque nisi mutatæ mentis sub mortem signa saltem dederit sepulturæ Ecclesiasticæ & funeris ex ritu Christiano honore carere debet, vti alij omnes manifesti peccatores XIII. q. II. c. quibus. Quare histrio quidam non ita pridem Tauri, quæ veteribus Sarabis in Vaccæis fuit, in ipsa actione repentè extinctus cum pugione districto amoris impatientia se velle perimere simulās, Iouem, Mercurium, Plutonemque inuocaret, non debuit intra templum sepeliri. Licet è socijs quidam excusabat in animo illum habuisse intra paucos dies cessare, & mutata veste monachum induere, quæ illis ciuibus vt contra facerent, stropha seu excusatio imposuit, quo loco ac censura digni sunt, non solùm qui apertis verbis turpia referunt, sed etiam qui obliquè & dissimulanter turpitudinem designant. Nam & olim Romanorum tempore turpissimi, quamuis histriones à verborum obscœnitate temperabant, quos nemo, vt arbitror, excusare velit, eò perniciosiores, quod si secus agerent, auditores facilè obscœnitate verborum à theatro fugarent. Atque huius generis esse statuo actores fabularum fermè, qui vulgo in Hispania versantur opera venali, apertè enim aut dissimulanter quasuis turpitudines in omni fermè actione obijciunt auditorum animis, lenonum fraudes, amores meretricum, virginum stupra, aliaque quæ commemorare non est necesse; eoque quasi turpitudinum maculis fœdatos, repellendos ab Ecclesia esse, & Sacramentorum sanctitate decerno. Ipse nunquam his scenicis ludis interfui, neque verò decere putabam, vt sacerdotes aut monachi fabularum auditione sacratum ordinem sugillarēt. Sed ea tamen cani referrique audiebam, quæ neq; ipse sine pudore scribere possim, neque alij sine tædio audiant.

CAP. XI.

De theatrali musica.

CVM multa insint in theatris, quæ ad corrumpendos populi mores & animos magnam vim habent, tum musici concētus in vtranque partem plurimum valent, siue ad informādos mores, instituendosque ad virtutem, siue ad deprauandum, de quib. quoniam frequens vsus est in theatro, hoc loco disputare constitui, atq; explicare nō modo ad oblectandum animos vim habere,

ſed etiam ad permouendos, varieque concitandos animi affectus, quibus humanæ vitæ conditio tota peragitur & conſtat. Et quidem voluptatis tantùm causâ muſicam inſtitui, quemadmodum ſomnus & potus ad reficiendas animi ac corporis vires, quidam exiſtimârunt. Neque dubium eſt magnam parere voluptatem; qui enim numeris conſtamus, quod arteriæ pulſus & alia multa, fœtus formatio in vtero, partuſque declarant, numeris etiam mirificè capimur, ſiue recitentur carmina, adſtricta oratio numeris mirè afficit inſtar aëris per anguſtias tibiæ compreſſi mentis ſenſibus carmine explicatis, ſiue modulatis vocibus varij animi affectus & motus exprimantur, incredibilem oblectationem capimus: eaque oblectatione non modo curæ mitigantur, ſed etiam feri, agreſteſque mores emolliuntur quaſi igne ferrum, quod Polybius lib. quarto declarat. Arcades, quæ gens in Peloponneſo erat, cùm propter cæli rigorem & triſtitiam aëris magnos labores in colendis agris ſuſtinerent, duritiam atque aſperitatem morum ex ijs laboribus prouenientem, muſicæ modis mites ac tractabiles reddidiſſe: eoque non ſolum pueros, verum etiam adoleſcentes atque iuuenes vſque ad trigeſimum annum in ea diligenter exercuiſſe, homines alioqui vitæ difficilis atque auſteræ; Cynethenſeſque, quæ pars Arcadiæ eſt, eo more priuatim contempto, ex morum feritate in maiora ſcelera & multas calamitates incurriſſe, quam muſicæ vim antiquiſſimi poëtæ fabularum commento ſignificârunt, cùm Orphei cantum feras demulſiſſe. Amphionis cythara per ſe lapides ad ſtructuram Thebani muri concurriſſe ex ipſis rupibus, & & lapicidinis auulſos nullo ſcindente aut mouente, dixerunt. Sed præter oblectationem ad affectus animi concitandos multum muſica valet, atque adeò vt memoriæ ſit proditum Timotheo ad Alexandri menſam canente, Orthium regem repentè in furorem actum, ad arma proſiluiſſe, continuoque mutatis modis reuocatum ad ſobrietatem. Quod vt quaſi mendacio confictam narrationem certè in maius auctam repudiemus, tametſi multa alia ſimilia commemorantur. & Plutharcus lib. de muſica extremo ſeditiones, morboſque graſſantes muſicæ præſidio non ſemel ſedatos affirmat; ex diuinis profectò litteris Dauide pulſante, Saulis regis mentem malis incurſibus furiatam, ad ſanitatem fuiſſe reuocatam conſtat. Diuino, inquis, numine, non humano præſidio; eſto, ſed quid prohibet affirmare animi anxietate, quæ ex atra bile concepta erat, muſicæ vi ſedata, minorem dæmoni poteſtatem fuiſſe ad Saulem vexandum, quod magni auctores exiſtimârunt. Quod ſi tantoperè affectus animi exprimit & concitat, moribus in vtranque partem informandis multum poſſit neceſſè eſt. Quid enim virtutes ſunt, aut in quo magis verſantur, quàm vt animi motus compeſcant? Vndè vitia oriuntur, niſi ex affectibus deprauatis, effræni cupiditate, inflammata ira, nimio timore, triſtitiave; atque cùm id veteres philoſophi haberent exploratum, in ciuitatum conſtitutione non parum referre exiſtimârunt, ſi legislator ad aliquam ſuæ prouidentiæ partem pertinere exiſtimaret, quali muſica vulgò in ciuitate vterentur. Itaque Plato ex Damonis ſententia nuſquã muſicæ modos mutari abſque maxima legum mutatione affirmauit, eoque magnam cautionem adhibendam, quali ciues muſica vtantur. Et ex eo Ariſtoteles libro octauo, Polit. à capit. quinto vſque ad calcem libri, de ea re ſuſcepta diſputatione negat ex tribus modis, quibus vulgò vtebantur *Phrygiam harmoniam* aut *Lydiã* puerorũ inſtitutioni conuenire. Sed *Doricam*, quoniam Phygia harmonia vehemẽtes motus habet.

habet. Lydia nimium remittit animum. Dorica constantior est, & morem virilem magis continet. Præstabit tamen ex Cassiodoro lib. II. epist. XL. & in propria disputatione de musica in quinque genera ex nominibus prouinciarum, vbi reperta sunt aqpellatione indita, musicam partiri. *Doricum Phrygium, Æolium Iastium, siue Asium, siue Ionicum, & Lydium.* Quæ genera modique Hemitonio inter se superantur, prius à posteriore, nimirum Doricum à Iastio, Iastium à Phrygio, Phrygium ab AEolio, & hoc à Lydio, sed & singulis generibus bini alij toni si addantur, hoc est Dorico Hypodorium & Hyperdorium, & cæteris eodem ordine quindecim omninò harmoniæ genera existent simili modo inter se comparatæ, vt prius à posteriori Hemitonio tantum superetur. Quorum rationem ex Cassiodoro lib. de mathematicis disciplinis, vbi de musica propriè tractat, licet perspicere. Nam ad affectus concitandos in hunc modum seruiebant. *Doricus* pudicitiæ æquabili harmonia & constanti, belloque conueniens erat. *Phrygius* pugnas excitabat & furorem, & quoniam deorum cultui adhibebatur, præsertim in Orgijs Bacchi *religiosus* dictus est. *Æolius* simplici ductu progrediẽs animum sedabat, somnumque conciliabat. *Iastius* varius erat: eoque intellectum acuere credebat, atque ad rerum cælestium contemplationem excitare. *Lydius* compellit remissione modorum & oblectatione nimia querulus dictus, quod querelis, vt arbitror, inter amantes seruiret, eo nomine præter cęteros modos musicos maximè infamis. Quæ sunt à nobis desumpta ex Cassiodoro & Apuleio floridorum lib. I. Porrò eam vim cõcitandi, mulcendive animi affectus, quam veteres eius temporis variis concentibus tribuebant, in nostris modis non vsque adeò experimur; ac ne satis quidem constat, quales illi concentus essent, & quibus modis hac nostra ætate respondeant. Inter Ecclesiasticos modos, quibus diuinæ laudes in templis decantantur, *Doricus* concentus primo tono respondere creditur, *Phrygius* tertio, *Ionicus* quinto, septimo *Lydius*, medijs interuallis veterum concentuum cæteri toni. Ipse varia carminum genera, præsertim Lyricorum esse cogitabam, quæ ad lyram decantata, & suis numeris, & vocis atque citharæ modis exactè respondentibus, prætærea sententiarum pondere vehementes eos motus in animis concitabant. Quæ vis hoc tempore magna ex parte excidit, nihilque minus nostros magistratus & principes solicitos habet, quàm ea cura, quali musica populus iuuenesque vulgò vtantur; vt mirari non debeamus, tantam morum labem in hac temporum fæce existere, atque adeò vitia omnia agmine facto, in ciuitates & oppida incurrisse nullo discrimine sexus, ætatis, aut conditionis; ac præsertim in leuitatem & turpitudinem incubuisse fractis passim modis musicis, maximè theatrali licentia concentu ad lasciuiam dissoluto: & quoniam turpia verba miscentur artificiosè composita ad fallendum certè dissimulanter & turpes cantilenæ ex triuijs, popinis, & lupanaribus desumptæ assimulatis modis in memoriam reuocantur, quæ certissima morum pernicies est, eò grauius malum, quod ex theatris in plateas & domos singulas rapiuntur turpitudine, quasi glutino memoriæ infixa. Detestabilis turpido, sed ita mores sunt, & cùm in populo Christiano nihil audiri deberet, nisi honenestum & sanctum diuini numinis laudes, atque heroum celeberrima facta, quod suo tempore factitatum in Palæstina Hieronymus testatur opifices & agricolas duros labores canendis Dei laudibus mitigasse; contra videmus contingere, vt per plateas noctu, per domos interdiu nihil aliud quàm Veneris laudes

ſonent magna ignominia populi Chriſtiani,& magiſtratuum eam curam negligentium magno Reipublicæ damno. Sed & in templa turpes eos modos ex vulgatis cantilenis irrupiſſe non parum ſæpè, vtinam negare poſſemus,qua in re ſenſu deficimus & verbis, vincit enim officium linguæ ſceleris magnitudo,tùm facientium deliniendi aures populi cupiditate: tùm maximè eorum qui tantum crimen & dedecus abire impune patiuntur,modeſtiæ & humanitatis,aut feſtiuitatis laudem colligentes ex probro cultus diuini & religionis Chriſtianæ. Itaque finem facio,ſi illud inculcauero muſicam theatralem certiſſimam peſtem afferre: corrumpere per ciuitates & oppida ſingulorum mores, inſtillare ſenſim prauitatem. Principes eam curam negligentes, quæ in præcipuis eſſe deberet, Reipublicæ malè geſtæ grauiſſimas pœnas viuos mortuoſque daturos: præcipuè cùm ad modos molles & fractos per ſe ad libidinem concitantes,verba turpiſſima addãtur numeris,& lege carminis magis etiam titillantia.

CAP. XII.

Quid veteres Patres de ludis ſcenicis ſenſerint.

VEterum ſcriptorum teſtimonia proferre certum eſt: & quæ fuerit eorum mens de ludis ſcenicis ipſorum verbis & oratione explicare. Quæ pars noſtræ diſputationis infiniti eſt operis & immenſi, vt ſi quis omnia velit congerere, diſputandi neque modum, neque finem inueniat. Nos tamen ex multis quæ ſuppetunt,pauca afferemus, & ſumma tãtum capita delibabimus hoc principio. Ludi ſcenici apud veteres, priuſquam ſe Dei filius hominibus in carne monſtraſſet homo factus, & ſua luce vagos & errantes in viam ſalutis induxiſſet, tripliciter erant vitioſi, nam dijs quos colendos ſuſceperant, & quibus vota in periculo nuncupabant, ea affingebant ſcelera & probra, quæ nemo modo honeſtus ſine pudore audiret. Incredibilis amentia,ſed tanta cæcitas erat. Præterea ludi & ſpectacula deorum nominibus conſecrata in parte diuini cultus erant, vt neceſſe eſſet ad theatrum & circum conuenientes aniliſſe, & inepta ſuperſtitione implicare, & reos æternæ mortis fieri. Poſtremo rerum & verborum turpitudine ad prauas cupiditates incitabant & ſcelera, & fictis ad vera crimina inflammabant oculis & auribus,quæ peſtis certiſſima eſt, prauitatem inſinuantes, eò potentius quod dijs auctoribus, quibus ſæpè turpitudines tribuebantur,peccare ſi non laudem, veniam mereri videbatur. Et quidem vel ſolo tabulæ turpis aſpectu homines inflammari ad ſimilia flagitia videmus. Sic ſe Chærea libidine incenſum ſtuprum virgini maiori audacia obtuliſſe apud Terentij Eunuchum ait his verbis.

——Virgo in conclaui ſedet,
Suſpectans tabulam quandam pictam, vbi inerat pictura hæc: Iouem
Quo pacto Danae miſiſſe aiunt quondam in gremium imbrem aureum.
Egomet quoq; id ſpectare cœpi, & quia conſimilem luſerat
Iam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi,
Deum ſeſe in hominem conuertiſſe, atque per alienas tegulas
Veniſſe clanculum per impluuium, fucum factum mulieri,
At quem Deum? qui templa cæli ſumma concutit.
Ego homuncio id non facerem? Ego illud verò ita feci, ac lubens.

Vides quemadmodum se concitat ad libidinem,& quidem quasi cęlesti magisterio, vti Augustinus ait lib.I. confess.cap. XVI. quod fabulis actitatis vehementius multo contingat necesse est. Ergò Patrum antiquorum testimonia ad hæc tria capita reuocabimus,& quasi classes, tametsi non ignoramus duo priora,Deos conuitio affici,& eorum numinibus ludos esse sacros, à nostris moribus abhorrere gratia seruatori nostro Christo, cuius luce tam densæ errorum tenebræ discussæ fugatæque toto orbe sunt. Postremum testimoniorum caput quod à turpitudine petitur, non minus ad nos pertinet, nec minus quàm veteres illi obstringimur, eò etiam magis quod Christiana professio maiorem exigit morum sanctitatem. Primus Tertullianus in Apolog.cap.XV.gentes accusat,quod in fabulis deos omni turpitudine fœdarent his verbis. *Cætera lasciuia ingenia etiam voluptatibus vestris per deorum dedecus operantur. Dispicite Lentulorũ & Hostiliorum venustates,vtrum mimos an deos vestros in iocis & strophis rideatis. Mœchum Anubim, & masculum Lunam, & Dianam flagellatam,& Iouis mortui testamentum recitatum, & tres Hercules famelicos irrisos.* Idem Cyprianus accusat epistola II. iuxta Pamelij ordinem. *Exprimunt,*inquiens,*impudicam Venerem, adulterum Martem, Iouem illum suum nõ magis regno quàm vitijs principem in terrenos amores cum ipsis suis fulminibus ardentem, nunc in plumas oloris albescere, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubescentium raptus ministris auibus prosilire. Quære iam nunc an possit esse qui spectat integer vel pudicus deos suos quos venerantur, imitantur:fiunt miseris & religiosa delicta.* Hæc Cyprianus elegantissime vt omnia. Eodem pertinet locus superius ex Arnobio adductus lib. IV. aduersus gentes extremo, vnde pauca verba repetantur opus est. Commemoratis enim varijs probris, quæ de alijs dijs ab histrionibus comme-

A morabantur, ne Iouem quidem notam theatricam euadere affirmauit his verbis. *Quin & in fabulis maximus ipse regnator poli,sine vlla nominis maiestatisq; formidine adulterorum agere introducitur partes, atque vt fallere castitatem alienarum possit familias matrum,ora immutare fallacia, & in species coniugum subdititij corporis simulatione succedere.* Augustinus II.

B lib.de ciuit.Dei cap.III. quantum nocerent moribus praua deorum exempla in scena recitata his verbis explicat. *Quis igitur in agenda vita non ea sibi potius sectanda arbitraretur,quæ actitantur ludis auctoritate diuina institutis, quàm ea quæ scriptitantur legibus humano consilio promulgatis? adulterum Iouem si poetæ falla-*

C *citer prodiderunt, dij hi vtique, quia casti, quibus tantum nefas per humanos ludos confictum est, irasci ac vindicare debuerunt.* Neque plura in hac parte afferre opus erit, si illud addidero non alia causa Platonem lib.X. de Iusto initio à sua republica poëtas,ac nominatim Homerum exturbandos censuisse, nisi quod dijs ea affingerent flagitia, quæ siue vera si-

D ue falsa essent, magnam sua turpitudine labem populi moribus afferre necesse fore prouidebat. Ad secundum testimoniorum caput transeamus. In quo Tertullianus vt antiquitate;ita commemoratione primas tenebit. Is cap.XXXVIII.Apolog. *Æque,*inquit.*spectaculis vestris in tantum renunciamus,in quantum originibus eorum, quas scimus de super-*

E *stitione conceptas cum ipsis rebus, de quibus exiguntur præterimus. Nihil est nobis dictu,visu,auditu, cũ insania Circi,cum impudicitia theatri,cum atrocitate arenæ,cum Xysti vanitate.* Idem copiosius exequitur, atq; elegantius lib.de spectaculis cap.IV.in hæc verba. *Igitur si ex idololatria vniuersam spectaculorũ paraturam constare constiterit,indubitatè pie iudicatum erit etiam ad spectacula pertinere renunciationis nostræ testimonium in lauacro, quæ*

diabolo & pompa, & angelis eius sunt mācipata, scilicet per idololatriam. Commemorabimus origines singulorū, quibus in cunabulis in sæculo adoleuerint, exinde titulos quorundam, quibus nominibus nuncupentur, exinde apparatus, quibus superstitionib. instruantur, tum loca quibus præsidib. dicentur, tum artes, quibus auctoribus deputentur. Si quid ex his non ad idolum pertinuerit, id neque ad idololatriam, neque ad nostram eierationem pertinebit, Et alia quæ in eandem sententiam magna eruditione, parique impetu oratio nis subiecit. Tertulliano Lactantius succedat interuallo non maximo proximus, ingenio facili, copioso, suaui. Is diuin. institu. lib. VI. c. XX. extremo. *Vitanda* ergò, inquit, *spectacula omnia: nō solum ne quid vitiorum pectoribus insideat, quæ sedata & pacifica esse debent, sed ne cuius nos voluptatis consuetudo deliniat, & à Deo atque à bonis operibus auertat. Nam ludorum celebritates deorū festa sunt: siquidem ob natales eorum, vel templorum nouorum dedicationes sunt cōstituti. Et primitus quidem venationes quæ vocantur, munera Saturno attributi sunt: Ludi autem scenici Libero: Circenses Neptuno. Paulatim verò idem honos & cæteris dijs tribui cœpit, singuliq. ludi nominibus eorum consecrati sunt, sicut Sisinnius Capito in libris spectaculorum docet. Si quis igitur spectaculis interest, ad quæ religionis gratia conuenitur, discessit à Dei cultu, & ad deos se contulit, quorū natales & festa celebrauit.* Idem in Epitome cap. de spectaculis. *Superest*, inquit, *de spectaculis dicere, quæ quoniam potentia sunt ad corrumpendos animos, vitanda sapientibus, & cauenda sunt totaliter, quod ad celebrandos deorum honores inuenta memorantur. Nam munerum editiones Saturno facta sunt, scena Liberi patris est, ludi verò Circenses Neptuno dicati putantur: vt iam qui spectat vel interest, relicto Dei cultu ad profanos ritus transisse videatur.* Hæc Lactantius, cui subijcimus primum Chrysostomum homil. XXXI. extrema in cap. IV. Matth. dicentem: *Dæmonum sunt non hominum secularia spectacula. Quare vos hortor, vt à sathanæ festis abstineatis. Nam si in idolorum templis nefas est ingredi, multo magis in dæmonum solemnitatibus.* Deinde Saluianum lib. VI. de prouidentia. Inter alia vitia quibus prouinciæ premebantur, & propter quę grauissimas calamitates ea tempestate inciderant, *theatricam insaniam* multis verbis accusantem. *Et nos itaque*, inquit, *dum inter turpia & dedecorosa ridemus, scelera committimus, & quidem scelera non minima, sed in hoc ipso pœnaliora, quia cùm videantur specie esse proba, rebus sunt exitiosis pestilentissima. Nam cùm duo sint maxima mala, id est, si homo aut seipsum aut Deum lædat, hoc vtrumque in ludis publicis agitur. Nam per turpitudines criminosas æterna illic salus Christianæ plebis extinguitur, & per sacrilegas superstitiones maiestas diuina violatur. Dubium enim non est quod lædūt Deum, vtpote idolis consecrata, colitur namq. & honoratur Minerua in gymnasijs, Venus in theatris, Neptunus in Circis. Mars in arenis, Mercurius in palæstris, & ideò pro qualitate auctorū, cultus est superstitionum.* Succedat Isidorus lib. XVIII. Etymolog. tribus locis eodem argumēto à ludis Christianos deterrēs. Primū cap. XXVII. *Ludi*, inquit, *Circenses sacrorum causa deorum, ac gentilium celebrationib. instituti sunt, vnde & qui eos spectāt, dæmonum cultibus inseruire videntur. Nam res equestris ante simplex agebatur, & vtique cōmunis vsus huius reatus non erat, sed cùm ad ludos coactus est, naturalis vsus, ad dæmoniorum cultum translatus est.* Deinde Circi partibus & ornamentis connumeratis cap. XLI. sic ait: *Dum hac spectatione deorum cultibus atque elementis mundialibus profanantur, eosdem deos atque eadem elementa proculdubio colere noscuntur.* Vnde animaduertere debes Christiane, quod circum numina immunda possideant: quapropter alienus erit tibi locus, quem plurimi sathanæ spiritus occupauerunt, totum

enim

enim illum diabolus & angeli eius repleuerũt. Postremò alijs ludorum generibus commemoratis,& spectaculorum eo epiphonemate concludit cap. LIX. *Proinde nihil esse habet Christiano cum Circensi insania, cum impudicitia theatri, cum amphiteatri crudelitate, cum atrocitate arenæ, cum luxuria ludi.* Deum enim negat, qui talia præsumit fidei Christianæ præuaricator effectus, qui id denuò appetit, quo in lauacro iam pridem renuntiauit, id est, diabolo, pompis, & operibus eius. Itaque si quis Isidori ętate ad circum aut theatrum ludos spectandi causa cõuenisset, eius quidem decreto violatæ religionis reus esset non minus, quàm si ad deorum templa concurrens, impia se superstitione polluisset, quod subit animũ admirari, quoniam Isidori ætate suscepta passim Romæ atque per prouincias religione Christiana nulli supererant Ethnici, cum priorum natione confusi, quemadmodum superiori tempore contigerat; quo mirum non erat deterrendis ab impiorum coetu Christianis, similia ab antiquioribus patribus dicta esse. Sed nimirum ea fuit antiquorum patrũ sententia, ea dicendi libertas, qua effectum est, vt toto orbe theatra non minus desererentur & corruerent, quàm ipsa deorum templa, vbi impio cultui propriè vacabant. Num nos ea per imprudentiam reponemus, quæ tanta diligentia à maioribus viris sanctissimis sunt euersa! Verum ad tertiam testimoniorũ classem accedendum est, à turpitudine histriones & ludos scenicos quasi noxios & exitiales accusantium. In quo numero Clemẽs Alexandrinus primus occurrit III. lib. Pædagogi cap. XI. prope finem inter alia quæ Christianis hominibus non cõuenire putat, amouendaque præcipit. *Prohibeantur ergò*, inquit, *spectacula & acroamata, quæ nequitia, verbisq; obscœnis & vanis temere profusis plena sunt. Quod enim turpe factum non ostenditur in theatris? quod autem verbum impudẽs non proferunt qui risum mouent scurræ & histriones? Qui autem ex vitio quod in se est delectationem aliquam perceperunt, euidentes domi imagines imprimunt. Contra autem qui his demulceri, & his affici nequeunt, in ignauis voluptatib. minimè prolabentur. Si dixerint enim pro ludo assumi spectacula ad recreandos animos: dicemus non sapere ciuitates, quibus ludus pro re seria habetur. Neque enim ludi sunt inanis gloriæ cupiditates, quæ ad morte afficiendum adeò sunt immisericordes. Sed neque vana studia, & inconsiderata ambitiones, & præterea suarum facultatum impensæ. Neque verò quæ his de causis excitãtur seditiones, amplius ludi sunt. Vano enim studio nunquam emendum est otium. Neque enim qui sapit id quod est iucundũ ei, quod est melius, prætulerit. At non omnes*, inquit, *philosophamur? Nunquid nec omnes vitã persequimur* (nempe sempiternam) *quid tu dicis? quomodo ergò credidisti? hoc est. quomodo Christianus es factus? nemo ex ea natione philosophiæ, id est, vitæ seuerioris præcepta aliena à suis morib. existimare debet, cui propositum est omnes huius vitæ amœnitates, & commoda nihili ducere præ studio eius immortalis vitæ, quæ est nobis omnibus in cœlo destinata, modo professionem ad vitæ huius finem tenentibus.* Arctius ait nouus Theologus promouere ad vitæ perfectionem homines erat propositũ, rectè; nisi spectacula cuiusuis Christiani ꝓfessioni contraria, & impudicitiæ gymnasia theatra esse affirmarẽt. Num pudicitiam, num professionẽ Christianam, eius seculi hominibus non etiam in nostræ ætatis conuenire affirmabis? Communia hæc omnibus Christianis sunt: neque excuses per exaggerationem dici, quod toties & tanta verborum asseueratione ab omnibus dicitur, vsq; eo vt in baptismo, quo loco baptizandus nunc dicit: *Abrenuntio sathanæ & omnib. pompis eius*, olim diceretur: *Abrenũtio diabolo, pompis, spectaculis & operibus eius*, nimirũ explicatione facta eius, quod *pomparum* nomine intelligebant, sic

Saluianus refert lib. VI. de prouidētia, sed vt sublatis theatris vox, spectaculis est sublata, ita nunc restitutis vt reponatur opus erit. Sed nimirum diem ex nocte, & ex niue atramentum faciat, qui Iudæis synagogas extruere fas esse dixit, & ex c. *consuluit*, de Iudęis confirmare est ausus. Sed omisso hoc nouo Theologo, quem ex nomine citare nō est opus, Tertullianus ęqualis Clementi, si nō antiquior recurrat, multus etiam in hoc argumento, quo ab impuritate maiores spectacula & theatra à nostris esse institutis aliena sanxerunt. Is lib. de spectaculis c. X. *Theatrum propriè sacrarium Veneris est. Hoc denique modo id generis operis in seculo euasit. Nam sæpè censores renascētia maximè theatra destruebant moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lasciuia prouidebāt, vt iam hinc ethnicis in testimonium cedat sentētia ipsorum nobiscum faciens in exaggerationem disciplinæ etiam humanæ prærogatiua.* Et cap. XVII. *Hoc igitur modo*, inquit, *etiam à theatro separamur, quod est priuatum consistorium impudicitiæ, vbi nihil probatur, quàm quod alibi non probatur. Ita summa gratia eius de spurcitia plurimum concinnata est; quam Attellanus gesticulator, quam mimus etiam per mulieres repræsentat sexum pudoris exterminans, vt facilius domi quàm in scena erubescant*, & alia quæ sequuntur multa in eandem sententiam. Ipsa etiam prostibula in scenam produci, neq; licere audire quæ loqui non licet. Eandem vanitatem Cyprianus exagitat epist. II. aut in veteri ordine lib. II. epist. II. *Conuerte*, inquiens, *hinc vultus ad diuersa spectaculi non minus pœnitenda contagia. In theatris quoque conspicies, quod tibi & dolori sit & pudori. Cothurnus est tragicus prisca facinora carmine recensere de parricidis & incestis: horror antiquus expressa ad imaginem veritatis actione replicatur, ne seculis transeuntibus exolescat, quod aliquando cōmissum est. Admonetur omnis ætas auditu, fieri posse quod aliquando factum est. Nunquam*

A *æui senio delicta moriuntur, nunquam crimen temporibus obruitur, nunquam scelus obliuione sepelitur. Exempla fiūt quæ iam esse facinorosa destiterūt. Tunc delectat in mimis turpitudinem magisterio, vel quid domi gesserit recognoscere, vel quid gerere possit audire. Adulterium discitur cùm videtur: & lenocināte ad vitia publica auctoritatis malo, quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, de spectaculo reuertitur impudica.* B *Adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum histrionicis gestibus inquinari? videre contra fœdus, iusq; nascendi patientiam incestæ turpitudinis elaboratam? Euirantur mares, omnis honor & vigor eneruati sexus corporis dedecore emollitur; plusq; illic placet quisquis virum in fœminam magis* C *fugerit. Inde laus crescit ex crimine & eo peritior quo turpior iudicatur.* Ex Cypriano Lactantius lib. VI. diuin. inst. c. XX. sumpsit, cùm non minori eloquentia theatra insectans, dixit. *In scenis quoque nescio an sit corruptela vitiosior. Nam & comicæ fabulæ de stupris virginum loquuntur, aut amoribus meretricum; & quo magis sunt eloquentes qui flagitia illa finxerunt, eo magis* D *sententiarum elegantia persuadent, & facilius inhærent audientium memoriæ versus numerosi & ornati. Item Tragicæ historiæ subijciunt oculis parricidia, & incesta regum malorū, & cothurnata scelera demonstrant. Histrionum quoque impudicissimi motus, quid aliud nisi libidines docent & instigant? quorum eneruata corpora & in muliebrē incessum habitumq; mollita impudicas fœminas inhonestis gestibus mentiuntur.* E *Quid de mimis loquar corruptelarum præferentibus disciplinam, qui docent adulteria dum fingunt, & simulatis erudiunt ad vera? Quid iuuenes aut virgines faciant, cùm & fieri sine pudore, & spectari libenter ab omnibus cernunt, admonentur vtique quid facere possint, & inflammātur libidine, quæ aspectu maximè concitatur: ac se quisq; pro sexu in illis imaginibus præfigurat, probātq; illa dum rident, & adhærentibus vi-*

bus vitijs corruptiores ad cubicula reuertuntur; nec pueri modo, quos præmaturis vitijs imbui non oportet, sed etiam senes, quos peccare iam non decet in talem vitiorum semitam dilabuntur. Similia superioribus Basilius Magnus oratione de legendis libris gentilium. *Oportet*, inquit, *nec oculos spectaculis, nec vanis præstigiatorũ ostentaculis tradere, nec per aures corruptricem animarum melodiam audire. Hoc enim musicæ genus seruitutis & ignobilitatis fructus parere, præterea libidinũ oculos acuere solet.* Sic Basilius, quid Augustinus? I. lib. de cõsensu Euang. c. XXXIII. *theatra* vocat *caueas turpitudinum, & publicas professiones flagitiorum.* De symbolo ad Catechu. lib. IV. c. I. *Deprehenderis enim & detegeris Christiane, quando aliud agis & aliud profiteris, fidelis in nomine aliud demonstrans in opere, non tenens promissionis tuæ fidem, modo ingrediens Ecclesiam orationes fundere: post modicũ in spectaculis cum histrionibus impudicè clamare. Quid tibi cum pompis diaboli quibus renuntiasti?* Tum Saluianus lib. VI. de prouidentia, quo solet orationis impetu. *De solis circorum ac theatrorum impuritatibus dico, talia enim sunt quæ illic fiunt, vt ea non solum dicere, sed etiam recordari aliquis sine pollutione non possit. Alia quippe crimina singulas sibi fermè in nobis vindicant portiones, vt cogitationes sordidæ animum, vt impudici aspectus oculos, vt auditus improbi aures, ita vt cùm ex his vnum aliquid errauerit, reliqua possint carere peccatis, in theatris verò nihil horum reatu vacat: quia & concupiscentijs animus, & auditu aures, & aspectu oculi polluuntur, quæ quidem omnia tam flagitiosa sunt, vt etiam explicare ea quispiam atque eloqui saluo pudore non valeat. Quis enim integro verecundiæ statu dicere queat illas rerum turpium imitationes, illas vocum ac verborum obscœnitates, illas motuũ turpitudines, illas gestuum fœditates? quæ quanti sint criminis vel hinc intelligi potest, quod & relationem sui interdicunt. Nonnulla quippe etiam maxima scelera incolumi honestate referuntur, & nominari & argui possunt, vt homicidium, adulterium, sacrilegium, cæteraq; in hunc modum: sola theatrorum sunt impuritates, quæ honestè non possunt vel accusari. Ita noua in arguenda horum turpitudinum probrositate res euenit arguenti, vt cùm absq; dubio honestus sit qui accusare ea velit, honestate tamen integra ea loqui & accusare nõ possit.* Hactenus Saluianus. Sed nemo acrius, neque maiori contentione spectacula quàm Chrysostomus accusat, vix vt vlla eius homilia eiusmodi reprehensione vacet. De Dauide & Saule tres Chrysostomi homiliæ extant, in prima extrema de spectaculis aut cursu equorum, quasi de re vana loqui ꝓhibet. Tertiæ magnam partem spectaculis insectãdis cõsumit, negans qui hesterna die ad spectacula iuerant, sacrę mensæ participes esse posse, nisi pœnitentiæ remedio consciẽtia expiata, affirmansque, qui accedunt ad spectacula mulierum cupiditate semper incendi. Sed præstat verborum partem subijcere. *Qui viderit*, inquit, *mulierem ad cõcupiscendam illam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Quod si mulier sponte, ac fortè in foro obuia, & neglectius culta sæpenumero curiosius intuentem cepit ipso vultus aspectu, isti qui non simpliciter, neque fortuito, sed studio & tãto studio, vt Ecclesiam quoque contemnant, & hac gratia pergunt illuc, ac totum ibi desidentes diem in facies fœminarum illarum nobilium defixos habent oculos, qua fronte poterunt dicere, ꝙ eas non viderint ad concupiscendũ? vbi verba quoq; accedunt fracta lasciuaque, vbi cantiones meretriciæ, vbi voces vehemẽter ad voluptatem excitantes, vbi stibio picti oculi, vbi coloribus tinctæ genæ, vbi totius corporis habitus fucorũ impostura plenus est, aliaque insuper multa lenocinia ad fallendos inescandosq; intuentes instructa, vbi socordia spectantium, multaq; confusio, & hinc nascẽs ad lasciuiam exhortatio, tum

ab his qui spectaculis interfuerunt, tum ab illis, qui quæ viderunt in spe- A ctaculis, pòst aliis enarrant. Accedũt huc irritamẽta post fistulas ac tibias, aliaque huius generis modulatio in fraudem alliciens, mentisque robur emolliens, illic desidentium animos efficiensque vt facilius capiantur. Etenim si hic vbi psalmi, vbi diuinorũ verborum enarratio, vbi Dei metus multaque reuerentia frequenter ceu latro quispiam versutus clam obre- B pit concupiscẽtia; quomodo qui desident in theatro, qui nihil sani neq; audiunt, neque vident, qui vndique obsidionem patiuntur per aures, per oculos, possint illam superare concupiscentiam. Quæ omnia an in spectacula nostri temporis, vbi impudicæ fęminæ producuntur, conueniãt, sedato animo lector consideret. Deinde hom. I. in Psal. 50. post medium C spurciloquia audiri, meretricis incessu & habitu molliri auditores, lædi aures, percuti mentem affirmat. Hom. II. in Psal. 118. ad finem, *non debetis*, inquit, *filij Ecclesiæ deprauari in vanitatibus spectaculorum*. Homil. de verbis Isaiæ vidi dominum, &c. ad medium. Perniciosa exempla inuehi in spectaculis ait, sæpeque monuisse, ne diuina mysteria cum dæmoniacis D miscerent. Pręterea hom. VI. in 2. caput Matth. à diabolo in vrbibus constructa fuisse theatra ad corrumpendos homines ait, hom. XXIX. in cap. 6. Matth. *scenicos ludos ciuitatis pestem vocat*, & hom. LXIX. in cap. 21. eiusdẽ Matthęi, *theatralem chorum malorum omnium fontem, scaturiginem ac fomitem*. Deinde hom. XV. ad populum E Antioc. ante finem, *theatra*, inquit, *fornicationem, petulantiam & omnem incontinentiam peperisse*. hom. XXVI. ad eundem pop. & hom. VIII. de pœnitẽtia, *theatra pestilentiæ cathedram, incontinentiæ gymnasium, luxuriæ officinam, impudicitiæ orchestram, Babylonicã fornacem vocat*. Postremo in caput Ioannis 4. hom. XXXI. extrema, *dæmonũ solennitates spectacula esse* ait, & hom. XLII. in Acta Apost. cùm theatrum comparasset cum carcere, & quædã de carceris squalore, luctuque dixisset, subiunxit. *At in theatro omnia contraria, risus turpitudo, pompa diabolica, effusio, insumptio temporis, & expensio dierum inutilis, concupiscentiæ absurda præparatio, adulterij meditatio, scortationis gymnasium, intemperantiæ schola, adhortatio turpitudinis, occasio risus, turpitudinis exẽpla*. Et post multa. *Magna* inquit, *mala theatra efficiunt ciuitatibus magna, & neque hoc scimus quàm magna. Quod nostris hominibus occinere licet, grauissimã cõmoda hos ludos conciliare, eò periculosiora, quod sensim immutari mores & peiores fieri non sentimus virginum pudorem imminui, iuuenes petulantes euadere, senes lasciuiam repetere, inde coniugia iniri infelicia, furta existere & peculatus, multaq; alia flagitia superiori seculo vix audita*. An non videmus, non consideramus quãta his annis morũ labes extiterit? His malis qui medeatur, nisi Deus nostros de cælo considerans & miseratus errores, amentiã insanabilẽ prouidi principes & magistratus, ex superioris temporis memoria & exẽplis facti cautiores, quæ vt seriò considerẽt, priusquam in alteram partem pronũtient, exoratos cupimus, neq; euersam tanto patrum labore vanitatem inuehant in remp. Christianã; populi aut suis ipsorum cupiditatib. & voluptatib. leuissimis cum exitio morum ne obsequantur.

CAP. XIII.

Quid vtroque iure ciuili & Pontificio sit de ludis scenicis sancitum.

MAiorum nostrorum excellenti sapiẽtia & sanctitate Græcis & Latinis litteris consignata consensu sententia pro lege esse deberet, ne nouis placitis mouerentur, quæ ab illis tanto studio stabilita sunt; mores nostros cum veteribus consentire, neq; ab illis degenerare consentaneum erat. Sed quoniam multi corruptores exi-

existunt temporibus mutatis, mores etiam mutari debere contendentes, age noua remedia tentemus, & præter dicta Patrum quid legibus fuerit sancitum tum sacris, tum profanis aperiamus: fortasse non canemus surdis, neque tantæ auctoritati resistere noui Theologi inducent in animũ. Inter Romanos quidem non solum ignominia notabãtur histriones, vti superius explicatũ est, neq; tantum à magistratibus & honoribus arcebantur ciuium reliquorũ, sed etiã tribu mouebãtur notatione censoria, quæ de moribus & fortunis vniuiusque fiebat quinto quoq; anno, vti Augustin. verbis Ciceronis refert lib. II. de ciuit. Dei cap. XIII. Nunc vide quàm sit indignum, quod nulli licebat ciui Romano histrionẽ agere, eiusq; feueritatis metu se ciues oẽs ad suã ætatẽ cõtinuisse Tacitus ait lib. XIV. id cõcedere homini Christiano, vt scenicas artes impunè exerceat. Itaq; longo tempore eum morẽ tenuisse consideramus, vt eas artes exercerent ad populũ oblectandum, qui alieni erãt à religione Christiana, quorum erat magnus numerus cũ cæteris, qui nostra sacra susceperant per prouincias confusus. Nam si quæ scenica mulier vel vir morbo desperata valetudine mente mutata ad nostra sacra transijsset, eos ad scenam reuocari, & turpem quęstum exercere vetatur l. I. de scenicis in C. Theod. scenici, inquiũt Imperatores Valentin. & Valens, & Grat. & scenicæ qui in vltimo vitæ necessitate cogẽte interius imminentis ad Dei summi sacramenta ꝑperãrunt, si fortassis euaserint, nulla posthac in theatralis spectaculi conuentione reuocentur. Idem præcipitur l. II. de ijs quæ ex scenicis natæ sunt, si honestè vixerint ad scenã pertrahẽdas non esse. Similia l. IV. l. VIII. & l. XII. continentur abstrahendas esse ab ea arte, quicunq; fuerint ex religione Christiana. Nimirum nostræ religionis honestati diligẽtius ea ætate quã nostra consulebatur. Porrò non omnibus diebus spectacula edere licuisse, certè Dominico & alijs præcipuis festis superius est declaratũ ex l. Dominico & l. nullus de spectaculis in eodem Theodosij C. Ad hæc inter iustas causas, ob quas vir vxorem repudiare poterat, illa erat, si Circensibus vel theatralib. ludis vel arenarũ spectaculis in illis locis, in quib. hæc assolent celebrari marito prohibẽte fuisset quę sunt verba legis cõsensu §. vir quoque C. de repudijs nimirũ lib. V. tit. XVII. l. VIII. Sic P. Sempronius Sophus vxori libellum repudij dedit, nihil aliud quàm se ignorante ludos spectare ausæ, vti Valer. Max. refert lib. VI. c. V. Pater etiam exhæredare poterat filium, qui se inter arenarios vel mimos sociasset, & in ea arte ꝑseuerasset inuitis parẽtib⁹, q̃ eius ꝓfessionis non essent. Quod non modo lege Imperatoria sancitum est in Authen. vt cũ de appellat. cognos. §. causas collact. VIII. tit. XII. sed etiã legib⁹ nostris partita VI. tit. VII. li. V. Deniq; histriones à Tiberio Cęsare Roma exturbati sunt, arteq; ea (edicto sc.) est interdictũ, quia & mulieres ignominia afficerentur, & turbæ concitarentur, quos tamẽ in vrbẽ post mortẽ eius reuocauit Caius Caligula, nimirum reip. pestis, morũ pestẽ certissimam, ꝙ Dion Cassius refert lib. hist. LVII. & LIX. Tales scil. ab omni memoria fautores theatra habuerũt homines corruptissimos, ignauos principes aut magistratus. Atq; hactenus quid leges ciuiles sanxerint breui explicatum est, ad Ecclesiasticas oratio transferatur. Quib. histriones ad sacratum ordinẽ nõ admitti, & à sacra mensa & sacramentis arceri debere sancitum esse, superi⁹ est dictum. Illis donare immane flagitiũ esse August. affirmat tractatu C. ad cap. Ioan. 16. relatũ à Grat. c. donare d. LXXXVI. Quod si donare histrionibus non licet, num illis fauere, eorumque ludis spectandis totos dies vacare licebit? non arbitror Augustino certè auctore. Prętereа Cõcilio Agathensi mandatũ est can. XXXIX. qui habetur c. Presbyteri d. 34. ne presbyteri, diaco-

ni & subdiaconi, vel deinceps quibus ducendi vxores licentia non est, etiã alienarum nuptiarũ ineant cõuiuia, neq; ijs cætibus misceantur, vbi amatoria cantãtur, aut turpia, aut obscæni motus choreis, & saltationib. efferuntur: ne auditus, aut obtutus sacris mysterijs deputati, turpiũ spectaculorũ atq; verborũ cõtagione polluãtur. Similia in Concilio Laodicẽsi c. LIV. ꝓhibentur, de pœnit. d. V. c. nõ oportet ministros altaris vel quoslibet clericos spectaculis aliquib. quæ aut in nuptijs aut scenis exhibentur interesse, sed antequã thymelici ingrediantur, surgere eos de cõuiuio & abire. Quib. decretis cùm non satis ij quorũ intererat obedirent, ac potius eò imprudentiæ progressum esset, vt clerici ipsi ludos actitarẽt, pœna eos Bonifacius VIII. mulctandos cẽsuit lib. VI. c. vnico de vita & honest. cler. Clericos inquiẽs mimos, quos vocãt Galli ioculatores, goliardos, & Tusci bufones per annũ ignominiosam illã artẽ exercẽtes, vel breuiori tẽpore moniti si nõ resipuerint, carere omni priuilegio clericali. Neque solũ ad eos q ex sacrato ordine erãt, leges Ecclesiasticæ pertinẽt, sed etiã cæteris è ꝓmiscuo populo ꝑcipitur, primũ ne die solẽni ꝑtermisso solẽni Ecclesiæ conuentu ad spectacula irent, q̃ sunt verba Cõcilij Carthaginens. IV. can. LXXXVIII. relata à Gratiano c. qui die de cõsecrat. d. I. excõmunicationis etiã pœna, si secus facerent, ꝓposita. Quinimò generaliter Concilio Carthag. III. c. XI. omnib. Christianis interdicta esse spectacula edicitur his verbis. Vt filij sacerdotũ vel clericorũ spectacula secularia nõ exhibeãt, sed neq; spectẽt, quoniã q̃dem ab spectaculo & oẽs laici ꝓhibeantur. Semper .n. Christianis omnib. hoc interdictum est, vt vbi blasphemi sunt, nõ accedant. Quod si quis excuset ad gẽtium spectacula ne irent, eo decreto tantum sanciri, ne sc. impio se cultu contaminarẽt, & impiorũ cõsortio: quid dicẽt cùm in synodo Constantinop. VI. quo tẽpore Christiana sacra ab omnib. erant suscepta can. LI. in Trullo idẽ prohibeatur his verbis: *Omninò prohibet sancta synodus vniuersalis eos, qui dicuntur, mimos, & eorum spectacula, deinde venationũ quoq; spectationes, eas q̃; quæ fiunt in scena saltationes perfici. Qui secus fecerit si sit clericus deponatur, si laic⁹ segregetur.* Quæ leges magna patrũ nostrorũ prudentia fixæ, an hoc tempore seruẽtur, per se nullo monstrante oẽs intelligunt: cum omni ætate, sexu & conditione homines passim videamus ad ea spectacula confluere, plerosq; etiã ex sacrato ordine, & (quod pudet dicere) monachos seueriorẽ vitam ꝓfessos esse etiam qui hæc honestè fieri contendant, neq; à Christianis legib. discrepare, inscitia antiquitatis vel improbitatis, aut vtroq; vitio peccãtes, quos hoc loco mittam⁹, ꝓsequamur alia. Concilio Cabilonẽsi can. postremo præcipitur, ne in tẽplis obscæna cantica decantẽtur, quib. locis orare potius debent, aut clericos psallẽtes audire, eoq; à tẽplis, porticib. & atrijs cantantes expelli mãdatur. Quod cũ superiori tẽpore negligeretur, atq; ea agerentur in tẽplis, quæ vix in ganeis & popinis liceret, in Concilio Tolet. an. 1565. action. II. cap. XXI. prohibetur ludos theatrales, quales in festo Innocentiũ edebantur, amplius celebrari, quoniã insigni ꝓcacitate verborũ fœdi erãt. Deinde spectacula & ludos ab ordinario examinari, neq; peragi in tẽplis dum diuinę preces & psalmi canuntur, q̃ vtinã è tẽplis penitus exturbassent, quid .n. commercij choreis & spectaculis cum pietate? Sed nimirũ receptæ consuetudini & populari oblectationi dandũ aliquid censuerunt, ea tamẽ lege præscripta, ne alios ludos, aliave spectacula in templis exhibeantur, nisi quæ pietatem promoueant, & à prauitate deterreant, neque id fiat ab ijs qui ex sacrato ordine sunt, aut sacerdotium Ecclesiasticum habent, vt personati quocumque in loco incedant, aut in aliquo spectaculo aut ludo personã agant, alioqui graui eos pœnæ subijciunt.

ciunt. Sed nimirum ab omni memoria obseruamus leges scribere facile A esse, præstare difficile, studētibus magistratibus populi leuitati gratificari etiam contra fas & honestatem, quæ grauissima est pestis. Verum disputationem hanc concludere certum est Isidori & Epiphanij verbis, ille enim qualis debeat esse clericorū vita describens de Eccles. off. li. II. c. II. inter alia. *His igitur*, inquit, *lege patrum cauetur, vt à vulgari vita seclusi à mūdi* B *voluptatibus sese abstineant: non spectaculis, non pompis intersint, conuiuia publica fugiant, & alia quæ referuntur* c. his igitur d. XXIII. Epiphan. autē in cōpendiaria doctrina fidei inter notas Ecclesiæ Catholicæ quib. dignoscitur ab alijs sectis omnibus & secernitur, theatra prohibere ait, & cętera spectacula vt fornicationem, adulterium, incantationes, veneficia. Verū C ipsa verba subijcere præstabit. *Reprobat*, inquit (supple Ecclesia) *omnes scortationes & adulteria, & petulantiam atque idololatriam, & cædem & omnem iniquitatem, magiam & veneficium, astronomiam, vaticinationem, tremorū obseruationes, incantationes, amuleta quæ appendūtur aut alligantur, & phylacteria quoq; appellantur, prohibet theatra & ludos equestres & venationem,* D *musicos item, & omnem maledicentiam ac detractionē, & omnem pugnā & blasphemiam, iniustitiamq; ac auaritiā & vsurā.* Vides theatra, ludos equestres id est, Circenses, atq; venationes quibus ferarū pugna erat, inter illicitas artes & aperta vitia ab Epiphanio poni. Illud fortasse moueat ꝙ proximis verbis mercatores cæteris annumerat dicens. *Negociatores non recipit, sed* E *inferiores omnibus ducit.* Verū Chrysostomus etiā, seu quicūq; est auctor operis imperfecti in Matth. hom. 38. ad cap. 21. eadem sententia. Et ideo, inquit, *nullus Christianus debet esse mercator, aut si voluerit esse proyciatur de Ecclesia Dei*, & alia quę referuntur, à Gratiano c. eijciens d. XXXVIII. & proximo capite idem docet ex Augustino in explicatione Psal. 70. ad illa verba vers. 15. Quoniam nō cognoui literaturam, introibo in potentias domini, quo loco, tū ipse, tum Chrysostomus cum alijs antiquis & ipso Psalterio Romano legunt, quoniam non cognoui negociationes, nimirū Græcè vbi nostri vulgo codices habent, γραμματείας, illi legerunt, vt est restitutū in biblijs Romæ Græcè nuper editis facili permutatione πραγματείας. atq; his verbis confirmabant omnē mercaturam esse à Christianis hominib. repudiandā. Et certè quod Tertullia. lib. de pudicitia c. IX. publicanos negauit ex Iudæorū gēte fuisse antiquis tēporib⁹, tametsi ab Hieron. refellatur epistola de filio ꝓdigo ad Damasum. Existimo tamē antiquissimis tēporib. fuisse verū, nā quo tēpore Christus venit, quô Hieron. argumēta referūtur, omnia apud Iudæos erāt ꝑturbata & in cōtrariū versa: nā cū meretrices esse ꝓhiberētur ex gēte illa Deu. 23. scimus publica lupanaria extitisse non mulierū tantū, sed puerorū 4. Reg. c. 23. ver. 7. destruxit quoque ædiculas effœminatorū, ꝙ deinceps copiosius est explicandū. Sic credā primis Ecclesiæ tēporib. Christianos, cū impiæ genti essent confusi, à mercatura quę vix sine crimine exerceri potest, abhorruisse; nō secus atq; hoc tempore qui ex sacrato ordine sunt, & vitā sine labe puriorem consectātur, ijs commercia sunt interdicta. Ita eam artem exercuerunt olim homines impio cultui dediti; consequēti verò tēpore integris populis & gētib. ad nostra sacra traductis necesse fuit artem reipublicæ necessariā à nostris hominib⁹ exerceri certis legibus circunscriptam, ne ad illicita feratur. Quod theatris etiā concederem⁹ si à turpitudine penit⁹ recederet, essetq; ea ars aut reipublicæ necessaria, aut q̄ intra fines honestatis vllis legibus magistratuumque seueritate contineri posset, sanariq; histriones genus hominum corruptissimum, pretioque venale, atque eo vela daturi, vbi maior spes quæstus affulserit.

CAP. XIV.
Quid Philosophi de ludis senserint.

DVobus capitib9 explicatis, quid antiqui patres de ludis scenicis iudicarint, quid leges sanxerint, postremò quid Philosophi senserint aperiendum est. Nemo est enim qui modo sapiat, qui non intelligat magnos illos viros, naturæ luce illustratos quæ vera sunt assecutos sæpè esse, tum in alijs sapientiæ partibus, tum præsertim in ea quæ ad conformandam vitam virtutesq; comparandas tota refertur. Neq; philosophorum tantum placita commemorabimus, sed etiam gentium mores & instituta earum, quarum probitas maximè laudatur. In quo genere Lacedæmones primi occurrunt, apud quos antiquitus nulla permittebatur spectacula comœdiarum, vel tragœdiarũ; atq; degenerante more, vt fit, admissis ludis, mulieribus ad eos aditus est interdictus. Plutarch. in Apoth. seuerum, inquis, hominum genus & graue commemorasti, ab aliorum institutis abhorrens; & licet vni ciuitati Græcos alios opponere, apud quos in magno honore eas artes fuisse dictũ est, sæpeq; à scena ad supremos honores & magistratus transijsse declaratum, Neq; id institutum semper Lacedæmone tenuit, sed vt Aemilius Probus in prooemio vitarum Imperatorum accusat, degenerante in luxuriam more, *Nulla erat tam nobilis vidua, quæ non ad scenam iret mercede conducta.* Sed nos nõ quid tempus inuexerit, quo corrumpuntur omnia sancita atque instituta præclarè, exponimus, sed quid incorrupta ciuitate, & moribus integris seruatum sit. Ergo Massilienses subijciantur, qui longiori tempore id institutũ tenuerũt, vti Valerius Maximus est auctor lib. II. c. I. Eadem, inquiens, ciuitas seueritatis custos acerrima est, nullum aditum in scena mimis dando, quorum argumenta maiori ex parte stuA prorum continent actus; ne talia spectandi cõsuetudo etiam imitandi licẽtiam sumat. Num minus hoc tempore periculum imminet, aut minus cauti quã Massilienses Christiani esse debeamus? Romani Imperatores sæpè histriones quasi morum pestem vrbe & arte prohibuerunt, ipse etiam Domitianus ea vitę prauitate quãuis Pantomimos sustulit. & est eo quoq;
B nomine vitij turpitudo praua, quod à suis auctoribus repudiatur, cum ex contrario virtus ab inimicis etiam laudem habeat. Eos cum Nerua in odium Domitiani restituisset populo exigente, non minore contentione à Traiano postulatum est, vt illos rursus tolleret. Sic Plinius in Panegyrico testatur. Idem ergo, inquit, populus ille aliquando scenici Imperatoris spectator & applausor, nũc
C in Pantomimis quoque aduersatur, damnat effœminatas artes, & indecora sæculo studia. Itaque non dubito breui fore si principes dissimulârint, vt populus suo malo doctus reclamet maiores indies ea peste sumente vires, neque vllis resistente finibus malo. Ad hæc quis non luxuriosum ac nequam putaret eum, qui
D in scenicas artes rem familiarem omnem prodigeret, adde etiam testamento legaret, vnde spectacula quotannis certis temporibus instaurarentur; & verò quid prohibet, si honestos esse eos ludos defendimus annuos redditus constituere, vnde perpetuo tempore exhibeantur? Et scimus tamen fuisse olim factitatum ex Tertull. libr. de spectacul. cap. VI.
E *Reliqui,* inquit, *ludorum de natalibus & solennitatibus regum, & publicis prosperitatibus & municipalibus, factis superstitionis, causas originis habent. Inter quos olim priuatorum memorijs legataria editionis parentant.* Præterea constat non placuisse veteribus, vt bona in eam rem quasi in cloacam abijcerentur, & Traiani Imperatoris tempore minori de causa testamentum fuisse abrogatum, quo

Vien-

Viennę quidam legârat, vnde Gymnicus agon celebraretur, quem Trebonius Rufinus in duumviratu sustulerat: cumq; negaretur ex auctoritate publica fecisse, dicta coram Imperatore causa affirmauit, eas liberalitates esse reipublicæ valde suspectas, quæ ciuitati nullum ornatū, nullam vtilitatem, plebi solam voluptatem afferrent. Sic obtinuit tandem vt agon tolleretur, qui Viennēsium mores infecerat, vt Romani agones omnium. Sic Plinius qui consilio interfuit lib. IV. epistola ad Sempronium testatur. Non ergo debemus existimare hos ludos & spectacula tantopere esse vtilia adde necessaria, vt quidam videri volunt, ponuntque in suis disputationibus studio magis placendi multitudini, quā se melioribus probandi; alioqui legare, vnde ij ludi instaurarentur, cur non concedatur? Neque licet excusare obscœna turpiaque ioco agi nō seriò, iocus enim vt disputat Plato lib. IV. de repub. sensim repit in mores, eosque petulantia atque lasciuia peruertit, eò grauiori certè periculo, quod difficilius cauetur. Et notū est quod Plutarchus de Solone refert in eius vita. Audita Thespis tragœdia auctori dixisse, *Ecquid non te pudet tam multa mentiri:* respondente illo *nihil nocere, si mendacia ioco* dicerentur, baculo, quo Solon corpus sustentabat, percussa terra, *si hæc*, inquit, *fuerint laudata veris rempublicam implicabunt malis*, ex iocis *seria fient*. Sapienter Tertullian⁹ vt omnia c. XVIII. de spectaculis. Quod in facto reijcitur, etiam in dicto non est recipiendum. Itaque Aristoles cap. postremò libr. I. Polit. quo loco de puerorum institutione disputat: *Itaque*, inquit, *ludi* (supple puerorum) *vt plurimum tales esse debent, vt sint imitationes eorum, quæ postea seriò erunt facienda*. Et paucis interiectis subiungit. *Omnino igitur obscœnitas verborū per legislatorem exterminanda est ex ciuitate. Ex turpiter enim loquendi licentia, sequitur & turpiter facere*. Potissimum igitur statim à pueris neque dicant, neq; audiant quicquam turpe, mox etiam turpes picturas, & signa ab eorum oculis remoueri mandat. Postremò concludit his verbis. *Quapropter oportet à pueris omnia turpia procul remouere, & maximè quæcumque habent in se vel obscœnitatem vel improbitatem*. Num qui talia præcepta pueris instituendis reliquit, eos mitteret ad theatra? seuerus fortassis & superstitiosus Aristoteles fuit, eaque præcepta dedit quæ in mores induci non possent. An etiam eius Præceptor Plato hac in parte peccauit? is certè IV. li. de repulica, cum de musica disputaret, & quanta mala incurrerent in rempublicam modis per negligentiam magistratuum mutatis, simul de puerorum institutione agens. *Ergo*, inquit, *à principio diximus statim à primis annis pueri honestis in iocis assuefaciendi sunt. Nam si iocis minus decentibus assuescant, nunquam legitimi probique viri euadere poterunt*. Tum lib. VII. de leg. ijs cantibus adolescentium aures pulsandas docet, qui trahant eorum animos imitatione quadam perductos ad virtutis ipsius possessionem. Num hic etiam concederet ciuibus theatra, vbi vitiorum omnium irritamēta sunt? non arbitror. Præsertim cum alio loco lib. de republ. X. initio poëtas, ipsum *Homerum* ex ciuitate exturbandum censeat, pestem, iucundam quidem, sed maximè exitialem affectibus concitatis, ira, libidine alijs, rationis regnum labefactantem ne se possit in omnes partes pro arbitrio proque voluntate dare. Eant ergo magni Philosophi aut Theologi, ciuitatibus permittant theatra quasi rem honestam & minimè exitialem; quibus Plato & Aristoteles ea sapientia, Neque nostris moribus instituti, hoc est Christianis, omnes voluptates nisi honestas tanto studio denegarunt.

(.·.)

CAP. XV.

Non esse ludos scenicos permittendos.

PEracta est maior susceptæ disputationis pars, diuino numine suggerente nobis verborum, & argumẽtorum facultatem, inueteratam insaniam depulimus multis, quæ hoc loco summa colligenda sunt atque in memoriam reuocanda. Histriones, quales nũc in Hispania videmus, honestis turpia miscentes quæstus causa; infamia notari diximus, neq; crimine carere eam artem ad corrumpendos populi mores maximè procliuẽ. Nam quod ab aduersarijs opponitur fœminæ ornatæ & comptæ aspectum non minus noxium fore, neq; minus cupiditatem inflãmare quàm theatra, quã nihilominus cessare non cogimus, neque affirmam⁹ capitale fore, nisi vestem pretiosam & fucos abijciat. Acuta obiectio, sed quam ex S. Thoma 2.2. qu. CLXIX. art. II. dissoluere promptum erit, affirmante, nuptis quidem concessum esse ornatum, vt viris suis placeant, cæteris non item, præsertim si ornatu studeant alienam cupiditatem excitare, crimen erit. Nam si ex leuitate animi cõtingat, veniali modo peccato erunt obnoxiæ. Quibus sancti Thomæ dictis addendum est capitalem ornatum fœminæ fore nisi desistat, cum sciat alicui ruinam propterea ab eo ornatu parari in noxiam cupiditatem manifestè lapsuro, quod addit Syluester, verbo *ornatus*, ad finẽ. §. IV. Ergo fœminæ ornatus non semper crimini datur, quoniam non constat cuiquam noxium fore, nisi illis fortassis, qui perditissimi cum sint passim offendunt nulla quamuis, aut leuissima occasione, quos mulier proba curare non debet ad mortem currentes rapidissimè, fœdere etiam cum inferno percusso. In theatris contra certissimam multorum ruinam fore etiam modestorum; quis enim in tantis flammis non vratur! ornatus, gestus, carmina, sententiæ, tybiæ, ad turpitudinem cuncta & libidinem inflãmant. Itaque video passim à Theologis turpes histriones criminis accusari ipsoque Syluestro, verbo *ludus*. §. 2. Addo nunc spectatores vix vnquam crimine liberos esse, manifesti periculi rei in quod se obijciunt inflammãdi cupiditatem venereæ voluptatis, certæ morosę oblectationis qui modestiores sunt, quid enim nisi is sit cõsensus interpretatiu⁹ se in ipsam flammam voluptatis conijcere? vt maximè animus & constanter velit, certoq; præiudicatum habeat cõsensum expressum in voluptatem repudiare. Nam si quis ferreo pectore sit, qui nõ moueatur, quales paucissimos reperiri credam, is considerare debet *ferrea ingenia igne luxuriæ domari*, vti Hieronymus ait, & vt hac ex parte sit liber, ex alia crimen nõ euadere, quod scãdalum dicitur, alijs suo exemplo ad periculũ & peccatũ pertractis, quod in viros graues auctoritate & professione maximè cadat necesse est, & aliquanto maiori viri principes præsertim ex sacrato ordine Episcopi implicantur crimine huic vanitati vacantes vænalibus histrionibus domum etiam aduocatis; quantumuis nihil obscœnum agi coram ipsis excusant, populus enim id ignorans sui ducis exemplo ad theatra rapitur nullo discrimine honesti turpisve, & genus obsequij ducitur studia principum imitari, & mouent in omni vitæ parte magis exempla quam verba. His ad hunc modum constitutis priusquam reliqua colligantur, grauis ac difficilis superest nobis luctatio, debeant principes hos ludos quamuis vanos & turpes tolerare ad oblectãdam multitudinẽ, vt tali spectaculo soluti cura maiori animo labores repetant, quibus respublica sustinetur, artifices, fabri, agricolæ, quemadmodũ lupanaria infima cõditione hominibus, ne maiora flagitia aggrediantur, passim concedun-

tur.

tur. Verùm de meretricibus, quoniã in hunc sermonem incidimus paulò copiosior disputatio subijcietur, nũc de his ludis, vt cœpimus agẽdum est. Et suppetunt in vtramq; partem argumẽta, neq; ipse in magno ponam discrimine vtrouis modo sentiamus nam neque sperabam nostra disputatione malum cõuelli penitus posse, quod, vt video, altas radices egit multis viris principibus etiã ex eo numero qui ad reipublicæ gubernacula sedent (quæ grauissima pestis est) vana persuasione occupatis, dandas populo id genus oblectationes: & satis habeam, si quorum ipsis salus curæ est, nostro labore admoneãtur, noxiam oblectationem hanc esse, neque sine periculo animæ querì. Fortasse enim re cognita nonnulli priuatim cessabunt, prudẽtesq; magistratus publicè eam turpitudinem repudiabũt multorum salutẽ inani voluptate potiorem iudicantes. Nam eò inclinabat animus, vt existimarẽ cũ multis Cœlio Rodiginio lib. VIII. ca. VII. Petro Gregorio in syntagm. iuris part. III. lib. XXXIX. c. XXV. & alijs è republica fore si histriões pretio venales penitus remoueantur. Omnes enim pecuniæ vias norunt, & pecuniæ causa omnes turpitudines suscipiũt instillantq; alijs. Quæstuaria arte exhauriunt pecunias, & veluti sopitis voluptate sensib. latenter extorquent, quas nõ minori turpitudine insumãt. Otio & desidia vt torpeant ciues efficiunt, quæ omniũ vitiorũ radix est. Vitijs omnibus & fraudib. viam muniunt, libidini maximè, quæ auribus & oculis suscipitur. Diuinũ cultum imminuũt diebus festis, cum vacandum esset rebus diuinis, populo ad spectacula attracto, quæ pestis omnib. piaculis procuranda videbatur. Quod si non obtinemus vt ludi scenici penitus amoueantur, & placet nihilominus eam oblectationẽ populis dare, ꝙ vis & æquitas postulare videtur, impetrare certè cupimus, vt delectus aliquis sit, neque promiscuè licentia quiduis agendi histrionibus cõceda-

A tur, sed legibus certis circunscribantur & finibus, quos nemo impunè trãsgrediatur, quid enim iuuat leges scribere, quarum nulla futura est obseruantia? Tametsi nullis legibus putabam furorem hunc satis frænari. Prudenter vt multa poëta quidã verbis ex alio poëta sumptis dixit. ***O here quæ res nec modum habet neque consilium, ratione modoque tractari non vult.*** Sed designentur tamen per ciuitates

B aut diœceses censores, à quibus probentur quęcumque agendę erunt fabulæ, ipsi etiam intermedij actus, viri graues atque honesti ætate maiori, qua feruor iuuenilis remiserit. Sic Plato faciẽdum existimabat lib. VII. de legibus, poëtarũ carminibus examinandis, priusquam eorum copia alijs fieret, qui essent non minores quinquaginta annis, exacta scilicet

C prudẽtia viri perspecta probitate. Faciunt ineptissimè qui harum rerum cẽsuram iuuenibus permittunt, præsertim morib. non satis probatis. Deindè mulieres in theatra inducere siue muliebri veste siue virili, nefas esto. Nullũ certum theatrum publicis sumptibus cõstituatur, nullaq; vectigalis publicè percipiendi spes esto. Diebus festis præsertim celebriorib⁹,

D vti antiquis legibus sancitum meminimus, ludi scenici ne exhibeantur; ne temporibus quidẽ ieiunij Christiani, quid enim cõmercij squalori cum theatri risu plausuq;? A templis sanctorum, qui cum Christo in cælo regnant, ac omninò diuinis celebritatibus amoueantur. Postremò quoad fieri poterit, minori ætate pueri & puellæ arceantur ab ijs spectaculis, ne à

E teneris reipublicæ seminarium vitijs inficiatur, quæ grauissima labes est. Adsint inspectores publicè designati viri pij & prudentes, quibus cura sit vt turpitudo omnis amoueatur, & potestas coërcẽdi pœna, si quis se inhonestè gesserit. Neq; nouis sumptibus opus erit, mercedem histriones ipsi ijs viris dare cogantur. Omninò populus intelligat histriones quos omni ex parte cõtineri posse nõ puto,

vtà

vt à turpitudine abstineant, nō probari à republica: sed populi oblectationi, atque importunæ flagitationi dari à magistratu; qui cum non potest quæ sunt meliora obtinere, debet minora mala tolerare. Sic Theodoricus Ostrogothorum rex apud Cassiodorum variarum lib. III. epist. LI. cum aurigæ cuidam in ea arte celeberrimo menstrua stipendia de publico designaret, his verbis epistolam concludit. *Hæc nos fouemus necessitate populorum imminentium, quibus votum est ad talia conuenire, dum cogitationes serias delectantur abijcere. Paucos enim ratio capit, & raros probabilis oblectat intentio, & ad illud potius turba ducitur, quod ad curarū remissionem constat inuentum. Nam quidquid æstimat voluptuosum, hoc & ad beatitudinem temporum iudicat applicandum. Quapropter largiamur expensas, non semper ex iudicio demus. Expedit interdum desipere, vt populi possim⁹ desiderata gaudia continere.* Hactenus Theodoricus.

CAP. XVI.

Num meretrices tolerare conueniat.

MVlta de ludis scenicis dicta sunt. Venio nūc ad lupanaria, quibus per vrbes & oppida publicè constitutis, mulierum infœlicium pudore in ijs publicato magna licentia minore religione peccatur, nullo qui redarguat absque supplicij metu prorsus impunè. Nū ea retinere conueniat, an euertere poti⁹ ab imis fundamētis quasi certam reipublicæ pestem. Magna quæstio & à paucis agitata, eoq; difficilior, quasi nullis vestigijs trita via. Et quis audeat morē accusare omnium populorum consensu receptum, licentiam cohibere à nullo hactenus vituperatam, certè à paucissimis? Et est omnino difficilè quod ratione omni vacat, id ad certam normam disputatione & regulā reuocare. Conandū est tamē, si quomodo inueteratum errorem depellere, & in veteri morbo remedium aliquod excogitare & inuenire possimus. Scio Hussitas Catholicā Ecclesiam inter alia eo nomine acriter accusare, quod publica lupanaria ꝑ vrbes & oppida toleraret. Ita refert Pi⁹ II. historiæ Bohemicæ c. L. Equidem cum hæreticis nihil mihi esse volebā commune, qui sectas & factiones omnes à prima ætate semper fuerim auersatus: verum cū Concilio Constantiensi inter alia Hussitarum dogmata, quæ reprobantur à patribus, de hac eorum accusatione nulla mētio extet, merito credimus liberum in vtramq; partem iudicium relictū, nulla certa definitiōe & decreto. Ergo Augustinus lib. II. *de ordine* ca. IV. lupanaria prim⁹ sanxisse videtur his verbis. *Quid sordidius, quid inanius dedecoris & turpitudinis plenius meretricibus, lenonibus, cæterisque hoc genus pestibus dici potest?* Aufer *meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus.* Augustini auctoritate permoti posteriores præsertim qui via & ratione Theologiam tradidere, & ne susceptum per prouincias ab omni memoria morem conuellere vel le viderentur, in sententia perstiterunt meretrices populis concedendas, vt sentinę instar in eas oēs sordes confluerent, S. Thomas lib. IV. de regim. Princip. ca. XIV. Lyra ad c. Gen. 19. Deut. 24. 1. Reg. 17. Et erat prudentum principum & magistratuum tolerare in moribus, quæ æuo erant intacta, neq; sine motu euerti poterāt. Sanè tantam colluuionem omni ætate & conditione hominum, quanta in rempublicam Christianam influxit, quis pręstabit à vitijs omnibus liberam? minora ergo danda censuerunt, vt à grauioribus temperarent. Præclarè nobiscum ageretur si professionem cui nomē dedimus, re exhiberemus: sed quoniam id non datur, incitādi omnes ad meliora sunt, praui homines & imbecilles tolerandi: eaten⁹ si minora peccent, quæ trā-

quilli-

quillitati publicæ non noceant, cuius prima cura esse debet. Hęc sunt in hanc partem argumenta: In alteram plura suppetunt, neque minus valida. In veteri Iudæorũ populo & gente nullas meretrices extitisse, ex diuino præcepto Deut. 23. vers. 17. *Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filijs Israël.* Sic Origines libr. IV. contra Celsum ante medium obseruatum fuisse affirmat, de Iudæis loquens. *Nullæ*, inquit, *fuêre meretrices iuuentutis pestes in eorum republica*, idem repetit lib. V. ante finē. *Nulla*, inquit, *fuerunt apud eos vel scenicorum, vel athletarum, vel Circensium certamina, non fœmina vendentes florem ætatis.* Idem docet Clemens Alexand. Stromate III. & ex eadem gente Philo *de Ioseph o,& de speci. legi.* capitale fuisse ait, in eo populo corpore quæstum facere, quod si ad sanctitatem eius nationis legislator pertinere existimauit, ne scorta & lupanaria haberent, num id Christiani populi moribus minus conuenire arbitrabimur? à quo multo maior vitæ probitas & morum sanctitas postulatur. Nunquid maiores illis vires erant, vt sine libidine sustentarent quam Christianis, quibus tanta auxilia suppetunt cælitus comparata, sacramenta, Christi sanguis, exempla sanctorum martyrum? Neque excuses vni populo promptum fuisse eam pręstare puritatem, reipublicæ Christianæ difficilè toto terrarum orbe diffusæ. Sed nimirum gens Iudæorum satis numerosa futura erat, quando à flumine Aegypti vsque ad fluuium magnum Euphratem imperij fines aliquando protulit Genes. cap. 15. vers. 18. lib. 1. Esdræ cap. 4. vers. 20. & quod in vna ciuitate fit, si diligentia adsit, quo minus in multis ciuitatibus aut prouincijs fieri possit, ego sanè videre non possum. Illud magis mouere possit, quod Thamar veste meretricia sumpta cum socero Iuda concubuit, verum nondum lege lata eam licentiam fuisse, vbi permixtæ aliæ gentes erant, mirum non est. Nam quod ab alijs opponitur duas meretrices 3. Reg. 3. de filio coram Salomone litigasse, Chaldæus quidē *cauponarias* interpretatur, & sanè scorta publica nō concipiunt matrice affecta, ex promiscua & frequenti venere, quod si id nō placet, vitio hominum & temporum contigisse dicemus, quemadmodum quod 2. Machabæorum 7. & ex Euangelijs colligitur, multas meretrices in eo populo fuisse, sicut & multæ aliæ prauitates, nam Iosiæ tēpore 4. Reg. 27. vers. 27. scorta mascula Hierosolymæ erant, quæ ille sustulit euersis domunculis, quibus propè templum habitabant. Vnde si quis cōfirmet eam turpitudinem concessam Iudæis fuisse, rem ineptissimā faciat: multa enim vitiantur quotidie aut vecordia populi, aut negligentia magistratuum. Neque satis occurritur masculæ libidini scortis permissis, cum sciamus in quibus prouincijs aut ciuitatibus ea labes maximè viget, ibi maiorem scortorum numerũ esse; & in vtramque partem ab altera libido inflammatur, neq; vllis resistit finibus. Metu suppliciorum, & diligentia principum cohibetur maximè, quod in coniunctis ciuitatibus in eadem prouincia vidimus, in altera eam turpitudinem vigere maximè, alterius ciues multo esse modestiores factos suorum vigilantia magistratuum, vt fœdissimæ turpitudinis fermè esset obliuio. Itaque Lactantius ab aduersario nostro inuecta esse lupanaria ait his verbis lib. VI. cap. XXIII. *Ac nequis esset qui pœnarum metu abstineret alieno, lupanaria quoque constituit, & pudorem infœlicium mulierum publicauit: vt ludibrio haberet, tam eos qui faciunt, quam quas pati necesse est.* Et Hierony. epist. ad Oceanum Cęsarem dixit: *non Christum, & Papinianũ non Paulum viris impudicitiæ frena laxare, & lupanaria permittere.* Ipse Augustinus ætate & vsu prudētior, tum lib. II. de ciui. Dei c. XX. damnare videtur *lupanaria*, cum inter alia illicita & exitialia; abundent, inquit, *pu-*

blica scorta vel propter omnes quibus fieri placuerit, vel propter eos maximè qui habere priuata nō possunt, tum lib. XIV. cap. XVIII. Vsum scortorū terrena ciuitas, ait, licitam turpitudinē fecit, nempè vetere iure Romano permissa erat. ff. de concu. libr. XXV. tit. vltimo & C. de spect. & sceni. & lenon. lib. XI. tit. XL. extatque in C. Theodosij lib. XV. tit. VIII. de leno. propriè: quæ tamen contraria esse legibus diuinis & cælesti ciuitati, indicat ijs verbis Augustinus. Constat etiam Ludouicum Galliæ regem re & nomine sanctum inter alias leges, quibus conditis immortalitatē quæsiuit, vniuersa ditione meretrices publicas & lupanaria prohibuisse, histrionesque aula exegisse. Sic Galliæ annales, Gaguinus, & Aemilius lib. VII. Vtinam ô vtinam Ludouice viueres, aut posteri tui, regesq; omnes tua exempla imitarentur prauitatem vindicandi. Quod si in Gallia id fieri potuit, quid prohibeat in alijs prouincijs idem præstare? At non diu id institutum tenuit. nempe successorum ignauia; & est ita à natura comparatum vt præclari conatus facilè languescant prauis studijs commutati. Ergo eò inclinat animus vt credam, è republica Christiana fore si lupanaria locis omnibus euertantur, *Vt Ecclesiæ bonus odor sit super omnia aromata*. Cantic. IV. vers. X. Neque possumus negare aliquid dedecoris nationi nostræ, & nomini afferre lupanaria, præsertim cum Iudæi aliæque nationes sine illis vitam transigant, quod Espencæus prior *de continentia sacerdotum* sensit. lib. III. cap. IV. Deinde Nauarrus doctus inprimis Iureconsultus & grauis nostra ætate iudicauit in suo Manuali cap. XVII. num. CXCV. his argumentis, quoniam pueri in tenera ętate quam intempestiuis vitijs corrumpi noxium in primis est, ea licentia & opportunitate, vel sua sponte, vel aliorum inuitatu ad lupanaria concurrunt, noxiaque libidine eneruant vires, atque inflammata semel cupiditate indies magis intemperantes redduntur. Omninò vbi lupanaria non sunt multo continentiores sunt iuuenes, pauciora adulteria existunt, nempè libidinis flamma non copia restinguitur, neque licentia voluptatum, sed potius timore Dei continetur, & oblectationum vitādi cura. Et quis nesciat quantæ sint consuetudinis vires, pręsertim in hac parte? Itaq; coniugibus multo difficilius est libidinem restringere cui assueuerunt, quam ijs qui cælibatum coluerūt, rectè Tertullian⁹ lib. I. ad vxorem virginis & viduæ collatione facta. *Poterit*, inquit, *virgo fælicior haberi, at vidua laboriosior; illa quod bonum semper habuit, ista quod bonum sibi inuenit, in illa gratia, in ista virtus coronatur*. Nō ergo indulgēdo libidini medemur, sed eam amplius inflammamus, nō min⁹ quam si igni materiam addas. Sic non adulteria vitantur concessis lupanaribus, neq; mascula libido, sed potius maior impetus ad fœdissima quæq; concitatur; contemptis enim meretricibus & sordenti copia ad peiora cōtendit semel corruptus voluptate animus. Prætereà qui ad sollicitandas virgines aut coniuges idonei sunt viri copijs abundantes, ad lupanaria nūquam adeunt. Plebi infimæ vnde minora pericula existunt, leuiores alienis toris insidiæ, patent lupanaria, adolescentes plures nouimus, ex ijs oppidis veniētes, vbi nulla scorta erant, eximia morū modestia, inuenta copia libidinis in frequentioribus ciuitatibus, repente improbissimos factos, rem, ætatem, valetudinē amisisse, inutilesque prorsus esse factos. Deindè ex meretricibus flore ætatis transacto, lenæ existunt, milleque nocendi artes. Demum fœminis, quæ imbecilliores multo sunt, puellis & viduis, nusquam simili remedio succurritur, vt publicè masculi proponantur ad earum libidinem satiandam, argumento certissimo, quod remedium libidinis esse creditur labem potius certissimam temperantiæ esse. Quod si populo conniuere

uere velimus, aut cautissimos audire, exoletos etiam tolerare opus erit, A nam eos Alexander Seuerus non est ausus auferre, alioqui prudens & castus, *veritus ne prohibens publicum dedecus in priuatas cupiditates converteret, cum homines illicita magis poscant, prohibitaque furore prosequantur*, quæ sunt ipsa Lampridij verba. Planè ex gentium moribus, quos nunquã Ecclesia penit⁹ extirpare potuit, hic etiam relictus mihi cum multis fuisse B videtur, sed qui conuelli haud ægerrimè posset, si principes pari animo in id vellẽt incũbere. Quo loco subit animum admirari à patrib⁹, qui tam multa aduersus spectacula dixerunt, paucissima dicta esse aduersus lupanaria. Sed nimirum maius exitium imminere ab spectaculis existimarunt, quoniam ad ea omnis ætas, cõditio, sexus cõcurrebat, ad lupanaria C infima plebs, cuius ex virtute neque laus magna, ex intemperantia preter animas haud magna iactura existit, pueri nobiles, virgines, senes si corrumpantur, magna calamitate inuoluatur respublica necesse est. Deindè lupanaris ob notam turpitudinem nulli fautores existebant; spectaculis multi patrocinabantur, quid mali esset excusantes, si voluptate spectandi D reficerent animos curis & laboribus graues. Mirabar etiam nullis cõcilijs lupanarium turpitudinem fuisse supplicio sancitam, sed nimirum Patres quæ tempore indurerant mouere ausi nõ sunt, præsertim ancipiti sententia & semper, vt arbitror, nonnullis defendentibus cautionis specie; & malunt homines antiquis & assuetis E stare, nisi quæ vsus manifestè arguit. Illud si adiecero huic capiti finem faciam, in popinis & hospitijs publicis meretricibus locum dare, quo plures conueniant licentia libidinis inuitati, fas non esse; quia nec fit ex auctoritate publica, & in turpi quæstu admixta participatio est criminis. Idem iudicium esto de meretricibus vagis nocte concubia, per vicos & plateas vænali corpore, prætereà de his quę in priuatis domibus habitantes corpore quæstum faciũt, esse supplicio coërcendas; quoniam vt ipse existimabam Hispanię more receptũ est in plerisque certè vrbibus & oppidis, vt impunè in lupanari tantũ meretrices quæstum faciant, multo minus concubinatus inter eos qui lege coniugij soluti sunt permitti debet, antiquis quamuis Imperatorum legibus concedatur, loco superius adducto ff. de concubinis.

CAP. XVII.

Nullum publicè vectigal ex lupanari exigi debet.

EX meretricio quęstu & lupanaris sordibus partem aliquam in publicum ærarium redigere vectigalis nomine, in rebus turpissimis semper est habitum. Quid enim aliud esset, quam sociam criminis & turpitudinis remp. fieri vnde lucrum refert? Quod vt maximè licitum esset, honestatis & decoris nullam partem haberet, qua ratione diuina lege mandatũ est, ne merces meretricis inferretur in templũ Deut. 27. ver. 18. Non offeres, inquit, mercedẽ prostibuli, nec pretium canis in domo domini. Pertinet enim ad decorẽ domus Dei ne tali oblatiõe fœdetur; simul prouidendum erat, ne sacerdotes turpitudini fauerent; vnde ad eos emolumentum promanabat, quod nostro etiã tempore seruatur, (vti Abulẽsis ad illa verba ait,) ne meretricum aut eorũ q anathemati sunt subiecti dona templis oblata accipiantur. Erat quidem ab antiquissimis temporib⁹ in Romano imperio susceptum, quo ex principio haud facilè dixerim, à Caligula Sueto. c. XL. exactum ait ex capturis prostitutarum quantũ quæque vno concubitu mereret. Sed susceptum erat tamen, vt ex lenonibus meretricibus, & exoletis (hos scorta-

tores ab Euagrio vocari puto Græcè, ἠπυρύχοσι; nam ait naturam eos dedecore afficere) vectigal redigeretur, quod posteriori tempore Græca voce Chrysargyrum dictum est, magna inuidia atque dedecore populi Romani; quam vt Alexander Seuerus princeps optimus, & ad omnem honestatem compositus depelleret in sacrum ærarium referri vetuit, sed sumptib. publicis instaurationi theatri, Circi, amphitheatri & ærarij addixit, vti Aelius Lampridius testatur, Vnde Zozimus Græcus historicus mendacij apertè conuincitur, qui vt Constantino Magno, cuius mores exagitandos susceperat, inuidiã conciliaret, ab eo hoc vectigal inuectum primum fuisse fabulatur: illud tamẽ posteriori tempore Anastasius Imperator penitus sustulit tabulis etiã conquisitis & combustis, vbi eæ rationes continebantur, quo nomine ab historicis immortalẽ laudem habet, Euagrio li. III. c. XXXIX. & Nicephoro lib. XVI. c. XL. Verũ ipsa Euagrij verba latina facta subijcimus. *Romanorum reipublicæ tantæ talique miserabile vectigal erat impositum Deo exosum, ipsis barbaris indignum, nedũ Christianissimo imperio; quod vsq; ad ipsum* (nempè Anastasium) *qua causa dicere non habeo, prætermissum, ipse regio animo sustulit.* Exigebatur autem tum ab alijs multis stipe viuentibus, & à meretricibus in occultis locis quæstum exercentibus, atque in lupanarib. publicato pudore ad hęc ab scortatoribus non tantũ naturam, sed & remp. ignominia afficiẽtibus. Addit singulis quatuor annis turpè id vectigal exegisse quorũ intererat; & ad supremum magistratum detulisse ingentem videlicet pecuniæ vim. Et libet existimare à sano initio id vectigal susceptum, atque eam speciem facto prætentam: deterreri posse eam hominũ fæcem à turpitudine eo imposito onere & quasi supplicio, nam eodem consilio idem Alexander Imperator cum cætera tributa imminuisset, quò mercatores Romam alliceret, vectigal pulcherrimum ex curio- A sis, superuacaneisque artibus excogitauit, pellionibus, argentarijs, aurificibus, quo nimirum minor earum rerum frequentia esset. Verùm vsus docuit imposito de quo loquimur turpi vectigali non libidinem restrictam, sed inflammatã amplius, mancipe penes quem eius tributi exigendi potestas erat omnes fraudes excogitante, quo industriæ maior fructus B existeret, & pecuniæ amplius colligeretur. Sic sæpè quæ videbantur instituta præclarè, temporum vitio, & hominum culpa in contrarium vertuntur. Hoc an in populo Christiano exigatur tributum haud facilè dixerim, puto alicubi extra Hispaniam fieri. Et Nauarrus quo loco superiùs est dictum accusat quasi crimen, & C in Hispania species certè quædam eius vectigalis retinetur, cum per vrbes & oppida lupanaris magister domum eam triplo, aut quadruplo etiam amplius quam valeat, cõducat: quod lucrum in sumptus publicos ciuitatibus impendatur, aut etiam alicui priuato cedat, cui ius lupanaris constituendi Regis dono datum est. In quo multipliciter peccatur non D minùs quam si vectigal à meretricibus exigeretur, qui enim magno conduxit, ad eam pecuniam construendã nouas fraudes excogitet necesse est; mulieres maiori numero quam opus esset cõquirat, excellenti formę dignitate alliciendis, emungendisq; iuuenibus, præmio etiam agasonib. proposito, vt illas conquirant, & vehant quod cõmercij genus impunè E exerceri scimus. aduectis fœminis, quæ ad cultum & victum necessaria sunt, carissimè vẽdat, aut locet duplo ampliùs quam in foro vænali, cuius pecuniæ pendendæ necessitate, sæpiꝰ quam omninò facerent, peccare cõpelluntur: mutuas pecunias dent, ꝗ libenter illi faciũt, vt ære alieno grauatæ, vt velint maximè inde discedere, aut cessare quasi alieno ęre vinctę non possint. Multa alia præterea illicita ꝑpetrant lucri cupiditate, & pecuniæ

cuniç colligendç necessitate. Quibus diebus & horis interdictum est, viros admittunt, lenones contra leges regni esse patiuntur aut dissimulant, choræas & cãtus obscœnissimos excogitant, & instituunt, quo ad libidinem adstantes inflammentur. Scim⁹ etiã honesta conditione viris & adolescentibus admittẽdis, quos coram puderet peccare, singulis cellulis meretricum secretos aditus per posticũ esse in quibusdã vrbibus patefactos. Quæ artes an rebus cõmunibus commodum aliquod afferant, ac non potius perniciem, per se quisq; consideret. Eas sanè Philippus II. rex Hispaniæ sapientissimus pro insita animo pietate & publicç salutis cura magna ex parte restrinxit lege promulgata Madriti ad 6. Idus Martias salutis anno 1571. qua lege alterius quæ superiori anno lata fuerat seueritatem intercedentibus lupanarium magistris aliqua ex parte mitigauit. Eius legis quoniam publicè cognosci interest, & passim negligitur, si capita compẽdio collecta subijcerem, operç pretiũ me facturum iudicabã. Fortassis aut amoueri tantum dedecus impetrabimus, in quo multæ & graues turpitudines insunt; aut vt certis finibus ea labes circunscribatur, ne se nimium efferat, maiori quam hactenus principum & magistratuum cura. Ergo legis regiæ capita hæc sunt. *Magister Lupanaris priusquã ad id munus admittatur, senatui vrbis aut oppidi se probet, neque exercere incipiat nisi coram eodẽ senatu conceptis verbis iuratus se ea obseruaturum, quaecumque hac lege obseruari mandatur. Magister is ne in cultũ meretrici vestem quamcumque locet, si secus faxit, veste, quam locarit insuper pecunia mulctetur, si perseuerauerit, atq; secundo deliquerit ad pecuniæ mulctam duplicatam, verbera & exilium addantur. Nullam ei mulierem ad turpem quæstum faciendum admittendi fas esto ære alieno obstrictam, ne ipse quidem pecuniam mutuam vlli ex suis meretricibus dabit. Si qua meretrix eam vitam pertæsa velit ad sanitatem redire, id facere liberè poterit, quãtumuis obærata, neq; magistro eam propterea retinendi potestas erit. Meretrix si è foro vanali malit, emat quibus ad victum opus habet, si à magistro acceperit non maioris is vendat quam sit à iudice taxatum. Sit medicus aut chirurgus, cui meretrices singulis octo diebus diligenter & attentè lustrandi cura sit; & quoties recens aliqua in lupanar admitti petit. Quæ labe fuerint infectæ ea censoribus indicentur, vt continuò ad nosocomia curandæ deferantur. Nullam meretricem siue contagione infectam, siue ex morbo alio laborantem in suo hospitio magister curandam retineat, sed ad nosocomia ablegabit, quæ censores designauerint. Pro hospitio, lecto & alia supellectili necessaria argenteũ nummum tãtum in dies singulos singulæ magistro soluant. Cum lupanar locabitur ijs conditionibus locari omnibus renuncietur. Vrbanus senatus ex suo numero binos censores seligat qui lupanar inuisant, ij renunciabunt Prætori, si quam ex his legibus negligi, aut si quid præterea censura dignum considerabunt. Quadrimestres ij esse debent, & eo decurso tempore è duobus nihilominus alter cum eo eam curam suscipiat, qui recens à senatu censor designabitur. Diebus septem quibus Christi Dei cruciatuum & mortis sanctissima memoria celebratur, nulli meretrici concedatur turpem quæstum facere. Quæ secus faxit flagris per plateas cedatur, tum ipsa tum magister Lupanaris, si turpitudini cõsensisse, annuisseve conuictus erit. Meretrices ne pallijs talaribus, ne chirothecis, ne galeris, ne soccis vtantur, sed vt ab alijs honestis mulieribus dignosci possint, breue circũ humeros pallium coloris crocei gestent. Ne nuptæ, aut quarum patres in eadem vrbe viuunt, aut ex altero parẽte fusci coloris natæ in lupanari quæstum facere permittantur.* Hæ leges tabulæ inscriptæ loco conspicuo in lupanari cunctis qui velint cognoscendæ proponantur. Hactenus lex regia quam vt est sanctissima, qua prudentia est scripta, pari diligentia cuperemus ab omnibus obseruari, frustra enim sint

leges, nisi obsequium adiũgatur. Sed & Madriti lex altera pragmatica sancita est anno 1575. cuius hæc summa capita sunt. *Ne mulier corpore quæstũ faciens publicè vestem aliquam gestet insignem religionis. Ne anteambulones præcedant. Ne ancillam in obsequio habeat minorem quadraginta annis. Ne in templis puluinari aut alioqui vesti stragula insedeat instar honestarum.*

CAP. XVIII.

An locare domos meretricibus liceat.

PLacet disputationem de meretricibus, quam cum altera de spectaculis occasione oblata tempestiuè, vt arbitror, coniunximus, noua quæstione concludere: quam ancipitem & difficilem reddiderunt, & ipsius natura & scribentium varietas. Ea est: Possit aliquis sine crimine domum meretrici locare, quę ad dardanarios extenditur fucos, talos aleæ, & similia vendentes ijs de quibus minimè dubitant emptis rebus abusuros ad peccandum. Non dubitamus crimine teneri, si eo animo faciant: quem emptores gerunt, rebus quas emunt abuti volentes, cum sint digni morte non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, neque è contrario dubium est culpa vacare quos ignorantia futuri peccati excusat simplici homines animo, neq; curiosè scrutantes quid alij facturi sint. Id modo quæstionẽ habet, an qui scit merces emi, aut domum conduci, vt ea opportunitate abutatur, illius delicti participes sint. Et constat non licere dare gladium ei quẽ scimus trucidare aliquem velle, non venenum noxium ei, qui in alterius perniciem est illud temperaturus, non domum fœneratori locare ca. I. de vsuris lib. VI. Deindè nemini licet occasionẽ peccandi alicui dare; neq; potest negari eum qui domũ meretrici locat, aut fucos vẽdit, illam iuuare vt quæstum corpore faciat, quẽ sublatis ijs rebus non faceret. Hæc sunt in hanc partem argumenta, quibus nonnulli manus dant, atq; cõcedunt, eas actiones locandi aut vendendi nõ vacare culpa. Verum his cõmunis prouinciarum mos resistit: nulli enim religio est meretricibus ea vendere & locare, quibus opus habent ad turpitudinem exercendam. Romæ etiam passim & impunè fit in ipsis Pontificũ oculis, vbi caput & forma est sanctitatis, eoq; maiori spe quæstus confluit maiori numero mulieres perditę. Alioqui si contendimus nõ licere illis domos locare, neq; quibus ad victum opus habent licebit illis dare, cum vitam & vires non alio referant quam vt fortiores Veneris armis (vti quædam ex eo grege dicebat) occurrant. Quod si reipublicæ datur, vt eas sine crimine permittat quæstum facere; dabitur etiam vt ea concedat, sine quibus meretricię artes exerceri non possunt, tum resp. ipsa, tum priuati, q̃d enim interest? Maior in IV. d. XV. qu. XXXV. ait. Negant D. Anton. p. II. tit. I. c. XXIII. §. XIII. Ioan. Medina de restitut. qu. XXX. Magna nos ambiguitate, magno religionem sanctissimam probro principes liberassent, si victi nostris rationibus inducerent in animum hanc turpitudinẽ ab oculis & auribus penitus amouere. Sed quoniam exigua spes est facturos q̃ oportet, inepta persuasione & veteri consuetudine occupatos, vt quæstionem propositã dissoluamus: Caietani Cardinalis distinctio placebat II. II. q. X. art. IV. Nimirũ quędã res per se, & ex natura sua ad prauitatem dirigi, vti idola vestesque alię sacerdotum inter gentes ad impium cultum relata, multę alię cùm in suo genere bonæ sint, & honestum finem habeant, hominum abusu ad prauitatem detorquentur: vt domo, cibo, veste abutitur meretrix, abutuntur alij. Quæ primi generis sunt dare, vendere, aut locare illi, cui ijs rebus abuti propositum esse non ignoramus, crimen est. Sic neque templa

deorum

deorum extruere, aut etiam instaurare, sed neq; synagogas Iudæis licitum erit, sed potius scelus omni supplicio vindicandum, & ne quis nimium seueros nos esse in hac parte arbitretur, s Ambrosij epistolam 29. legat Theodosium Imperatorem accusantem, quasi synagogam à Christianis incẽsam, ab ijsdem instaurari mandaret. Quid, inquit, si alij timidiores, dum mortem reformidant, offerant, vt de suis facultatib. reparetur synagoga: aut Comes vbi hoc compererit primo constitutum, ipse de Christianorum censu exædificari iubeat: habebis Imperator comitẽ præuaricatorem, & huic vexilla cõmittes victricia, huic labarum, hoc est, Christi sacratũ nomine, qui synagogam instauret, quę Christum nesciat; iube labarũ synagogæ inferri, videamus si non resistunt. Erit igitur locus Iudæorum perfidiæ factus de exuuijs Ecclesiæ? & alia quæ sequuntur in eãdem sententiam magna dicendi libertate. Præterea Sozom. lib. V. hist. c. X. cùm Marcus Arethusius Cõstantini imperio Græcorũ templũ quoddam euertisset, iussus à Iuliano Imperatore instaurare illud, aut pretiũ soluere, fuga sibi consuluit primum, deinde multis ciuibus ea causa captis se vltro iudicibus & furenti populo obiecit ad non dubium exitium, tormenta crudelissima. Quid Theodoritus lib. V. hist. Eccles. c. XXXVIII. cùm Audas Episcopus apud Persas templum ea causa Pyræum dictum quod in eo coleretur ignis, euertisset; laudat quod maluerit mortem sustinere, templaq; Christiana dirui, ne illud, vti iubebatur, denuò instauraret; accusat tamen quod templũ temerè euertisset, Pauli Apostoli exemplo producto, qui nullam aram Athenis euertit, è multis quas vidit ineptis superstitionibus sacras: verbis tantum accusauit errorem. Quis est ergo, qui lignarios, cementariosque contẽdit sine peccato Iudæorum synagogæ ædificandæ nauare operam. Verùm ad alia progrediendum est,

A quæ suo genere vitio carent, bonaq; sunt, ea licet aliquãdo tradere ei, qui vult ad peccatũ conuertere, aliquando non licet; certè gladium irruere volenti in alterius perniciem dare, crimen est, at fucos meretrici vendere chartas talosve aleatoribus, nemo sanus accusârit, alioqui scruta vendentes sine discrimine reprobemus, necessè erit. Verùm cùm hæc certa sint & explorata, regula aliqua & di-
B stinctione opus est, qua honestum in hac parte ab illicito secernatur. Optima videri possit, vt ex conditione peccati, ꝙ alter est cõmissurus, cum quo commercium est, discrimen intelligatur. Nam iustitiæ violandæ, vt ad interficiendum hominẽ dare aliquid, nempe ensem furẽti, nefas est, cùm potius quantũ est sitũ in nobis,
C ꝓhibere debeamus. Nam si aliæ virtutes violãdæ sunt, quia Deus hominem sui arbitrij fecit, dare possumus, quo alterũ abusurũ scimus ad peccãdum. Itaq; licebit meretrici fucos vẽdere, vesteq; pretiosam in cultũ corporis, domum etiã locare. Verũ quæ acutè dicta videtur, difficultate non vacant, sic .n. neque thus idololatræ dare in impiũ cultum licebit, contra quam idẽ Caietan. censet, cùm reli-
D gio sit pars iustitiæ, & multo minus fœneratori domũ locare Iudæo, vbi illis permittitur pecuniã fœnori dare, contra quã censet Summa Pisana verbo vsura I. §. V. & verbo pœna §. VIII. vsq; adeò vt nè clericus quidẽ domos illis locantes anathemate inuolui putet, ꝙ alioqui sancitũ est c. I. de vsuris lib. VI. ergo ratio altera cõ-
E modior nobis videbatur ex legum ꝓhibitione, aut permissu distinctio. Licet enim vendere meretrici fucos, locare domos, quoniam ea ars, eaq; peccata in repub. impunè permittũtur, simili modo Iudæo, vbi ei nationi impunè permittitur vsuras exigere; nefas autẽ erit furenti in alterius cædẽ telũ dare gladiumve, domũve locari fœneratori, vbi ea arte est penitus interdictum, ꝙ in Hispania certè contingit, tantundem sentiẽdum

arbitror de ijs quæ ad impiū cultum
conuertenda sunt, non licere ea da-
re aut vendere, ne cōuitium religio-
ni fiat, nisi forsitan vbi Iudæi aut aliç
gentes impunè cum Christianis ver-
santur, quod fieri posse docet S. Tho.
II. XXII. q.X.ar.XI. & quibus ex causis.
Tunc enim fas esse arbitror flores,
thus, aliaq; dare, quamuis sciamus ad
suç religionis ritum ea velle conuer-
tere. Opponas fortasse hac distincti-
one suscepta, nefas certè fore, scelus-
que graue adulterę mulieri fucos vē-
dere, alia vedare, quib. ad alliciendū
adulterum abutatur. talos vendere,
cum vtrisq; legibus sacris & profanis
alea ludere sit vetitum. Sanè in do-
mibus vbi frequens aleæ commerciū
est, ludere non licere more populo-
rum & magistratuum receptum est.
Sic aleæ instrumenta vendere, quib.
ijs locis ludatur nefas erit. Quid si v-
traq; ita habere cōcedam, neq; alea-
tori tesseras, neq; adulteræ fucos ven
dere fas esse? Non debet mercator cu
riosè sordes omnes perscrutari eius,
qui ad emendū venit, sed perspecta
tamen prauitate abstinebit, me certè
arbitro, suasq; merces ijs tantū ven-
det viris aut fœminis, quos honestos
esse credet. At nemo eum delectum
adhibet; esto. Sed multa tamen alia
negligūtur siue ignorantia hominū,
siue lucri cupiditate. Erit postremo
qui opponat fore, vt scortis modo
quæ in lupanari viuunt, liceat dare,
vendere aut locare quib. abutātur ad
peccatum, cùm sit superiùs dictum
illis tantùm in Hispania concedi, vt
impunè quęstum meretriciū faciant.
Credo equidem non eūdem morem
omnium ciuitatū esse, & Romæ præ-
sertim scimus meretrices sępè nullis
certis sedib. tota vrbe vagari, tametsi
ea licētia aliquando restricta sit cer-
ta aliqua regione vrbis ad habitandū
illis designata; illud contendimus il-
lis tantùm, quæ permittuntur licere
fucos dare, quibus faciem inficiant,
locare domum vbi habitent, neque
eos prauitati cooperari, sed permis-
sioni reipub. cōcedere, quàm licitam

esse hac disputatione damus, quod
A in alijs peccatis non contingit, vbi
nulla permissio est, cui cōniuēre pos-
simus instrumento mali dato. Non
licebit tamen ijsdem multo cariùs
quàm cæteris domum locare, ne ex
lucri participatione commune cri-
men euadat, vti Caietanus ipse docet II.
XXII. q.X. art.XI. Verùm ex cæno
hoc stylum retrahere, & ad specta cu-
B la reuocare opus est.

CAP. XIX.

Taurorum agitatio quam originem habeat.

C EX omnibus spectaculis quæ olim
Romæ in vsu fuerunt, atque ex
ea vrbe quasi ex fonte ad alias pro-
uincias manârunt, scenici ferè ludi
relicti, modo sunt, de quibus dixi-
mus, quæ verissima & salutaria pu-
tabamus, præterea taurorum agi-
tatio, de qua quoniam in Hispania
maximè viget, hoc loco disputare
constitui, atque huius spectaculi o-
D riginem primum indicare, commo-
da & incommoda quæ manare ex il-
lo solent, vt quid sentiendum sit le-
ctor sedato animo, neque infectus
præiudicio aliquo per se statuat. Per-
tinet autem hic ludus ad antiquum
spectaculorū genus. *Munus*, vt Ter-
tullianus ait de spectaculis c.XII. di-
ctum est ab officio; quoniam *officiū*
muneris nomen est, *officium* autem
E mortuis hoc spectaculo facere se ve-
teres arbitrabantur (inde *officium de-
functorum* in libris Ecclesiasticis.)
Susceptum enim erat veteri more
Romanorum, vt in exequijs defun-
ctorum seruos mactarent, quasi a-
lieno malo propriū dolorem leua-
rēt. Deinde gladiatores pretio empti
substituti, qui in funere mortuorum
dimicantes suo sanguine manes pla-
carēt. quo modo gladiatores pugna-
rent, explicat Isidor. li.XVIII. Etym.

cap.LIII.Postremo feræ adiectæ sunt cum quibus homines dimicātes, venationes quæ dicebantur, crudele spectaculum exhibebant, sed tanti ea voluptas erat, sic ludi Taurij de quibus agimus, in circo Flaminio edebātur, teste M. Varrone lib. IV. de lingua Latina. Ijdem dijs inferis instituti erant, tum ea causa quod mortuorum animas ijs propitiari persuasum habebant, tum auctore Festo Pompeio, quoniam Tarquinio regnante cùm grauis pestilentia in mulieres grauidas incidisset ex carne diuendita taurorum immolatorum. Ob id Taurij ludi & appellati sunt, inquit, & fiunt in circo Flaminio, ne intra muros euocentur dij manes. Sic origo huius ludi cum cæteris ex impio deorum cultu deriuatur, & ipsa parētatio mortuorum, species idololatriæ erat teste Tertulliano. Mactare quidem immolareque seruos in funere, quod olim fiebat, ab antiquissimo tempore sublatum est sæuum tetrumque spectaculum. Nimirum humani generis hostis vsque eò homines dementarat, vt voluptati ducerent humanum sanguinem fundere. Gladiatores primus Constantinus Magnus deuicto Licinio sustulit, vti Nicephorus ait lib. VII. c. XLVI. Sed repetitum morem incuria aliorum principum Arcadius & Honorius penitùs hac occasione suppresserunt. Venerat ex Oriente *Telemachus* monachus, sic Nicephorus vocat li. XIII c. I. Theodoretum secutus lib. V. hist. c. XXVI. Nam Otho Frisin. lib. IV. Chron. c. XVI. *Dirimachium* dixit. Is cùm spectaculū gladiatoriū intempestiua facundia prohibere in media arena concionabundus conaretur, à furente populo lapidib. obrutus perijt. Re vulgata Imperatores monachi quidem memoriam consecrārūt. gladiatores autem ne ampliùs essent lege lata sanxerūt. Ludum item quo cum bestijs pugnare homines cogebantur siue damnati iudicio, siue pecunia empti gladiatores Constantinus Cæsar sustulit l. II. de gladiatoribus lib. XI. tit. XLIII. ne omninò gladiatores essent sanciens. Sic & ludi Taurij cessarūt, quid enim illis exhibebatur, continebaturq́; aliud quā pugna hominum cum tauris. Is quidem mos aut nunquam in Hispania est sublatus, aut ex interuallo repetitus est in nostra gente, quæ ex spectaculo imprimis sit dedita. Et sunt in Hispania ferocissimi tauri locorum siccitate & pabuli natura aucta mirum in modum ferocia. Ita quæ res maximè deterrere debuit, ne laniari homines viderent, ea res vehementiùs accendit gentem in arma & sanguinem promptam ingenio inquieto, vt taurorū agitationem vehemēter expetant: vsque eò vt quo ferociores tauri sunt, & plures homines peremerunt, eo ludus maiorem voluptatem pariat, nullam integra omnium agitatorū incolumitate certè leuem. Sed interest: quod in venatione veteri damnati gladiatores plerumque pugnare cum bestijs compellebātur, nullo effugio nisi in spectantis populi misericordia, quam veteri gladiatori multis perfuncto periculis exhibere solebant, rudeq́; donatum fixis ad Herculis valuas armis in agrū secedere sinebant. In nostris autem ludis neutrum fit, nemo ad pugnam cogitur, ne seruus quidem aut mortis alioqui reus, omnes voluntarij in arenam agitatores procedunt, & fugientibus multa circum forum effugia patent, angusti aditus & quasi vomitoria, per quos bestia penetrare non potest. Itaq; quod quidam pereūt, videri possit non magistratuum culpa contingere, sed temeritate progredientium eò, vnde tutus receptus nō sit; ac præsertim ijs, qui ex equis tauros agitant, nullum certè exiguum periculum imminet. Plebei tantùm homines periclitantur, atque eorum causa suscipitur disputatio, an propterea hic ludus cum cæteris spectaculis amoueri debeat, an retineri ad populum oblectandum, exercendumq́; ludicris ad vera certamina.

CAP. XX.

An agitatio taurorum sit licita.

GRauis disputatio sequitur, ac qua nescio an vlla maiori contentione animorũ nostra ætate agitata sit in Hispania. An reb. honestis & licitis, an contra, venatio taurorũ sit annumeranda. Quibus probitatis & modestiæ plurimùm inesse videbatur, execrantibus quasi multorum malorum fomitem, crudele spectaculum, indignumque moribus Christianis, alij maiori prudentiæ specie defendũt, oblectationi populari, quoniam eo studio maximè ducũtur homines, aliquid certè dandum. Quæ sentẽtia plures fautores habet quàm superior; & sæpè accidit, vt melior pars à peiori numero suffragiorum vincatur. Extant de ea re varia Pontificum Romanorũ diplomata, sed neque ex ijs lites sunt satis compositæ, neque satis constat an ex naturæ principijs colligatur hunc ludũ in rebus honestis, an illicitis esse. Argumenta in vtramq; partem afferre placet, eorum primum qui licere negãt. Etenim de torneamentis c. I. in Concilio Lateranensi milites ad ostentationem virium suarũ & audaciæ temerè cõgredi, vnde mortes hominũ & animarũ pericula sæpè proueniũt, vetatur; quod an in taurorum agitatione omni ex parte conueniat perire sæpè in ea homines, quis erit tanta libidine contradicendi, vt negare possit? & constat omniũ prædicatione illicitos esse ludos, vnde frequentes interitus hominũ & magna vulnera contingũt. Præterea sexta synodo generali can. LI. non tantùm mimi & eorum spectacula, de quib. su-

A perius satis multa sunt dicta, sed venationum quoq; spectationes prohibentur; est autem hic ludus venationis species. Et sanè quis contenderet fas fore, vt cũ leone in arena aliquis pugnaret? quis non perditum & nequam iudicaret eũ, qui se tali spectaculo oblectaret? & tamen nihilo minori periculo tauri agitantur, nam & ille euadere poterat, siue fuga, siue

B leone interfecto, prudenter Turrecremata Cardinalis ad c. qui venatoribus d. LXXXVI. idem iudicium facit de eo, qui cum alia fera, & qui cũ tauro pugnat, quasi nihil intersit, siue bestia cum qua pugnatur, dentib. armata sit, an cornu feriat, cùm par vtrimque periculum immineat. Ad hæc Cõcilium Arelat. I. can. IV. de agitatoribus inquit, qui fideles sunt,

C *Placuit eos quamdiu agitant à communione separari*, quod repetitur adiunctis *theatris* Concilio Arelat. II. can. XX. *agitatores* autem nos non aurigas, sed eos qui cũ bestijs pugnabant, intelligimus. Equidem cùm cætera spectaculorũ genera ab Ecclesia fuerint amota, præsertim quæ venationes dicebantur, nescio cur ab eo numero atque lege hunc ludum detrahere debeamus. Temeritate, inquis,

D sua perit, qui perit, nulla compulsus necessitate. Esto, sed magistratuum partes sunt retinere eos, qui sua sponte præcipites in exitium irruunt, qui cum populo non secus, ac dux cum cæco, cum infirmo medicus, cum stulto & amente vir prudens comparantur. Quid quod Romanorum tempore, non modo damnati, quod

E frequentius fiebat, sed etiam voluntarij, vt vires & dexteritatem ostentarent, ad bestiarum pugnam prodibant, quod non minùs vitiosum erat, neque minùs vituperat Cyprianus epist. II. quod talia committerẽtur spectacula. *Quid*, inquiens, *illud pro te, quale est vbi se feris obijciũt, quos nemo damnauit, ætate integra, honesta satis forma, veste pretiosa, viuẽtes iuuenes in vltroneum funus ornantur? pu-*

gnant ad bestias non crimine, sed furore. Verum vt ex diuinis litteris aliquid delibemus, Exod. 21. cap. vers. 28. & 29. si bos cornu percussisset aliquem, occidi iubebatur, nam si monitus erat dominus periculum imminere, quod bos cornupeta esset, si non cauisset ipse etiam interfici mādatur; & meritò sanè subijcitur supplicio alterius necem cùm potuisset non prohibens. Quanto fœdius est taurum in mediam multitudinē producere; qui tunc maximè placet cùm plures ad terram prostrauit, alioqui nemine vulnerato friget ludus, quid nisi hoc sit se hominū cæde & laniena oblectare? hominem occidi in hominis voluptatem, vsque eo vt Conchæ, quæ vrbs nobilis est & frequens in Celtiberis, taurus qui septem homines occiderat immortalitati consecratus sit, rei gestæ imagine pictura in loco publico expressa, quod mihi amentiæ ciuium trophæum potius erectum, monimentumque præclarum videtur. Casu inquis, & ex accidenti eæ mortes contingunt. Bardos tu nos & truncos putas, quibus persuadeas casu, & ex accidenti ea contingere, quæ frequenter eueniunt? & est casus inopinæ rei euentus, qui prouideri non potuit. Si tabulati ruina opprimatur aliquis, è tecto aut fenestra decidat, dicam equidem casu id ex accidenti, & præter opinionem euenisse, neque propterea ludum reprobandum contendam; at interfici homines, aut vulnerari à tauris, cùm semper fermè contingat, ludi conditio ex eo merito iudicabitur. Nam quod ex eo spectaculo multa delicta promanāt, fastus ex apparatu vestiū ornatuq; ambitioso, luxuria ex promiscuo virorum & mulierum conuentu, ingluuies ambitiosis cōuiuijs irritatur, & iracundia eo aspectu hominibus in furorem cōcitatis: missa ea facimus, quoniam cōmunia huic ludo cum cæteris omnibus hæc ferè mala sunt, ad quos frequēs & promiscuus conuentus fieri solet, quos vno impetu reprobare omnes, vt maximè nullum subesset aliud periculum nemo audeat. Hæc sunt in hanc partem argumenta, quibus inducti viri graues, magnoq; numero taurorum agitationem quasi illicitā prohibendam esse iudicārūt. In alterā partem quasi moles quædā Hispaniç consuetudo opponitur ab antiquissimis ducta tēporib. quæ variè habita annisq; sublata superioribus, tādem restituta est magistratuum cura, Pontificū venia. Neque debemus existimare in ea prouincia, vbi doctrinæ & pietatis studia vigent, maiori sanctitate, magistratus & principes quā inter alias gentes, publicè ijs auctoribus rem illicitā per tot ætates primum intactā, deinde post abolitionem reductam fuisse. Adde doctos Theologos & graues, qui libris editis confirmant eum ludum licitè fieri. Ioannes Medina de restitutione q. XXI. ad finem. Bartholom. Medina in summa li. I. cap. XIV. §. XXVIII. de ludis. Neque Nauarrus in manuali c. XV. n. XVIII. ausus est eum ludum reprobare, præsertim si cautio adhibeatur, ne mortes & vulnera consequantur. Quod fieri videtur, cùm effugia multa pateant, & priusquam bellua emittatur, voce prçconis denuntietur omnibus, vt se in tuta loca recipiant; nam si perstiterint, non magistratuum culpa peribunt, sed sua quisque vecordia. neque moueat quosdam in ijs ludis occidi, idem enim contingit cùm in stadio de equorum velocitate certamē est, & multo plures per æstatem haustu frigidæ pereunt, peponum, aut aliorū fructuum esu, neq; ijs propterea abstinendum prorsus ducimus. Hæc sunt vtriusq; partis præsidia, ex quibus si attentè considerētur, efficitur agitationem taurorum religionis materiam non esse, neq; de ea vota nuncupari rectè superis, qui nō rebus ludicris & vanis, qualis certè hic ludus est, sed pietate, innocētia & pijs actionibus oblectantur; & vulgò dici solet, *religiosa vota de meliori suscipi,* certè de ea quæ absq; cōtrouersia honesta & vtilis est. Ioānes quidem Medina

dina loco superius citato cõtrarium existimauit: Concilium tamen Toletanum anno 1566. habitum actione III. can. XXVI. secũdum nostram sententiam decreuit hæc spectacula ad vota non pertinere, irritaque ea si suscipiantur, & vana esse declarat. Quod Pij V. Pontificis Max. diplomate paulo post confirmatum est. Atque cùm hoc constet, tum illud ab vtrisque facilè dabitur, siquidem cautio adhibeatur, ne tauri nocere possint cornuum parte præcisa, aut ijs oblonga fune constrictis, vti Romæ fieri consueuit, aut si ex equis tãtum agitent, pedites nulli, agitatio taurorum nullum crimen erit, sed oblectatio populi si non necessaria, certè non exitialis, neque etiam multitudo contineri sine aliqua publica lætitia & voluptate potest. At vt nunc tauri agitantur nulla cautione certè non idonea, ne homium interitus consequatur, is ludus in rebus illicitis haberi debet, quod satis confirmant argumenta priori loco posita, ludum, qui cum periculo interitus committitur, illicitum esse, atque de republica amouendum. Nam quod opponunt quidam viri reipublicæ amatores (sic videri volũt) penuriam equorũ fore eo ludo sublato, & eam agitationem belli meditationem quandam esse; dicimus quod à magnis ducibus affirmatum inaudiebam obesse potius, reddique homines ignauos fugiendi & timendi consuetudine, & multo commodius fore si equorũ cursu exercerentur, sagittandi peritia, aut armati sudibus concurrerent ludicro certamine, vt fit in alijs nationibus, in quibus nulla agitatione taurorum strenui milites euadunt. Equorum alendorum multæ aliæ rationes excogitari possunt etiam in Hispania, vbi propter locorum asperitatem mulis potius vtuntur viatores, quoniam est vngula durior, robur maius, & propter siccitatem aëris inopia pabuli nõ permittit, vt tam multi equi sint, quam in alijs nationibus esse scimus.

A Neque tamen colligi ex his quæ dicta sunt, volumus, spectantes huius ludi crimine aliquo implicari modo è populo illi non fautores spectaculi, neque è sacrato ordine: vti in Pontificum responsis continetur, quæ mox subijciemus, & illis alienum peccatum non placeat, neq; hominum strages, ij ad suam oblectationẽ conuertere poterunt alienam prauitatem, quod ex Antonino colligitur

B II. p. tit. III. c. 7. §. II. neque idem iudicium in scenicis spectaculis esse debet: in quibus, vti superius est demonstratum, actionis turpitudine animi adstantium ad libidinem concitantur. Susceptus in Hispania mos & lõgo tempore confirmatus, vt recedamus à sententia non mouet. Multa in omnibus nationibus negliguntur crimina, præsertim si patroni adsint

C fucata ratione fallaces viri Theologi, quorum quanta sæpè sit libertas pronunciandi, quanta quibusdam cupiditas populo placendi scimus omnes: & est miserum negare non posse, quod pudet confiteri, quæ magna est nostri ordinis calamitas, nihil esse tam absonum, quod à Theologo aliquo non defendatur. Nam voce præconis non satis singulorum

D periculis prouidetur, ac ne fieri quidem fortassè potest, vt cædes & vulnera non consequantur in tanta plebis temeritate, vt Gregorius Lupus affirmat ad l. LVII. tit. V. partita I. quæ tamen omnia pericula vndecumque proueniant, magistratus, quantum in ipsis situm erit, præstare debent, quemadmodum ne annona vitio corrupta morbi consequãtur,

E nè ex pestilenti loco venientes in vrbem admittantur: neque satis excusaret, si singulorum culpa dicerent, & audacia euenire mala. Peponibus alijsque fructibus aut haustu frigidæ, nè intemperantes pereant, cauere quis possit? cùm vsus sæpè sit salutaris ad mitigandos æstus, præsertim per æstatem. Certum autem modum cũctis præscribere non minus stultum esset, quàm si esu penitus interdicerentur.

rentur. Debet ergo magistratus necis & vulnerum periculum vitare, sed quoad rei tamen natura & humanæ conditionis imbecillitas patiatur. Verùm de re tota melius vt iudicetur, quatuor Pontificum diplomata subijcere hoc loco statui, priusquam longæ disputationi finis imponatur.

CAP. XXI.

Pij V. Pontificis diploma.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. De salute gregis Dominici nostræ curæ diuina dispensatione crediti, prout ex debito pastoralis officij astringimur, sollicitè cogitãtes, fideles cuncti gregis eiusdẽ ab imminentibus corporum periculis etiam animarum pernicie perpetuò arcere studemus. Sanè licet detestabilis duellorum vsus à diabolo introductus, vt cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex decreto Concilij Tridentini prohibitus fuerit, nihilominus adhuc in plerisque ciuitatibus & alijs locis quamplurimi ad ostentationem virium suarum, & audaciæ in publicis, priuatisq; spectaculis cum tauris & alijs feris bestijs congredi non cessant, vnde etiam hominum mortes, membrorum mutilationes, animarumq; pericula frequenter oriuntur & cætera. Nos igitur considerantes hæc spectacula, vbi tauri & feræ in circo vel foro agitantur, à pietate & charitate Christiana aliena esse, ac volentes hæc cruenta turpiaq; dæmonum & non hominum spectacula aboleri, & animarum saluti quantum cum Deo possumus prouidere; Omnibus & singulis principibus Christianis, quacunque tam Ecclesiastica, quàm mundana, etiam Imperiali, regia, vel quauis alia dignitate fulgentibus, quouis nomine nuncupentur, vel quibusuis communitatibus & rebuspublicis, hac perpetuo nostra cõstitutione valitura sub excommunicationis & anathematis pœnis ipso facto incurrendis, prohibemus & interdicimus, ne in suis prouincijs, ciuitatibus, terris, oppidis & locis huiusmodi spectacula, vbi taurorum, ferarumq; agitationes exerceantur, fieri permittant. Militibus quoque cæterisq; alijs personis, ne cum tauris & alijs bestijs in præfatis spectaculis, ipsi tam pedestres, quàm equestres congredi audeant interdicimus. Quod si quis eorum ibi mortuus fuerit, Ecclesiastica careat sepultura. Clericis quoque tam regularibus quàm secularibus beneficia Ecclesiastica obtinentibus, vel in sacris ordinibus constitutis sub excommunicationis pœna, ne eisdem spectaculis intersint, similiter prohibemus. Omnesq; obligationes, iuramenta & vota à quibusuis personis, vniuersitate, vel collegio de huiusmodi taurorum agitatione, etiam vt ipsi falsò arbitrantur in honore sanctorum, seu quarumuis Ecclesiasticarum solemnitatum & festiuitatum (quæ diuinis laudibus, spiritualibus gaudijs pijsq; operibus non huiusmodi ludis celebrari & honorari debent) hactenus factas & facta, seu in futurum facienda, quæ & quas omninò prohibemus, cassamus & annullamus, ac pro cassis, nullis & irritis haberi perpetuò decernimus atque declaramus. Mandamus autem omnibus principibus, Comitibus, & Baronibus, S. R. E. feudatarijs sub pœna priuationis feudorum quæ ab ipsa Romana Ecclesia obtinent. Reliquos verò principes Christianos & terrarum dominos prædictos hortamur in Domino, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, vt pro diuini nominis reuerentia & honore præmissa omnia in suis dominijs ac terris huiusmodi exactissimè seruari faciant, vberrimam ab ipso Deo mercedem tam boni operis recepturi. Ac vniuersis venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis & Episcopis, alijsq; locorum ordinarijs in virtute sanctæ obedientiæ sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, quatenus in ciuitatibus & diœcesibus proprijs præsentes nostras litteras suf-

ficienter publicari faciant, & præmissa etiam sub pœnis & censuris Ecclesiasticis obseruari procurent non obstantibus constitutionibus, &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ 1567. Calend. Nouemb. Pontificatus nostri anno II. Hactenus Pij Pontificis diploma, in quo quod superius est dictum indicatur, illicita per se esse hæc spectacula, quando à pietate & charitate Christiana aliena, cruenta, turpiaq; dæmonum & non hominum spectacula à Pontifice vocantur, quibus tauri & feræ in circo vel foro agitantur.

CAP. XXII.

Gregorij XIII. Pontificis Max. diploma.

GRegorius Papa XIII. ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex Catholicus, quod licet Pius Papa V. prædecessor noster periculis fidelium occurrere volens per suam constitutionem omnibus principibus Christianis, cæterisque personis sub excommunicationis & anathematis, & alijs censuris & pœnis prohibuerit, ne in eorum locis spectacula taurorum aliarumq; ferarum & bestiarum agitationes exercere vel fieri permitterent; aut illis quomodolibet interessent, prout in eadem constitutione latius continetur. Nihilominus idem Philippus rex suorum regnorum Hispaniarum vtilitate motus, quæ ex agitatione taurorum huiusmodi prouenire solita erat, nobis humiliter supplicari fecit, vt in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos ipsius Philippi nobis in hac parte humiliter porrectis supplicationibus inclinati excommunicationis, anathematis & interdicti, aliarumq; Ecclesiasticarum sententiarum & censurarum in ipsius prædecessoris nostri constitutione contentas pœnas, in eisdem Hispaniarum regnis, quoad laicos ac fratres milites tantum quarumcunque militiarum, etiam præceptorias, ac beneficia ipsarum militiarum pro tempore obtinentes (dummodo dicti fratres milites sacris ordinibus initiati non fuerint, & agitationes taurorum festis diebus non fiant) auctoritate Apostolica tenore præsentium tollimus & amouemus, præmissis alijsq; in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque: prouiso tamen per eos ad quos spectabit, quod ex inde alicuius mors, quoad fieri poterit, sequi non possit. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die 25. Augusti 1575. Pontificatus nostri anno 4. Hoc diplomate nihil de conditione huius ludi decernitur, licitum ne an illicitum sit agitare tauros. Ex ipsius ludi natura & Pij Pontificis diplomate dijudicandum relinquitur, censuræ tantum remouentur superiori diplomate sancitæ, quod ad laicos quidem spectant, & ex militari ordine fratres, modo sacris ordinibus initiati non sint.

CAP. XXIII.

Sixti Pontificis diploma.

VEnerabili fratri Episcopo Salmantino Sixtus Papa V. venerabilis frater salutem & Apostolicam benedictionem. Nuper siquidem ad nostram notitiam peruenit, quod alias postquam fœlicis recordationis Pius Papa V. prædecessor noster sua perpetuo valitura constitutione spectacula & ludos taurorum prohibuerat, ac tam laicis quàm clericis secularibus, & quorumuis ordinum regularibus, ne eisdem spectaculis & ludis interessent sub certis inibi contentis pœnis interdixerat, & deinde piæ memoriæ Gregorius Papa XIII. etiam prædecessor noster per quasdam suas desuper confectas litteras prædictam

ctam constitutionem, & pœnas in ea contentas clericos tam sæculares quàm regulares, non tamen laicos & milites quarumcunque militiarum sacris ordinibus non initiatos comprehendere declarauerat, prout in constitutione ac litteris prædictis plenius continetur, nonnulli vniuersitatis studij generalis Salmãtini præceptores, tum sacræ Theologiæ tum iuris ciuilis professores, non solum agitationibus taurorum & spectaculis prædictis se ostentare non verentur: sed etiam clericos in sacris ordinibus constitutos, dum agitationibus & spectaculis prædictis contra prædictam prohibitionem intersunt, nullum reatum committere, sed licitè illis adesse posse asserunt, atque publicè in suis lectionibus docent. Vnde multi tuæ diœcesis clerici contra constitutionem & litteras prædictas, licet à te super illarum obseruatione, etiam propositis edictis requisiti atque coacti fuerint, eisdem ludis interesse non desistunt. Nos vt Romanorum Pontificum præcepta, prout decet, inuiolabiliter obseruentur prouidere volentes, Fraternitati tuæ etiam tanquam nostro & sedis Apostolicæ delegato liberam facultatem atque auctoritatem tribuimus, vt tam prædictos præceptores, ne aliquid contra constitutionem & litteras prædictas docere seu asserere, quàm quoscunque clericos in eiusdem Gregorij prædecessoris litteris comprehensos, ludis seu agitationibus ac spectaculis prædictis aliquo modo interesse audeant, seu præsumant Apostolica auctoritate monendi, ac illis præcipiendi, atque mandandi; nec non contra inobedientes cuiuscunque qualitatis fuerint, ipsis prius etiam per edictum publicum constito summariè, & extraiudicialiter de non tuto accessu citatis, ac vt pareant sub sententijs & censuris Ecclesiasticis, etiam pecuniarijs pœnis moderandis & applicandis requisitis ad incursus censurarum & pœnarum huiusmodi declarationem & executionem omnibus & quibuscunque necessarijs, & opportunis tibi visis remedijs procedendi, & quicquid decreueris & mandaueris exequendi, ac totali

A

B

C

D

E

executioni vsque ad omnimodam paritionem demandandi, omni & quacunque appellatione, ac recursu & reclamatione postpositis, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dicta vniuersitatis statutis & consuetudinibus etiam ab immemoriali tempore pacificè obseruatis, ac iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis contra præmissa concessis, & approbatis, & innouatis. Quibus omnibus & singulis etiam si de illis, eorumq́ tenoribus specialis, specifica expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia forma ad hoc seruanda foret, illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisq́ contrarijs quibuscunque. Aut si præceptoribus, lectoribus, professoribus prædictis, vel quibusuis alijs communiter aut diuisim ab Apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die 14. Aprilis 1586. Pontificatus nostri anno I. Huic Pontificiæ constitutioni seu declarationi consonum est Concilij Toletani anno 1566. habiti decretum XXVI. actionis III. quo præcipitur, ne clerici in sacris constituti ijs ludis intersint, si secus faxint, ordinarij arbitrio puniantur. Vtrobique autem nihil de grauitate peccati decernitur, sint ne mortis æternæ rei clerici ea spectacula spectantes, an tantum leuiter peccent.

CAP. XXIV.

Clementis Octaui diploma.

CLemens Papa octauus ad futuram rei memoriam. Suscepti muneris ratio postulat, vt quæ à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris ad animarum salutem piè ac prudenter statuta fuerant, cùm ad illarum perniciem aliquo pacto redundasse constiterit, de his pro locorum ac temporum conditione, vt decet, immutandis matura consultatione adhibita cogitemus. Prisca siquidem illa consuetudo, qua varia ludorum genera statis anni temporibus ad publicam lætitiam populo spectanda proponebantur, in diuersis quoque Christiani nominis prouincijs olim vsurpabatur, quorum illi inter præcipuos erant, in quibus armati milites ad virium & audaciæ ostentationem congrediebantur. Quod in Hispaniarum sanè regnis, vbi taurorum agitationes fieri consueuerant, adeò receptum fuerat, vt ad illarum spectacula omnium ferè ordinum homines conuenirent. Quoniam verò fœlicis recordationis Pius Papa quintus prædecessor noster ex eiusmodi congreßibus & spectaculis non modò corporum, sed etiam animarum pericula frequenter oriri acceperat, de salute gregis Dominici solicitus, vt illis quantum cum Domino poterat occurreret, perpetua sua constitutione omnibus & singulis principibus Christianis, alijsq; personis in eadem constitutione sua expreßis sub excommunicationis & anathematis pœnis ipso facto incurrendis prohibuerat, ne in suis prouincijs, terris, oppidis, ac locis huiusmodi spectacula, vbi tauri, & aliæ feræ agitabantur, fieri permitterent: militibus quoque cæterisq; personis alijs, ne cum ijs congrederentur interdixerat, & si in congressu occumberent, vt Ecclesiastica sepultura carerent, sanciuerat. Clericis demum tam regularibus, quàm A secularibus beneficia Ecclesiastica obtinentibus, vel in sacris ordinibus constitutis sub excommunicationis pœna, ne eisdem spectaculis interessent, similiter vetuerat. Et deinde piæ memoriæ Gregorius PP. XIII. & prædecessor noster carißimi in Christo filij nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, qui regnorum suorum vtilitate, quæ ex ea taurorum agitatione prouenire soli- B taerat motus, id sibi supplicari fecerat precibus inclinatus, excommunicationis, anathematis, aliarumque Ecclesiasticarum sententiarum & censurarum in ipsius Pij prædecessoris contentas constitutione pœnas in eisdem Hispaniarum regnis quoad laicos, & fratres milites tantum quarumcunque militiarum, & præceptorias ac beneficia ip- C sarum militiarum pro tempore obtinentes, modo dicti fratres milites sacris ordinibus initiati non essent, & agitationes taurorum festis diebus non fierent, & per eosdem, ad quos spectabat, prouideretur, ne inde alicuius mors, quoad fieri posset, sequeretur, abstulerat & amouerat, aliaque circa præmissa necessaria & opportuna statuerat & decreuerat, sicuti ipsis litteris dicti prædecessoris, quarum tenores præsentibus pro D expreßis habere volumus, Kalendis Nouembris Pontificatus sui anno secundo, nec non 25. mensis Augusti anno 1575. Pontificatus item sui anno quarto, expeditis latiùs continetur. Cæterum quia sicut idē Philippus Rex nobis & per litteras & per dilectum filium nobilem virum Antoninum Suessæ ducem suum apud nos oratorem nuper exposuit, vsu compertum fuit, pœnas in eisdem E Pij prædecessoris litteris expressas graues quidem & timendas, nondum tamen (quod sanè optandum fuerat) præfatos congressus & spectacula in eisdem regnis Hispaniarum sustulisse, tum propter antiquum eius gentis morem, quo milites, tum equites, tum pedites ita congredientes ad bellica munera acriores redduntur; tum ob insitam quasi animo vniuersis eius regionis hominibus eorundem congressuum, & spectaculorum

lorum cupiditatem, qua adeò tenentur, vt nisi vi maxima ab illis arceri non possint, & cùm sicut eadem expositio subiungebat, quamplurimi ijsdem Hispaniarum regnis in censuras & pœnas præfatas inciderent, in easque passim incidant, & ob id grauiora quàm antea peccata suadente humani generis hoste ibidem perpetrentur, ita vt quæ ad medelam & salutem parata fuerant, in duriorem morbum conuersa ad perniciem conualescant: idcircò idem Philippus Rex nobis supplicari fecit, vt in præmissis prouidere de benignitate Apostolica dignaremur: nos considerantes pœnas excommunicationis, præsertim & anathematis salutaris esse debere, quod eo consilio adhibendæ sunt, vt omnes illarum timore perterriti eas res, quæ prohibentur omninò euitent, & animaduertentes commemoratas pœnas & censuras parum in dictis Hispaniarum regnis hactenus profecisse, atque hoc tempore non solùm animabus non mederi, sed plurimum obesse, quinimò materiam scandali plerisque afferre: his sanè malis ac periculis, pro debito pastoralis officij quantum cum Domino possumus, occurrere cupientes, auctoritate Apostolica tenore præsentium excommunicationis atque anathematis, cæterasq. pœnas in dictis litteris contentas, quoad omnes in illis expressas, in regnis Hispaniarum duntaxat, monachis, & fratribus mendicantibus, cæterisq. cuiuscumque ordinis & instituti, regularibus exceptis, tollimus & amouemus; easdemque prædecessoris litteras ad terminos iuris communis (cui per præsentes non intendimus in aliquo derogare) perpetuo reducimus, ac restituimus, reductasq. & restitutas esse decernimus & declaramus, non obstantibus præmissis, nec non cæteris constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, alijsque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt huiusmodi taurorum agitationes in eisdem Hispaniarum regnis festis diebus non fiant; & per eos, ad quos spectet, prouideatur, ne inde alicuius mors quoad fieri poterit, sequatur. Clericos verò seculares beneficia Ecclesiastica obtinentes, vel in sacris ordinibus, seu Ecclesiastica dignitate constitutos, in dictis Hispaniarum regnis existentes per præsentes monemus & hortamur, ne paterna hac vostra & sedis Apostolica benignitate abutantur, sed memores muneris & vocationis suæ eam vtriusque rationem habeant, vt nihil quod à propria dignitate, & à sua cæterorumq. salute alienum existimetur, vllo vnquam loco admisisse arguantur. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decimatertia Ianuarij, anno M. D. XCVI. Pontificatus nostri anno quarto. Ne in hoc diplomate quidem de conditione ludi aliquid statuitur, sit ne rebus honestis an illicitis annumerandus. Ex ipsa natura rei alijsque rationibus dijudicanda ea quæstio relinquitur, quæ sunt superius productæ. Illud postremo addam, nequam fore & nebulonem, qui vt se oblectaret, in puerorum gregem seu amentes tres aut quatuor, feram immitteret cornu armatam aut dente: in vulgo necessum est, cùm tauri agitãtur, magno numero esse stolidos, audaces, temerarios, quorum certè salus vocatur in periculum: ac ne video quidem maiorem diligentiam hoc tẽpore adhiberi, ne cuiusquam mors in agitatione sequatur, quod præcepit Pontifex, quam antè quinquaginta annos fieri consueuit.

CAP. XXV.

Conclusio operis.

CONfirmatum est, quantum quidem nostri ingenij imbecillitas atque quę de tenui fonte manat eruditio, tulerunt, ludos publicos, qui *spectacula* vocantur, *venationes* ferarum, *scenicas artes*, perniciem afferre populi moribus, sanctissimæ religioni, cui nomen dedimus, dedecus graue: amouenda à republica *lupanaria*, quasi publicam pestem, vbi prostituti pudoris mulieres quæstum turpissimum, atque miserum faciunt. In qua disputatione cùm multa dixerim, fortasse etiam plura quàm opus erat: sentio tamen pro suscepti argumenti amplitudine & rerum copia, mali grauitate pauca esse dicta, multaque prætermissa à nobis fuisse necessario, ne lector, si quis fortè in hæc inciderit, copia & multitudine premeretur videlicet. Totum igitur scenæ apparatum reprobamus, histrionum artes & turpitudinem: tauros in arenam producere nefas esse affirmamus, tetrum ac crudele spectaculum, scorta amouenda decernimus ætatis teneræ labem. Hoc nostrum iudicium est, sententiaque æternum stabit. Quanta itaque voce possum proclamo ac denuncio, facessant turpitudines & probra, corruptelæ morum amoueantur: nullum nobis cum theatro, nullum cum circo, nullum cum lupanaris fœditate commercium, genti ad sanctitatem genitæ, tantisque præsidijs ad omnem probitatem directæ. Rumpantur licet, quicunque se populo probare contendentes has populo & similes oblectationes concedi volunt, argumentis inducti haud satis idoneis. Voluptatis cupiditatem natura insitā quippe ab ipso conceptu fœtus, educationeq; suscep-

A ptæ & coalitæ ludis publicis fallendam, ne ad deteriora labatur. Otium vitari ferendis rumoribus, rixis & seditionibus aptissimum. Molestias continuas & graues, quibus vita vniuersa est obnoxia, eo quasi condimento aliqua ex parte mitigari. Postremo meliora & saniora disputant in votis esse debere, qualiacumque in tanta hominum prauita-

B te, & morum corruptela toleranda videri: cum periculo suscepta olim studia & instituta moueri, populumque irritari exigua præsertim spe fructus. Verùm neque nos omnem oblectationem multitudini denegandam putabamus, sed noxiam & fœdam, multisque & magnis incommodis implicatam: nimirum sine qua multæ ciuitates & prouinciæ &

C olim sustentârunt, & nunc bonis omnibus cumulantur. Certè Christianorum natio vniuersa primis temporibus, Iudaica etiam olim spectaculis, *circo*, *theatro*, & vniuersa hac turpitudine caruit cum laude, neque minùs propterea plebem obtemperantem habuit. Sed & Roma ipsa ducentis amplius annis, neque histriones admisit, neque alia

D commisit spectacula, quo spacio domi forisque vigebat maximè, atque inuicta virtute fundamenta imperij ponebātur, quo orbem terrarum occupauit. Copia voluptatum Martiam Romanorum indolem postmodum debilitauit, & penitus tandem extinxit. Qui ergo consentaneum sit credere publicæ calami-

E tati mederi posse eas oblectationes & studia, quibus concessis in hæc mala præcipitatum est. Erat quidem à Christianorum natione exigendum, vt se professione, cui nomen dederunt, non indignos exhiberent, repudiataque tupitudine omni longè alias voluptates quærerent, alia spectacula: quod Tertullianus eleganter explicat extrema disputatione de spectaculis. *Dicas velim*, inquit, *non*

possu-

possumus viuere sine voluptate, qui mori cum voluptate debebimus? Nam A *quod est aliud votum nostrum, quam quod & Apostoli, exire de sæculo, & recipi apud dominum? Hæc voluptas vbi & votum. Iam nunc si putas delectamentis exigere spatium hoc, cur tam ingratus es vt tot & tales voluptates à Deo contributas satis non habeas, neque recognoscas? Quid enim iucundius quam Dei patris & Domini reconciliatio, quàm veritatis* B *reuelatio, quã errorum recognitio, quã tantorum retro criminum venia? quæ maior voluptas quam fastidium ipsius voluptatis, quam sæculi totius contemptus, quam vera libertas, quam conscientia integra, quàm vita sufficiens, quam mortis timor nullus, quod calcas deos nationum, quod dæmonia expellis, quod medicinas facis, quod reuelationes petis, quod* C *Deo viuis? Hæ voluptates, hæc spectacula Christianorum sancta, perpetua, gratuita, in his tibi ludos Circenses interpretare, cursus sæculi intuere, tempora labentia dinumera, metas consummationis expecta, societates Ecclesiarum defende, ad signu Dei suscitare, ad tubam Angeli erigere, ad martyrij palmas gloriare. Si scenica doctrina delectant; satis* D *nobis litterarum est, satis versuum est, satis sententiarum, satis etiam canticorum, satis vocum, nec fabula sed veritates, nec stropha, sed simplicitates. Vis & pugillatus & luctatus? præsto sunt, non parua sed multa. Aspice impudicitiam deiectam à castitate, perfidiam cæsam à fide, sæuitiam à misericordia contusam, petulantiam à modestia obumbratam, & tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur. Vis autem & sanguinis aliquid? habes Christi. Quale autem spectaculum in proximo est aduentus Domini iam indubitati, iam superbi, iam triumphantis? Quæ illa exultatio Angelorum, quæ gloria resurgentium sanctorum? Quale regnum exinde iustorum? qualis ciuitas noua Hierusalem?* E *at enim supersunt alia spectacula, ille vltimus & perpetuus iudicij dies, ille nationibus insperatus, ille derisus, cum tanta sæculi vetustas & tot eius natiuitates vno igne haurientur. Qua tunc spectaculi latitudo? quid admirer? quid rideam? vbi gaudeam, vbi exultem? spectans tot ac tantos reges qui in cælum recepti nunciabantur cum ipso Ioue & ipsis suis testibus in imis tenebris congemiscentes?* Hæc Tertullianus, pluraque in hanc sententiam, vt Christianis hominibus persuadeat incorporeas voluptates sufficere, quæ ex rerum diuinarum fructu & contemplatione atque naturæ spectaculo percipiuntur vberrimæ. Quod quoniam magna ex parte abiecimus, ne nimium seueri & rigidi videamur, neque mores nostros antiquæ disciplinæ pares esse quis contendat, alias oblectationes dabimus, sed neque obscenas neque noxias. Concurrant inter se equites, peditesve ludicro certamine in iustæ pugnæ modum cum singulis singuli, aut facto agmine. Cursu iuuenes, lucta, iactuque certent, præmijs etiam victoribus propositis ad accedendum certamen. Inter se equis iaculentur Mauricæ pugnæ genere, qua alterius agminis pars magno impetu primum procurrit, missisque in aduersarios arundinibus, iaculorum imagine, pedem referunt ceduntque prementibus aduersarijs, quos excipit pars altera agminis quasi in subsidijs relicta, hanc ex aduersa parte alij, ludus sic continuatur, quæ sunt omnia bellorum imitationes & imagines viribus corporis exercendis idonea dexteritateque comparanda. Neque minus vtile erit de sagittandi peritia certamen constituere globisue è ferreo tubo flamma eluctante eiaculatis in modum fulminis signo proposito contendere, præmio designato illi qui primus collimauerit: quod in alijs nationibus fieri scimus publico commodo, fructuque maximo. Addantur tripudia more Hispanico

nico choreæ, tibiæ & tympani sonitum pedum pulsu modulante. Adijciantur alia quęcumque humana sagacitate & industria excogitari ad oblectandum populum poterunt: tantùm à turpitudine & sæuitia, quod decet Christianos mores, abstineatur: Nihil obscœnum sit quod libidinis æstum proritet, nihil crudele quod à Christiana pietate abhorreat. Sed noui prauorum hominum pertinaciam, nunquam impetrabimus, vt fœditate relicta meliora consilia & salutaria præcepta sequantur, malorum caligine inducta cæci sunt, atque in altissimis tenebris iacent: venenum mortiferum facilius hauserint, quàm vt recta monetibus parcant. Quid igitur; operam ne perdemus? minimè. Nam si retinere eos à morte, ad quam magno impetu currunt, non valebimus, si ab errore ad veram viam, à tenebris ad lucem reuocare, quoniam ipsi aures obstruxerunt suas; alios tamen confirmabimus quorum non est stabilis adeo in malo, ac solidis radicibus fundata & fixa sententia, ne voluptatibus se scientes ingurgitent, neque obscœnis spectaculis & tetris animas ad sanctitatem genitas polluant, scientesque & prudentes æternis cruciatibus immortalitatem veris pietatis cultoribus à Deo propositam mutent. Quod si contigerit, vt nostro labore aliqui saltem excitati cautiores euadant, haud inutiliter positam esse operam arbitrabimur.



A [redacted]

B [redacted]

C [redacted]

D [redacted]

E [redacted]

[redacted] sæpè esse & aëria. [redacted]

(.·.)

IOANNES MARIANA

DE DIE MORTIS CHRISTI.

CAPITVM INDEX.

Quo anno & die Chriſtus eſt mortuus.

PRÆFATIO.



CONTENDO Chriſtum Deum à Iudæis 8. Kalēdas Aprilis die Martij vigeſimaquinta fuiſſe cruci affixum. Contendo trigeſimo quarto ætatis anno inchoato. Grauis diſputatio, anceps, ſpinoſa, ac qua neſcio an vlla maiori ſentētiarum varietate, ingeniorum contentione à centum quinquaginta annis ſit in ſcholis iactata ab ijs, qui Kalendarium Romanum multis modis deprauatum iniuria temporum, incuriaque hominum, caſtigandum, ac priſtino nitori reſtituendum affirmabant, viri eruditionis opinione præſtantes, diligentia maxima. Verùm quæ vſu frequenti niteſcere debuit ferri inſtar, fœdata potius, atque obſcurata multis ambiguitatibus eſt, vt ſua multitudine ac varietate auctores videantur pro luce, quam pollicebantur, tenebras offudiſſe potius veritati, ac noua plerique conſtrata via à propoſito ſibi fine eò turpius aberraſſe, quò maiori confidentia à veſtigijs antiquorum recedendum ſibi fore exiſtimârunt, non ipſi errantes modo, quod erat propter numerum & eruditionem tamen miſerandum, A ſed in eundem errorem mittentes alios, propter multa argumenta atque auctoritatem dicentium, commento probabili vulgò accommodata fides eſt. Eò audacia maior videatur temeritati proxima, velle labefactare opinionem multis diſputationibus, vaſtiſque voluminibus fundatam, & quaſi conuulſis radicibus vetuſta placita extirpare, B inſerere noua (ſi noua noſtra ſententia eſt, ac non potius antiquiſſimis temporibus celebrata.) Conandum eſt tamen, neque enim in tam bona cauſa aut res, aut verba deeſſe poſſunt. Veterum ſcriptorum auctoritate fideque à calumnia recentium ſcriptorum vindicanda, quantum erit ſitum in nobis, contendere C certum eſt. Neque de victoria deſperamus, quamuis aduerſus armatam aciem tantorum virorum: intendat modo lector animum, neque vllo præiudicio incognita damnet. Qua in pugna vtrique tamen victores erimus mendacio ſuperato, quod multis annis multorum mentes occupauit. Et quoniam in computatione temporũ immorari nonnunquam neceſſe erit, ea lector difD ficultate deuorata de diſputationis ſumma facilius iudicabit, rationum momenta expendet, non earum tantum, quæ aſſenſum neceſſario exprimunt, ſed quæ à veriſimili ducuntur, & fide nituntur probabili.

nico choreæ, tibiæ & tympani sonitum pedum pulsu modulante. Adijciantur alia quæcumque humana sagacitate & industria excogitari ad oblectandum populum poterunt: tantùm à turpitudine & sæuitia, quod decet Christianos mores, abstineatur: Nihil obscœnum sit quod libidinis æstum protitet, nihil crudele quod à Christiana pietate abhorreat. Sed noui prauorum hominum pertinaciam, nunquam impetrabimus, vt fœditate relicta meliora consilia & salutaria præcepta sequantur, malorum caligine inducta cæci sunt, atque in altissimis tenebris iacent: venenum mortiferum facilius hauserint, quam vt recta monitibus parcant. Quid igitur, operam ne perdemus? minimè. Nam si retinere eos à morte, ad quam magno impetu currunt, non valebimus, si ab errore ad veram viam, à tenebris ad lucem reuocare, quoniam ipsi aures obstruxerunt suas; alios tamen confirmabimus quorum non est stabilis adeo in malo, ac solidis radicibus fundata & fixa sententia, ne voluptatibus se scientes ingurgitent, neque obscœnis spectaculis & tetris animas ad sanctitatem genitas polluant, scientesque & prudentes æternis cruciatibus immortalitatem veris pietatis cultoribus à Deo propositam mutent. Quod si contigerit, vt nostro labore aliqui saltem excitati cautiores euadant, haud inutiliter positam esse operam arbitrabimur.



A [redacted]

B [redacted]

C [redacted]

D [redacted]

E [redacted]

[redacted] sæpè esse & aëria. [redacted]

(.·.)

IOANNES MARIANA

DE DIE MORTIS CHRISTI.

CAPITVM INDEX.

Quo

Quo anno & die Christus est mortuus.

PRÆFATIO.



CONTENDO Christum Deum à Iudæis 8. Kalēdas Aprilis die Martij vigesimaquinta fuisse cruci affixum. Contendo trigesimo quarto ætatis anno inchoato. Grauis disputatio, anceps, spinosa, ac qua nescio an vlla maiori sentētiarum varietate, ingeniorum contentione à centum quinquaginta annis sit in scholis iactata ab ijs, qui Kalendarium Romanum multis modis deprauatum iniuria temporum, incuriaque hominum, castigandum, ac pristino nitori restituendum affirmabant, viri eruditionis opinione præstantes, diligentia maxima. Verùm quæ vsu frequenti nitescere debuit ferri instar, fœdata potius, atque obscurata multis ambiguitatibus est, vt sua multitudine ac varietate auctores videantur pro luce, quam pollicebantur, tenebras offudisse potius veritati, ac noua plerique constrata via à proposito sibi fine eò turpius aberrasse, quò maiori confidentia à vestigijs antiquorum recedendum sibi fore existimârunt, non ipsi errantes modo, quod erat propter numerum & eruditionem tamen miserandum, sed in eundem errorem mittentes alios, propter multa argumenta atque auctoritatem dicentium, commento probabili vulgò accommodata fides est. Eò audacia maior videatur temeritati proxima, velle labefactare opinionem multis disputationibus, vastisque voluminibus fundatam, & quasi conuulsis radicibus vetusta placita extirpare, inserere noua (si noua nostra sententia est, ac non potius antiquissimis temporibus celebrata.) Conandum est tamen, neque enim in tam bona causa aut res, aut verba deesse possunt. Veterum scriptorum auctoritate fideque à calumnia recentium scriptorum vindicanda, quantum erit situm in nobis, contendere certum est. Neque de victoria desperamus, quamuis aduersus armatam aciem tantorum virorum: intendat modo lector animum, neque vllo præiudicio incognita damnet. Qua in pugna vtrique tamen victores erimus mendacio superato, quod multis annis multorum mentes occupauit. Et quoniam in computatione temporū immorari nonnunquam necesse erit, ea lector difficultate deuorata de disputationis summa facilius iudicabit, rationum momenta expendet, non earum tantum, quæ assensum necessario exprimunt, sed quæ à verisimili ducuntur, & fide nituntur probabili.

CAP. I.

De Kalendarij Romani emendatione.

PRiusquam ad propositam disputationem accedo, de Kalendarij Romani castigatione aliqua dicẽda sunt, atque de multiplici annorum ratione, haud multo minori difficultate impedita quæstio, neque minori sententiarũ inconstantia dubia. Annum sol facit cõuersione sua duodecim signa Zodiaci percurrens. Mensem luna idem spatium minori tempore conficiens. Tempus vniuersum in annos tribuunt nationes, annũ in menses diuidunt, nõ eadem omnes ratione. Hinc omnis difficultas extitit: quoniam lunæ & solis cõuersiones magnopere discrepantes inter se certo dierũ numero exæquare promptum nõ erat, neq; quibus anni dieb. luna digrederetur à sole (quod mẽsis initium erat) certa ac perpetua ratione designare. Antiquissimi Romani ad solis numerũ, lationesq; annum accommodarunt, in decem menses explicatum, è quibus sex tricenũ dierum essent, quatuor tricenis & singulis constarẽt, Martius, Maius, Quintilis, October. Totus annus diebus 4. & 300. complebatur, principiũ mensis Martius: vti aliorum mẽsium nomina indicio sunt. Neq; ijs mensibus inchoãdis lunæ exortum obseruasse arbitror; neq; rudi sæculo in quæ incommoda præcipitarent considerabant æstatis ferias in hyemem verti, veris in autumnũ. Arabes annos descripsẽre ad lunę tantum conuersiones respicientes duodecies per signa Zodiaci circumactæ, vnde 12. menses extiterũt, sex dierum viginti nouem, triginta dierũ sex alij, vniuersus annus dieb. 354. complebatur. Præterea vt quidam minutias tẽporis, quæ ex Lunæ motu redundabant, consumerẽt, 30. annorum spatio dies 11. intercalabant ad finem vndecim annorũ 2. 5. 7. 10. 13. 16. 18. 21. 24. 26. 29. adiectos: quos annos diebus 355. finiebant nihilominus, atque is erat cyclus Arabum, neque vlterius porrigebatur. Arabum institutum inter Romanos Reges Numa Pompilius imitatus est ad antiquam anni rationem à Romanis obseruatam, quinquaginta dies adijciens, geminumque mẽsem Ianuarium atque Februarium: quo incremẽto totus annus dierum 354. euasit. Prudentius quidem quam antè; sed eueniebat tamen longiori quamuis tempore, vt frigus æstiuis mensibus esset, calor hyemalibus. In quod incommodum gens Maurica incurrit antiqua annorum ratione mordicus retenta: nam cæteris cura fuit Lunæ ac Solis conuersiones inter ipsas comparare, atque, vt ijdem mẽses ijsdem anni temporibus prouenirent, curare. Græci octauo quoque anno euoluto dies nonaginta in tres menses tributos effluere sinebant, idem fecẽre posteriores Romani paucis tantummodo commutatis. Hebræi & AEgyptij, vti erant cælestium rerum peritissimi, hanc rationem exæquandi annos, quam intercalationem Latini vocãrunt, prudentius excogitãrunt, annis nouemdecim, quo spatio omnis lunæ varietas consumitur, & ad eosdem anni solaris dies lunæ exortus reuertitur, septem menses certis interuallis intercallantes, nimirum 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19. qui cyclus lunaris seu decemnouenalis vulgò vocatur. Iulius Cæsar Romana rep. oppressa, temporum anniquc rationem nimium inter Romanos perturbatam acriori studio emendare satagens, tertio suo cõsulatu anno confusionis facto, vti Cẽsorinus ait in libro suo de die Natali c. 8. dierũ 443. Macrobio teste lib. I. Saturn. c. XIV. mox ꝓximo cõsulatu antè Christi ortũ anno 45. annum obseruari mãdauit 365. diebus & quadrante constantem, lege in perpetuũ lata, vt singulis quatuor annis dies vnus cõsumeretur ad sextum Kalendas Martij, quem ob id bissextum nominarunt. Lunæ ratio atque inconstantia

stantia omnis aureo numero comprehensa est, vnitate ad Ianuarij Kalendas posita, quoniam eo die, quo anno Kalendarium est à Iulio correctum, Lunæ coniunctio fuit, inde procedentes numeros alios vsque ad nouemdecim certis interuallis Romanis mensibus adiecerunt. Ratio tunc commodissima visa est, vt solis conuersio, quæ 12. mensibus finiebatur, cum lunę motu, cui aureus numerus deseruit, consentiret. Sed progressu temporis ob quasdam minutias temporis non satis in describenda anni ratione consideratas deprehensum est, neutrum satis conuenire. Itaque gens Christiana quæ ex Iulij imitatione, quoad statiuas quidem ferias, solarem, quoad conceptiuas autem, lunarem annum sequebatur, se multum à proposito aberrare deprehendit. Neque anni initium, æquinoctia & solstitia in eundem mensis diem incidere, neque aureo numero, qua causa institutus erat, Lunæ exortum designari deprehendique. Sensêre Patres Concilij Niceni eam difficultatem tunc nascentem, nostra tempestate adultam atq; composita cõtrouersia, quæ inter Asianos luna decimaquarta primi mẽsis Hebræorum instituto Pascha celebrantes, & reliquas orbis nationes erat, anni rationem noua diligentia castigârunt æquinoctio verno ad 12. Kalendas Aprilis collocãtes stabili ac perpetua, vt tunc quidem videbatur, sede, nouoq; aureo numero excogitato, quẽ cyclum decem nouenalem dixerunt Alexandrinorum instituto, quorum erat ea tempestate rerum cælestium præcipua cognitio, qui numerũ Kalendis Ianuar. ternarium affixit, vti fieri videmus in omnib. paulo antiquioribus Ecclesiarum Kalendarijs, indè certis interuallis ad reliquos numeros procedebatur, binariũ etiam & vnitatem. Verùm ea ratio corrigendi tempora ad tempus certum, cum recto ordine perseuerasset, perpetua esse non potuit, anni initio æquinoctijs & solstitijs diebus circiter decem anticipatis, quæ magna cõfusio erat. Pręstereà aureo numero non lunæ exortum, qua causa institutus erat, sed lunam quintam aliquando etiam sextam designante, vt ferè ad inueniendam lunæ coniunctionem supra aureum numerum 4. diebus ascendendum esset, sic factum, vt celebrãdo paschate aliquot diebus à vera ratione & antiqua aberraremus, nonunquam integro mense nõ primo lunari mẽse pascha celebrantes, sed secundo potius, qui erat immundis aut impeditis, legis præcepto veteri instituto designatus. Vt ea incõmoda vitarent, antè ducentos amplius annos ratio, si aliqua se fortè daret, tum à Pontificibus Romanis publicè, tum à plerisq; astrologis priuatim excogitata, neque inter multas, quæ proponebantur, aliqua visa est satisfacere, sic vt non maiora incommoda afferret, ac præsertim astrologorum rationes & tabulas, omnemque temporum rationem perturbari quocumque remedio, quauis immutatione anni facta considerabant, quod omni ratione vitandum videbatur, donec Gregor. XIII. Pontifex Maximus salutis anno 1582. vtrumq; errorem correxit aureo numero ex puncto detractoque è Kalendario, atque in eius locum maiori numero substituto, quem Epactas nominauit, certa ratione ita distributas, vt perpetuo Lunæ exortum omnibus annis indicent. Præterea ex mense Octobri ineunte decem dies detracti eo quidem anno sunt, quo anni solaris initium æquinoctia & Solstitia ad veteres sedes reuocarentur à Nicenis Patribus designatas; quas ne deincèps mutarent, bissexti intercalationem certis annis omitti prudenter est excogitatum atq; prouisum.

CAP. II.

Alia Kalendarij correctio.

HAE fuêre nobiliores Kalendarij Romani correctiones; aliam tamē, quoniam vulgo minus est nota, & susceptæ disputationi nonnihil lucis afferet, adscribere operæ pretiū erit. Cùm Iulius Cæsar anni modum diebus 365. & quadrante definîsset, cumque singulis quatuor annis, hoc est, quarto quoq; anno confecto diē vnum intercalare debuissent sacerdotes, quorum ea cura erat, quarto non peracto, sed incipiente fecerūt. Hic error sex & triginta annis tenuit, vti Macrobius ait lib. I. Satur. c. XII. quibus annis dies duodecim intercalati sunt; cùm nouem tantummodo debuissent. Augustus Iulij successor hunc errorem deprehensum tandem correxit, annos 12. sine intercalatione transigi iubens, vt illi 3. dies, qui vitio sacerdotum per annos 36. excreuerant, eo spatio demerentur tribus bissextis omissis. Ex ijs 12. annis octo tantum anni effluxerant, quo anno Christus est natus, atque adeò dies vnus redundabat, qui vltimo bissexto intermisso consumendus erat, factumque est propter hanc vnius diei redundantiā, vt primus dies mēsis numeraretur, qui reuera secūdus numerari debuisset: atque de alijs anni dieb. eodem modo est sentiendum. Sic ducta per manus opinione & antiquorum Patrum testimonio atque auctoritate sextæ syno. c. VIII. Comestor Vincēt. Bellou. Cedreni. Lucæ Tud. in chro. Christū die veneris conceptum, natum die Dominico vulgò homines affirmāt. Quod nisi hoc errore animaduerso intelligi non potest: eo enim anno neque dies 25. Martij quo Christus est conceptus, in diem Veneris incidit, neque 25. Decemb. in diem Dominicum. Verum eo sacerdotum errore animaduerso, qui nōdum plenè erat correctus, intelligimus diē 25. vtroq; A mēse numerari eo tempore, cùm 26. numerari debuisset. Addit Paulus Forosempron. II. p. Paulinæ lib. XII. c. III. ex priori sacerdotū errore nouum conflatum, atque post duodecimum annum proximè sequenti bissextum celebrâsse, cùm non antè decimum sextum debuissent: quod vtinam aliquo vetustiori testimonio confirmasset, magnum momentum B ad ea quæ paramus dicere attulisset. Neq; puto tamen tantum virum temerè pronunciasse, tametsi à posterioribus passim reprehenditur. Et Dionysius Abbas quinto Christi anno bissextum notat, hoc est, anno 13. huius correctionis, quod nisi per hūc errorem sacerdotum contingere nō potuit: & verisimile est sacerdotes ꝑ incuriam priori similem, cùm 12. tātum annos sine intercalatiōe dimit-C tere iussi essent, ꝓximo decimo tertio intercalasse. Vnde similis error contingeret, vt dies vnus redundaret, atq; vigesimus quintus dies Martij numeraretur, ac verò cuiusuis mensis, qui, si vera computatio esset, ac dies ille vnus fuisset consumptus, dies 26. numeraretur. Neque verba Solini mouent c. III. qui postquam D de ea ab Augusto facta correctione similia Macrobio dixisset, ex qua disciplina subdit omnium postea temporum fundata ratio est: nam in annorum computatione vnius diei error admissus Solinum latere facilè potuit. Si quis roget, quo primum tempore is postremus error sacerdotum deprehensus correctusque fuerit, haud facilè affirmare quid certi E possim. Luce historiæ destituti, in multis quæ antiquis temporibus gesta sunt, hallucinemur necesse est. Suspicor tamen non antè Concilium Nicenum, cùm de ea re propriè suscepta est disputatio, eum errorem fuisse correctum.

CAP. III.

Triplex anni ratio.

COrrigendi Kalendarij inde omnis extitit difficultas, quod non vna anni mensura sit, sed triplex. Iulius, vti prius dictum est, annum 365. diebus & quadrante præcisè descripsit, quæ anni longissima mensura est: nam verus solaris annus, hoc est, spatium, quo ab æquinoctio verno ad idem æquinoctium recurrit, aliquanto minor est. Ptolomæus Alexandrinus, qui vixit anno salutis 132. dictione 3. Almagesti dies continere dixit 365. horas 5. minuta 55. secunda 12. Itaque minor est anni Iulij minutis 4. secundis 48. hoc est, trecentesitesima circiter diei parte. Alfonsus Castellæ Rex salutis anno 1251. annũ solarem describit diebus 365. horis 5. minutis 49. secũdis 16. hoc est, minus anno Iulij minutis 10. secundis 44. hoc est 134. circiter diei partem. Albategnes Maurus propius ad veritatem videtur accessisse lib. de motib. stellarum, vbi verum annum solarẽ continere dixit dies 365. horas 5. minuta 46. secũda 24. nempe à Iulij anno deficit 13. minutis, secũdis 36. hoc est 106. parte diei, quo fit, vt vera æquinoctij sedes in Kalendario totidẽ annorum spatio diem vnum anticipet, quod experimentis astrologicis verum esse constat, quando æquinoctium, quod Cæsaris ætate incidebat die 25. Martij nostra ętate priusquam à Gregorio XIII. decem dies ab anno 1582. essent detracti ferè incidebat decima die eiusdem mẽsis Martij. Scripsit autẽ Albategnes circiter annum 900. Tertius annus Lunaris vulgò dicitur, qui 12. lunaribus mẽsibus computatis in vnoquoq; anno. Præterea septem alijs mensibus, qui 10. & 9. annorum spatio intercalantur per totidem annos distributis, continebit dies 365. horas quinque, minuta 55. secunda 21. tertia 56. Itaq; anno solari vero maior est amplius minutis nouem, hoc est, diei parte circiter 160. minor autem anno Iulij minutis 4. secundis 38. tertijs, 4. hoc est, 300. circiter diei parte. Hinc prouenit, vt pari annorũ numero aureus numerus, qui initia mensium lunarium, initiaque anni lunaris mõstrabat, die vno anticipari debeat in Kalendario, aut potius cùm aureus numerus fixus sit mensium anniq; initia sedẽ vno die annis circiter 300. anticipẽt. Parum ab hac nostra mensura discrepãt Hebræi longitudinem sui anni lunaris describentes. Inter Astrologos etiam nonnulla de anni lunaris modo disputatio est, atque inter eos sunt qui paulo minorem faciant, nempè à Iulij anno superatum parte modo diei 262. eo argumento, quoniam à Cęsaris ætate diebus sex nihilominus in Kalendario Lunæ coniunctiones sedem suam anticipârunt, quib. magis assentiebar. Omninò hinc vniuersa difficultas extitit Kalẽdarij castigandi: quoniam initia horum annorum inter se comparare difficilimum erat tantoperè inter se discrepãtia. Poterat annus verus solaris cum anno Iulij exæquari vnum bissextum prętermittendo singulis centum annis. Verum id annis lunaribus non conueniebat, qui 300. aut potius 262. diem vnum anticipabant, atq; adeò totidẽ annis, vt fixam sedem haberẽt, diem vnũ bissextũ intermitti desiderabãt, non amplius, Quod nonnulli nostra ætate considerantes vtrique incommodo occurri nõ posse, vt annus solaris verus cum anno Iulij exęquaretur bissextum diẽ quolibet anno 100. omittebãt, deinde annum lunarem, hoc est, aureũ numerũ incõstantem ac variũ constituebãt, ita vt singulis 300. annis diem vnum in Kalẽdario omnes aurei numeri anticiparẽt. Sapientius Grego. XIII. his numeris ex punctis maiorẽ numerum substituit quem Epactas nominauit certis legibus adstrictum, vt perpetuò coniunctiones lunæ medias demonstraret. Verũ de his latius disputandi alia se forsitan occasio magis opportuna dabit.

CAP. IV.

Varij modi Paschatis celebrandi.

EX eodem fonte nobilissimę contentiones in Ecclesia manarunt, ac difficultas, quo tempore dies Paschatis celebrari deberet. Constabat quidem veteris legis præcepto, Pascha Iudæorum celebrari debuisse primi mensis decima quarta die, Leuitici 23.c. *Mense,* inquit, *primo quarta decima die mensis ad vesperam Phase domini est, & quinta decima die mensis huius, solemnitas Azymorum domini est, septem diebus Azyma comedetis.* Eius ad instar Paschatis, quoniam per eos dies Christus est à Iudæis occisus, nouum Pascha Christi in vitam restituti monimentũ Christiani celebramus per idem veteri instituto tempus. Cæterum, quę luna prima iudicari debeat, ac quoto illius lunæ die ferias agere conueniat, non satis inter veteres, ne posteriori quidem tempore conueniebat. Primi Asiani veteri instituto cum Iudæis Pascha die 14. primi mensis celebrabant nulla Dominicæ cura. Eius ritus autorem primum Ioannem Euangelistam laudabant, eoq; maiori contentione tuebantur. Alij cõtra die Dominica post quartam decimam lunam primi mensis faciebant pascha. refert Eusebius historiæ Eccles. lib. V. c. XXII. multos Episcoporum conuentus ea causa tum in Asia, tum in alijs orbis partibus fuisse habitos: in quibus Concilium Cæsariense maiori fama celebratur, Theophilo Cæsariense præside, cuius extat epistola de ratione paschatis celebrandi, consentiens Victori Romano Episcopo, atque Ecclesijs Occidentalibus, neque se tamen Asiani deseruerunt, tanta quamuis oppressi auctoritate, atque anathematis ignominia à Victore notati. Sed conuentu ipsi habito mordicus

A in sententiã perstiterunt Ioannem, multosque alios Apostolicos viros eorum instituto pascha celebrasse excusantes, nimirum Iudaicos ritus nondum plane abolitos viri illi sanctissimi ad tẽpus fortasse tenuerunt, quod successores ad legẽ perpetuam vertere præpostere voluerunt. Neque ante restiterunt tamen, quam pace reddita Ecclesiæ Constantinus Imperator Synodo Nicena habita

B effecit, vt omnes in eundem morem conuenirent, neque luna 14. cum Iudæis, sed post eam proximo die Dominico celebrari sanxit. Theodoretus lib. I. epistola synodali ad Alexandrinos concordiam fuisse factam testatur. Soli Nouatiani non videntur decreto consensisse: nam Valente Imperatore inuenio Martianũ Nouatianum Synodo Episcoporum in

C Pazeno Bithyniæ vico habita sanxisse, vt pristinus Asianorum mos retineretur, quod video in alia Synodo in Sangario habita ex parte confirmatum. Verùm Catholici semper ad Pascha celebrandum æquinoctium vernum respexerunt, vti Socrates ait lib. IV. c. XXIII. semper Romanam Ecclesiam post verum æquinoctium pascha celebrasse, quod considerantes Niceni patres id æquinoctium à

D Iulij tempore quatuor diebus in Kalendario anticipatum, ac ferè incidere die 21. Martij, eo die quasi æquinoctio fixo sumpto mandarunt, vt luna ei diei vicinior prima anni numeraretur, quæ lex ad tempus vtilis fuit, perpetua esse non potuit: fiebat enim æquinoctio decem diebus anticipato, vt non prima luna pa-

E scha celebraretur, sed potius luna secunda, quo mense pascha celebrari non deberet. Ergo Concilio Niceno celebrato, maior de Paschatis tempore concordia inter Ecclesias fuit, plena esse non potuit omnibus nationibus in eandem sententiam conspirantibus. Sozomenus lib. VII. c. XVIII. Montanistis, quos Pepuzitas etiam & Cataphrygas vocabant, familiare fuisse ait, vt lunæ cursu con-

tempto solares tantùm circulos sequerentur, annumque ab æquinoctio inchoarent, quod ipsi collocabant nono Kalendas Aprilis, diemque deinde 14. pro 14. luna computabant, nempe diem 6. Aprilis, & proximo die Dominico Pascha celebrabant. Facilius se Galli ab hac tota difficultate expediebant die 25. Martij 8. Kalendas Aprilis omnibus annis Pascha celebrantes, vti Martinus Dumiensis opusculo de Paschate testatur, paulò ántè suam ætatem eum morem inuectum in Gallia fuisse. Consentit Beda de ratione temporum ca. XLV. Neque multum à Gallorum ratione veteri discrepat Ciruelus ad calcem expositionis libri missalis, optimè cõsultum rebus humanis existimans decernẽsque, si ad Pascha celebrandum dies 25. Martij obseruetur, atque festum celebretur die proxima Dominica, siue præcedat, siue sequatur, quæ magna videtur temeritas affirmandi, nouoque decreto vniuersam antiquitatem damnare, quæ nisi magna de causa tantas difficultates paschate celebrando nunquam subijsset. Scoti etiam peculiarem & ipsi ritum tenuerunt, Pascha celebrantes à 14. luna vsque ad 20. quicumque dies Dominicus eo dierum interuallo incidisset, quod facere non debebãt, vti copiosius est à nobis explicandum. De eo more multa commemorat Beda in historia Anglorum lib. III. c. XXV. & lib. V. c. XVI. XXII. & XXIII. Fuêre alia dissidia inter Ecclesias minora, sæpeque accidit, vt alio die Orientales, alio Occidentales pascha celebrarent. Verùm ea dissidia opportunius explicabimus, si primam originem, primosque fontes ita dissidendi aperiemus.

A

CAP. V.

De Cyclis solari & lunari.

Dies hebdomadis ab Hebræis quidem à Sabbatho vniuersi nomẽ habent, vt prima sabbathi, secunda sabbathi: Ecclesiæ instituto feriæ omnes appellantur præter diem sabbathi, cuius nomen retinetur, & diem

B

Dominicum Christi in vitam reducis monimentum, sic à Siluestro Pontifice & Cõstantino Imperatore sancitum inuenimus, vt dies hebdomadis nominarentur feriæ. Apud veteres Romanos menses in hebdomadas partiri receptum non erat, sed in Nonas, Idus, Kalendas, eoque apud illos ea dierum nomina non erant,

C

ac ne Kalendario quidem veteri Romano septem litteræ affingebantur, sed octo: quæ nũdinas monstrarent, nono quoque die recurrentes. Chaldæorum imitatione factum est, vt à posterioribus Romanis dies hebdomadis nominarentur septem planetarum nominibus. Primus dicitur dies Solis, secũdus Lunæ, tertius dies Martis, ac cæteri suo ordine. Cur au-

D

tem nõ sint secuti in dierum nominibus ordinem Planetarũ alia quæstio est. Plerique respondent, quoniam singulis diei horis suum planetam præesse credebant, & consumptis omnibus circulo diei horis proximum diem ab eo planeta nominabant, quẽ primæ eius diei horæ præesse habebant persuasum. Ea ferè inter nostros consuetudo valuit: sep-

E

temque litteræ omnibus Kalendarijs Ecclesiasticis affiguntur, totidem hebdomadis diebus respondẽtes. Ex quib. & quaternario, nam eo annorum numero bissextus contingit, si vnus numerus ducatur per alterum, efficitur numerus 28. qui annorũ numerus cyclus solaris vocatur à sole, non quod ea stella 28. annis cursum suũ conficiat, sed quod eo annorum spatio ad eadem recurrũt principia,

eosdemque dies septimanæ, mensisque omnes varietates, quæ ex littera Dominicali & bissexto illo annorũ numero contingunt. Nam bissextus eo spatio per omnes currit ferias, vt consideranti facilè patet. Cyclus lunaris decem & nouem annis completur, quem Iulius Cæsar atque Alexandrini non ab eodem initio, sed pari tamen annorum numero ab vnitate progredientes, aureis numerorum notis Kalendario adscripserunt, eoq; aureum numerum dixêre. Vocatur autem is cyclus decemnouenalis lunaris, quoniã eo annorum spatio lunæ coniunctiones ad eosdẽ omnino in Kalendario dies recurrunt. De quo cyclo nonnullę quæstiones sunt: ac prima cur Metonis annus à quibusdam è veteribus scriptoribus is cyclus nominatur? Respondet Rufus Festus Auienus in Arati Phænomena, vbi de hoc cyclo mentio extat illis verbis: *τὰ γὰρ συναείδεται ἤδη ἐννέα καὶ δέκα κύκλα φαεινοῦ ἠελίοιο,* quoniã is primum Athenis ab Harpalo sumpta occasione eum cyclum excogitauit, atque inuenit.

Nam quæ solem hyberna nouem putat æthere volui,
Vt lunæ spatium redeat vetus Harpalus ipsam
Ocyus in sedes momentaq; prisca reducit.
Illius ad numeros prolixa decennia rursum
Adiecisse Meton Cecropia dicitur arte
Insedit q; animis, tenuit rem gratia solers,
Protinus & longos inuentos misit in annos,
Sed primaua Meton exordia sumpsit ab anno.

Multa de eodẽ Metonis anno Theophrast. de signis aquarũ & ventorũ, Diodorus lib. II. & XII. Theon Arati interpres, AElianus de varia historia lib. X. Tzetzes lib. XII. de varia historia. Suidas Censorin. de die Natali c. VI. multa alia Ioseph Scalig. li. II. de emenda. temporum. Altera quæstio est, an Patres Niceni cyclum hũc lunarem castigârint deprauatũ, vt alia in Kalendario: quidam negãt Socratis auctoritate lib. I. c. VI. Constantini verbis negãtis cum Iudæis aliquid debere Ecclesiam habere commune, sed seruare potius quod à prima passionis die eatenus erat vsitatum; resistit tamen Ambros. epist. 83. affirmãs contraria his verbis: *Non mediocris esse sapientiæ diem celebritatis definire Paschalis, & scriptura diuina nos instituit, & traditio maiorũ, qui conuenientes ad synodũ Nicænã inter illa fidei vt vera, ita admiranda decreta, etiã super celebritate memorata, congregatis peritißimis calculãdi 19. annorum colligere rationem, & quasi quendam constituere circulum, ex quo exemplũ in annos reliquos gigneretur.* Sanè ab Alexandrinis, qui in Concilio Niceno interfuerunt, nouum cyclum fuisse excogitatũ, quem decemnouenalem dixerunt prioris discrimine, qui cyclus lunaris vocabatur à Iulio adscriptus Kalẽdario, Paulus Forosemproniensis affirmat, aliiq; auctores calculationum nobiles, nimirum eum qui in Kalendarijs Ecclesiasticis visebatur à ternario ꝓcedens Kalendis Ianuarij adscripto. An verò in Cõcilio Niceno fuerit adiectus Kalẽdarijs, ac priori substitutꝰ, nondũ erat exploratũ, ac crediderim cũ magnis auctoribus id à Dionysio Abbate posteriori tempore fuisse factũ. Quærat alius cyclus decemnouenalis Hebræorũ cum alterutro horum cyclorum conueniat an discrepet ab vtroque? De Hebręorum cyclo alio loco copiosius, nunc illud modo dicẽdum, incertum esse vtri ab alteris acceperint Hebræi à nostris, ꝙ magis puto & consequentia monstrabunt, an Ecclesia, Romaniq; ab Hebræis, quod pleriq; contẽdunt iniqui iudices aduersus semetipsos. Certum est tamen cyclum Hebræorum cum Iulij cyclo ac Latinorum, qui ab illo sumpserunt, potiùs quàm cum Alexandrino conuenire. Nam etsi in eo omnes cõsentiant, vt eosdem annos embolismicos faciãt, nimi-

nimirum 13.mẽsium lunarium, hoc est,3.6.8.11.14.17.19. discrepāt tamen (qui fons magnarũ contentionum fuit)quoniam non ab eodem initio cycli annos inchoant, sed quo anno primus numer⁹ est cycli Alexãdrini apud alios Hebræos & Latinos priscos eorũ cycli 17.annus numeratur: atque adeò anno primo Christi, qui secundus fuit in cyclo Alexandrino, in Hebraico atq; Latino veteri fuit 18.quod magnoperè considerãdum putabam.

CAP. VI.

Cyclorum auctores.

NVlla in argumento plures maiori eruditione & auctoritate quàm in ratione paschatis explicanda à primis temporibus laborarunt. Rei difficultas, quo quisque ingenio erat præstantiori, inuitabat,vt se in hac disputatione exerceret.Iulius Africanus & Origenes antiquissimi de Paschate scripsisse memorãtur. Hippolytus tempore Alexandri Imperatoris primus Paschalem cyclum edidit sedecim annis comprehensum, quoniam iuxta Græcam supputationem mensium, Pascha eo decurso tempore ferè in eũdem diem redit, nonnunquã die vno,aliquando hebdomada additis.Subsequutus est Dionysius Alexandrin.Patriarcha, & ipse editis de hac re libris nobilis. Primus Eusebius Cæsariensis decemnouenalem cyclum ad inueniendas lunas decimasquartas & diem Paschatis confecit.Erat quidem antè in Kalendario aureus numerus Iulij & Latinorum,per quem ea poterãt indagare:verùm Eusebius separato opere eos cyclos decemnouenales composuit,sic Bedam de ratiõe temporum c.XLII. intelligo. Zeno Veronensis Episcopus Galieno Imperatore Paschalis solemnitatis canonem pene abolitum iniuria temporũ ac sæuissimæ carnificinæ restituit; ac modico interuallo Anatolius Laodicenius Asianorum opinioni fauẽs, tametsi natione is erat Alexandrinus. In eodem genere laborarunt alij, sed præsertim Theophilus Alexandrinus,ꝑpter eximiam cælestium rerum cognitionẽ Theodosio Imperatore auctore cyclum confecit annorũ 437. nihilominus quia post illud spatium Pascha in idem tempus recurrit,nisi dies interdum sit addendus propter bissextum intercalatum. Maiori ingenio eius successor Cyrillus Patrui Theophyli cyclũ ad 95.annos restrinxit,quinq; tantum cyclis decemnouenalibus explicatis,quod eius exemplo Isidorus etiam fecit lib. VI. Etymolog.c.XVII. quoniam eo etiã spatio Pascha ad eosdẽ dies recurrit addito vel detracto die vno bissexti necessitate.Post hos Prosper Aquitanicus & Victorinus Gallus Hilario Põtifice in eodem genere laborarũt pari conatu,minori fœlicitate. Victor etiam Capuanus editis suis cyclis Victorini errores accusauit,vt Sigebertus ait an.528. Vnus Dionysius Abbas cognomento Paruus nobilis præ cæteris computandi scientia atque præclarus extitit anno Christi 530. Is Victorini & Prosperi imitatione cyclũ longissimũ texuit annorũ 532. nempe vtroq; cyclo Theophili & Cyrilli in vnum subductis, quoniã ex cyclo solari 28.annorũ & lunari 19. si vnus numerus per alterum ducatur, conflabitur Dionysij cyclus, quo spatio decurso,quoniam ex cyclis lunari & solari omnis varietas manat, festa omnia ad easdem præcisè sedes reuocantur, nihilo addito subtractove. Dionysij diligentiam Beda ac posteriores magno numero sunt imitati; neq; eà tamen diligentia efficere potuerunt,vt nõ in multis annis Ecclesiæ inter se in Paschatis celebratione discreparent,tum antiquo tempore sæpius,tum posteriori aliquando: ꝙ proximo capite explicãdum est, atq; eius discordiæ causæ primæ & origines indicandæ. Si hoc loco illud addidero, tantorũ virorũ diligentia effici non potuisse,vt nõ sępè in dicen-

do Paſchate hallucinarētur, qua cauſa Alexandrinis Epiſcopis ꝓpter eximiam rerū cæleſtiū & aſtrologiæ in ea gente peritiam fuiſſe à Patrib. delegatam curam omnib. annis renunciandi Rom. Pontifici, ac per eū longinquis eccleſijs quo die paſcha eſſet celebrandum. Beda id teſtatur de ratione tēporum c. XLII. atq; Cyrillus ipſe apud Paulum Foroſ. p. I. lib. I. affirmat à generali ſynodo id ſancitū decretū multis ſeculis viguiſſe, argumento ſint Theophili Alexandrini de ea r●omiliæ poſt natalē Chriſti diem ſiue Epiphaniorum (vtrumque enim feſtum eodem die Aegyptus celebrabat) habitæ, vt ſcribit Caſſianus collatio. X. c. I. miſſaq; epiſtolarū forma ad alias Eccleſias. Præterea Cyrilli ſucceſſoris triginta homiliæ feſtorum extant Græcè nōdum typis publicatæ, quas & nos Latinas fecimus, cùm ipſe 34. annis nō amplius Eccleſiam Alexādrinam tenuerit, quibus poſtquā de Chriſti aduentu plurimū diſputaſſet, ad finē feſta indicit, quoto die mēſis peragēda eſſent ratione cum Dionyſij computatiōe noſtraq; penitus conueniente, quod miraculi inſtar in tanta antiquitate habeatur. Eo inſtituto ſublato, hominum aut tēporum culpa non facilè dixerim, ſed abolito eo decreto Epiſcopis ſingulis eſt mandatum, vt competenti tēpore ſingulis annis populis diē Paſchatis renuntiarent Concilio Toletano 4. can. 4. Bracarēſi 2. can. 9. Nicephorus lib. VIII. hiſtor. c. 25.

CAP. VII.

Eccleſiæ variant in celebratione Paſchatis.

MAgnæ contentiones de die Paſchatis inter Eccleſias ſæpè extiterunt, ac paſſim veterum Patrum ſcripta legentibus occurrit Orientales ab Occiduis diſcrepaſſe etiā poſt Concilium Nicenum, demādatamq; curā Alexandrinis Epiſcopis eas contentiones componendi: Omnes colligere longum eſſet, quaſdam attingere operæ pretium fore putabam. Anno 330. paſcha ab Orientalibus 13. Kalend. Maias die 19. Aprilis eſt peractum, quod Latini fecerunt Martij die 22. ſimilis controuerſia fuit anno 341. quo anno Græci peregerunt paſcha die 19. Aprilis, Latini die itidem 22. Martij. Præterea anno 349. Græci id feſtum celebrarunt 23. die Aprilis, Latini die 26. Martij, quæ cōtrouerſia fuit maxima, ac multis vtrinq; & magnis argumentis iactata, quæ affert Paulus Foroſem. I. p. Paulinæ lib. V. anno 389. Græci 20. die Aprilis paſcha peregerūt, Latini Martij die 24. anno 387. Alexandrini paſcha indixerunt die 25. Aprilis, Latini eiuſdem menſis die 18. faciendum putabant, quos accuſat Ambroſius epiſtola LXXXII. ac ſecundum Alexandrinos pronuntiat. Fuit autem ea epiſtola, vt ex cyclo paſchali colligitur, ſcripta ad Epiſcopos per AEmiliam conſtitutos anno 381. Anni verò alij quibus in ea epiſtola diem paſchatis deſignat, ſunt à die Imperij Diocletiani anno 76. hoc eſt ſalutis anno 360. præterea annus 89. ab eodem imperio & 93. nimirum 373. & 377. ab ortu Chriſti initio computandi ſumpto. Deſignat etiam paſcha ante biennium, ex quo epiſtolam conſcripſit, nimirum 379. anno, quo anno paſcha celebratum fuiſſe ait 11. Kalend. Maij, quod cum cyclo Dionyſiaco penitus cōſentit, quemadmodum in omnibus alijs annis ſi manifeſti eius epiſtolæ errores, quod facilè erit, corrigantur. Subſequutus eſt haud magno interuallo annus 403. quo anno Innocentius I. epiſtola XI. ad Aurelium Epiſcopū contēdebat paſcha celebrandum 11. Kal. Aprilis die 22. Martij, ne ſi in proximum diem Dominicum paſcha differretur, luna 23. contingeret paſcha, quod erat inauditum. Alexandrini ad 4. Kal. April. die 29. Martij diſtulerūt, lunæ dies numerare incipientes non eodem tēpore, quo Romani

ac 14. lunam numerãtes ipsi, quo die Innocentius 16. fuisse putabat. Praeterea 21. lunam dicentes, quã is fortassis veriorẽ rationẽ sequutus 23. putabat, neq; enim Ecclesia veras cõiunctiones sequitur, sed medias: ꝙ magnopere est considerandũ. Innocẽtio Zozimus successit, quo Pontifice omnino an. 417. cum Alexandrini. 10. Kal. Maij. 22. April. pascha annotarent. Latini 25. Martij malebant cũ luna 14. signata fuisset 18. Martij die Dominica, ꝙ Alexandrinis incommodum videbatur eam lunã primã putare, cui⁹ pleniluniũ ante æquinoctium veniret. Alexandrina ratio diuinitus cõprobata est fonte baptismi eo die spõte aquis cõpleto in quadã Italię Ecclesia, auctor Sigebertus. Nõ minor Leone Pontifice cõtrouersia fuit anno 455. quo anno Alexãdrini pascha celebrandũ promulgarunt 8. Kal. Maij. Romani ne primi mẽsis (vt mox explicabimus) fines descriptos à Patrib. transgrederẽtur, malebant præcedenti Dominica fieri 15. Kalen. Maij: quo die Alexandrini 14. lunam designabant incidere. Extat de ea re Leonis epist. 95. ad Episcopos Galliæ & Hispaniæ, quib. re cum Martiano Augusto communicata studio pacis mãdat Alexandrinã cõputationem Romanæ præferri. Rursus anno 463. & 465. Hilario Pontifice de re veteri nouæ altercationes contigerunt, ac præsertim anno posteriori cũ 14. luna incideret die sabbathi, die Martij 27. Alexandrini die proximo pascha peregerunt. Romani in proximũ diẽ Dominicum differendũ putabãt, ne mors Christi ante 14. lunam celebraretur. Quod Ambros. epist. 83. superi⁹ adducta vitandum prçcipit, cũ Christus 15. luna fuerit occisus 17. in vitam redierit: quæ causa Hilario Pontifici extitit imponẽdi Victorino Aquitanico curam nouos canones nouosq; cyclos describẽdi, ꝙ ille ita præstitit, vt in maiores tamen reprehẽsiones incurrerit, Dionysioq; Paruo Romano Abbati occasionẽ præbuit cyclos & canones Alexandrinos restituẽdi,

A quib. non homines modo fauebant, sed signa etiã cælestia atq; diuina. Nã Paschasin⁹ Lilybęus Antistes epist. ad Leonem Pontif. de ratione paschatis scripsit Meltinæ in Sicilia Zozimo Pontifice fontes baptismi, qui spõte die Paschatis aqua repleri solebant, quo die fecerunt Latini 8. Kal. April. inanes apparuisse, at verò repletos 10. Kal. Maij, quo die Pascha Gręci celebrabãt, anno nimirum 417. Addit B Cyrill⁹ Pachomiũ diuinit⁹ accepisse Pascha ad 7. Kal. Maij, de quo maxima cõtrouersia erat ꝓtrahi, lapideq; in Perside fauere, cuius candor cum luna primi mensis augetur & minuitur, quę à Beda afferuntur de ratione temporum c. XLI. Restitêre secundũ Dionysij diligentiam veteres contẽtiones, leuiter nõnunquã deinde inter Ecclesias motæ. Nam Grego. Tu- C ronens. lib. V. c. XVII. *Eo anno*, ait, *dubietas pascha fuit, in Gallijs verò nos cũ multis ciuitatib. 14. Kal. Maias sanctũ Pascha celebrauimus, alij verò cum Hispanis 12. Kal. April.* Sigebertus 573. annum designat, nos potius credebam⁹ 583. cõtigisse: quo anno Pascha iuxta Alexandrinam computationem die April. 18. celebratũ est. Rursus lib. X. c. 23. Childeberto Regẽ ait in Gallia D idẽ dubium incidisse, multos 15. lunã Pascha pegisse, alios 22. Victoris Capuani auctoritate in cyclo dicẽtis luna 15. Pascha fieri; sed ne Christiani vt Iudæi celebrarent, addidit, Latini aũt luna 22. Annũ quo id contigerit certa ratione indicare nõ licebat ꝓpter confusam in eo historico tẽporum rationẽ. Sed vtroq; tamen anno ait, fontes baptismi qui in Hispaniæ E oppido Osseto erant (nõ procul certè Hispali sito) de quo ipse meminit lib. VI. c. XLIII. aquis spõte posteriori die, quo ipse Gregor. Pascha peregerat vtroq; anno redũdasse, sic certè inquisitione habita accepisse, & fortasse hic annus fuit 593. quo anno 11. Kal. April. lunã 15. Galli numerabãt, Dionys. 14. Pascha 4. Kal. April. celebratũ est: quam lunã 22. Galli Diony. 21. cõputauit. Fuit is annus Gũtranni

Aurelianensium Regis 29. Childeberti 15. iuxta Gregorij computationem cęteris certiorem. Deniq; in ratione computandi inter posteriores calculatores discrimen nonnunquā fuit: nā anno Christi 31. & 563. & 1095. cùm Dionysius & eum sequutus Lucidus Pascha designarūt die 25. Martij, Paulus p. II. lib. VII. 15. lunam designat die XXVI. eiusdem mensis feria II. atq; adeò pascha incidit iuxta eam rationem sequenti Dominica April. die primo. Similis discrepātia in anno Christi 34. & consequētibus annis, qui illis in cyclis magnis respondent, inter hos auctores inuenitur; nempe non eandem calculandi rationem; cōiunctionē & oppositionem secutos, quę si omnia explicāda essent, supra modum cresceret disputatio.

CAP. VIII.

Origines harum contentionum.

IN multis Ecclesiæ dissentiebant, quæ hoc loco explicanda sunt, vt veterum contentionum radices & primi fontes intelligantur, ac primū quota luna primi mēsis Pascha peragi deberet, discrepabāt trifariam diuisi. Scoti, vti superius dictum est, à 14. luna vsque ad 20. pascha celebrabant vtroque numero comprehēso, in quo quid fuerint sequuti, dicere non est necesse, & Beda explicat copiosius in historia Anglorum lib. III. c. XXII. Alexandrini à luna 15. vsque ad 21. quacumque luna ex eo numero dies Dominica incidisset, idem faciebant, nimirum cùm Iudæi diuino præcepto eos dies azymorum obseruarent, consentaneum videbatur, vt dies paschæ non vltra porrigeretur. Latini veteres à 16. luna vsque ad 22. diem Dominicum paschatis peragebant. Beda de ratione temp. c. XLIX. illud vitantes, ne si luna 15. in diē Dominicum incidisset vnà cum Iudæis pascha celebrarēt, vnde magna pars earum cōtentionum natæ sunt, quæ superius sunt cōmemoratæ. Dionysius & Beda in suis cyclis Alexandrinorum institutum secuti sunt, quod ad nostra tempora tenuit. In nouo etiā Greg. XIII. Kalendario Alexandrinā rationem video obseruatam, vt 15. luna si in diem Dominicum incidisset in eo pascha celebrarent, vt an. 1609. cùm luna 15. fuerit die 19. Aprilis die Dominica pascha ipso die celebratur cum Iudæis. Deinde Alexandrini oppositionē lunæ, hoc est lunā 14. semper in ipso æquinoctij die incidentē, aut deinde obseruabant, si ante ęquinoctiū incideret ad pascha designandum, proximam lunam sequebātur. Latini etiam si luna 14. incidisset ante æquinoctium, modo proxima Dominica post æquinoctium incideret, in eo mense Pascha figebant. Sic Beda de ratione temporum c. 60. Vnde magnæ controuersiæ ortæ sunt, ac præsertim anno 417. cùm Græci 10. Kalen. Maij Pascha peragendum cōtenderent, Latini fecerunt 8. Kalen. Aprilis, hoc est, 25. Martij cum luna 14. signata fuisset eiusdem mensis die 18. nempe ante æquinoctium, quod committendum potius videbatur, quàm vt terminos Paschales à patribus præfixos transgrederentur. quæ noua ac tertia radix contentionum fuit, quam explicare pergimus. Alexandrini enim primum mensem lunarem Paschate designando inchoabant 8. Martij, finiebant quinta die Aprilis: nempe ab 8. Idus Martij vsq; ad Nonas Aprilis, luna quæ intra eos dies inchoaret, eam ad Pascha designandum idoneam iudicabant. Latini initium primi mensis à 5. die Martij vsque ad 2. Aprilis obseruabant. Beda de ratione temp. c. XLIX. quod magnum discrimen erat, ac sępe mensis quem latini primum, Alexandrini vltimum numerabant, sicut è contrario, quem Alexandrini primum, Latini secundùm computabant, lunas 14. vti necessè erat: Alexandrini à 21. die Martij 12. Kalendas Aprilis vsque ad 18. Aprilis 14. Kalend. Maij considerabant,

Latini 18. die Martij vſque ad 15. Aprilis. Hinc diſcrimen etiam oriebatur in Paſchatis terminis deſignãdis: nam veteres Latini cum poſt æquinoctium ad celebrãdum Paſcha dies tantùm 30. deſignarent quem primum menſem hac conſideratione vocabant, vt Ambroſius ait epiſtola LXXXIII. ſiue à 12. Kal. Aprilis vſq; ad 11. Kal. Maij, hoc eſt, diem 21. Aprilis, vt Ambroſiꝰ computat, ſiue vt Theophilus Cęſarienſis ab 11. Kal. Aprilis vſq; ad 11. Kal. Maij, ſiue vt alij, quod Paulꝰ ſequitur ab 11. Kalen. Aprilis vſq; ad 12. Kalend. Maij Alexandrini quinque dies adiecere Paſcha celebrantes à 12. Kalend. Aprilis vſque ad 7. Kalend. Maij, hoc eſt, à 21. die Martij vſq; ad 25. Aprilis. Quo ex principio vt ſæpè de tota ſumma diſſentirent neceſſe erat, ac ſæpè Latini Alexandrinos accuſabant, quaſi ſecundo menſe Paſcha celebrarent; ab Alexandrinis culpabantur Latini quod antè æquinoctium 14. lunam tenerent, in eo certè à veteri Iudæorum inſtituto vel maximè diſcrepãtes. Pręcipua diſſentiendi ratio & cõtentionum fons copioſus cyclus decem nouenalis fuit, qui cũ lunæ motui deſeruiat, nõ ab eodem initio Alexandrini numerant atq; latini, diſcrepãt enim tribus annis, ita vt quo anno Alexandrini primum ſui cycli numerum, hoc eſt, vnitatem ponũt, ibi Latini ſui cycli, qui idem Hebræorum eſt 17. numerant, atq; adeo anno primo Chriſti, qui cycli Alexandrini 2. eſt in cyclo Latinorum atq; Hebręorum XVIII. numeratur, quo fit vt nõ eoſdem annos emboliſmicos, hoc eſt, tredecim menſium faciant. Præſertim cycli Alexãdrini numero 8. & 9. qui anni illis quidẽ emboliſmici ſunt, Latinis communes, multum in celebratione Paſchatis diſcreparent neceſſe erat, Alexandrini fine Aprilis, Latini in Martio ferè celebrantes. Vnde contentiones & rixæ identidem extabant, præſertim cum Latinis etiam anni 6. & 17. eſſent emboliſmici in ſuo cyclo, quibus anni reſpondentes in Alexandrino cyclo nempè 1. & 9. erant communes. Poſtrema contentionum radix ex Lunæ initio manabat. Plerique enim ipſum coniunctionis diem primum lunæ numerabãt, quod videntur Galli feciſſe anno 593. ſuperius adducto. Alexandrini vt Cyrillus ait apud Paulum Foroſ. I. par. lib. V. cap. II. proximum diem primum numerabant, ac ferme 14. lunam vocabant, quæ reuera 16. erat, nẽpè quo die occidẽte Sole eodem momento luna oritur in noſtro hemiſphærio, quod intra 14. diem contingere non poteſt, ſed intra 15. nonnunquam etiam 16. cum luna nimirũ poſtremis primi diei horis aſcenditur, quod quamuis Bedæ auctoritate cõfirmatum de ratione temporum ca. XLI. Paulus Foroſ. reijcit, tum eo loco tũ lib. XII. immerito tamẽ vt nobis certè videbatur. Verùm hæc pluribus explicare longum eſſet.

CAP. IX.

De Cyclo Hebræorum.

QVidam noſtra ætate optimam rationem reſtituendi Kalendarij iudicabant fore, ſi iuxta cyclũ Hebræorum primos anni Lunaris menſes obſeruaremus idoneos Paſchatis celebrationi, quos exactè motũ lunę conſideraſſe, atq; hanc omnem diſputationem abſoluiſſe affirmabant. Et quidem Beda de ratione temporum c. XLI. rationem communium annorum & emboliſmorum Patres Nicenos ab Hebræis accepiſſe confirmat, hoc eſt, cyclum lunarem annorum 19. Nihil ergo cõmodius videbatur, quam ſi à quibus acceperãt, ijdem collapſam rationem inſtaurarent. Video tamen Socratem libr. V. hiſtoriæ cap. XXI. Iudæos negare tempus Paſchatis adeò accuratè obſeruaſſe, & rurſus Iudæos indicat ad finẽ eius capitis æquinoctium nõ obſeruaſſe, ſed potiùs Samaritanos, his verbis. *Porrò quãuis poſſemꝰ ſermonem*

de Paschate susceptum multo lõgius producere, & tum Iudæos ipsos neque tempora illius celebrandi, neque modum accurate obseruare, tum qua ratione Samaritani, qui sunt secta Iudæorum, semper post æquinoctium hoc festum peragant plane ostendere : tamen eiusmodi opus & separatam & longe prolixiorem tractationem desiderat. Constitut. Apostol. lib. V. cap. XVI. errare Iudęos in computatione temporum aiunt, ac Pascha nostrum post æquinoctiũ celebrari debere, ne bis vno anno peragatur. Et Paulus ipse Foros. nimium aliquando Iudæis in hac parte tribuens, negat tamen part. II. lib. II. ca. II. eos post captiuitatem Babylonicam, certam aliquam lunæ supputationem vsque ad Christi mortẽ tenuisse, sed solo visu lunam obseruasse, ideoque pręcipua festa duobus continuis diebus peregisse, vt error si quis esset corrigeretur. Sic faciebant Romanorum vetustissimi, vti Beda ait de ratione temporum ca. 11. nam minor Pontifex lunam cum apparebat diligentissimè obseruabat & Pontifici Maximo seu Regi Sacrificulo renuntiabat, vnde mensem inchoarent ; ac credam potius Iudæos eam computationem quã modo vtuntur vel à latinis Patribus cum multis accepisse, vel non ante congregationem Tyberiadis (quam Magnam ipsi vocant habitam anno Christi 512.) eam rationem excogitasse atq; inuexisse, quemadmodum multa alia in ea congregatione à Iudęis fuisse facta constat certis monumentis litterarum. Sanè de Hebræorum Cyclo exactè disputare longioris operæ est. & Paulus Forosẽ. II. part. libr. VIII. in hoc argumento diligenter se exercuit: & in Kalendario Hebræorũ propriè de hac re suscipitur disputatio. Nostrum hoc loco erit summa tantùm capita delibare. Ac primum Hebræi annos suos mensibus lunaribus definiũt, in quibus quidam sunt *communes* quos פשוטות vocant duodecim mensibus descriptos. Alij sunt *embolismares* quos ipsi vocant מעוברות. Præterea ex vtroque annorum genere quidam sunt *deficientes*, alij *ordinati*, alij etiam *redundantes*, annus communis deficiens comprehendit dies 353. ordinatus 354. redundans 355. simili modo annus embolismaris constat diebus si sit deficiens 383. si ordinatus 384. si redundans 385. hæc autem annorum differentia oritur ex translatione neomeniæ primi mensis, vti mox est explicandum. Nomina mensium sunt duodecim. nam mensis 13. cum additur 12 nomen induit, ac secundus Adar nominatur. Ex his mensibus quinque sunt pleni, hoc est, triginta diebus definiti nempe 1. 5. 7. 9. 11. quinque semper deficiunt, nimirum 4. 6. 8. 10. 12. Adar secundus quo anno additur est etiam deficiens, id est, constat diebus 29. sed tunc Adar primus, hoc est, mensis 12. plenus esse debet ac constare diebus triginta. Duo menses 2. & 3. hoc est, Marchesuau & Cisleu, aliquando ambo sunt pleni & annus dicitur redundans, aliquando ambo deficientes & annus conficitur deficiens, nam si prior 29. diebus constet, posterior 30. dicitur annus communis atque ordinatus. Prouenit autem varietas tum ex translatione Neomeniæ primi mensis, tum quoniam luna constat viginti nouem diebus, horis duodecim, hela Kim, id est, partibus 793. horæ vnius (continet autem vna hora secundum Hebræos partes 1080.) qui excessus partium varietate mensium suppletur. Sequuntur autem Hebræi mensibus annisque inchoandis medium cursum Lunæ qui est regularis, verum non sequuntur propter excentricum & epicyclum irregularem: quo fit vt non raro neomeniam ipsi celebrent quando luna est iam cornuta. Annum inchoant à mense Tisri, qui ferè incidit in Augustum aut Septembrem, certè ante nouam correctionem Kalendarij, & illum mensem principium anni vocant, tametsi quoad festa Nisan primus est

men-

mensium: atque omnibus annis à paschate Hebræorum quod in mense Nisan celebratur vsq; ad initium sequentis anni æqualis est semper dierum numerus nimirum 163. Ab initio anni vsque ad Pascha dierum numerus variatur pro annorũ qualitate. Diem Romani à media nocte inchoant, Hebræi à vespera præcedenti, hoc est, sexta hora post meridiem, astrologi à meridie præcedentis diei, itaque diem Dominicum à meridie sabbathi inchoant. Ab orbe condito vsque ad Christum Hebræi numerant annos 3760. atque adeo anno Christi 1540. numerarunt annos 5300. anno quo hæc scribimus 1587. Hebræorum annus est 5347. Cõsiderãdum præterea Hebræos si post meridiem incidat luna fiatque coniunctio, non eò die neomeniam figere, sed proximo si sit idoneus: alioquin transferunt in diem tertium, nam consueuerunt maiorum traditione, & vt festa præcipua totius anni competenti ordine celebrentur, primum diem anni nunquam ponere feria prima 4. aut 6. quoniã sunt incapaces, sed transferunt in diem proximum; quemadmodum pascha nunquam celebratur fer. 2. 4. aut 6. neque Pentecostes feria 3. 5. aut 7. id est Sabbatho, neque diem expiationis celebrant feria 1. 3. aut 6. Est etiã consideranda cõiunctio mensis Nisan, nam si acciderit post 13. horam & puncta 642. neomenia in diem proximum est reijcienda. Adhæc si coniunctio mensis Tisri præcedente anno embolismico feria 2. venerit post hvram 15. puncta 588. neomenia transferetur in diem proximum quo anno si coniunctio mensis Nisan die Sabbathi acciderit post horam 11. & puncta 150. transferetur neomenia in diem proximum. Spinosa sunt hæc & minuta, qualia ferè quæ numeris constant. Præterea si coniunctio mensis Tisri in anno embolismico acciderit feria 3. post horam 9. & puncta 203. neomenia transferetur in feriam 5. quoniam quarta non est capax. Simili modo si coniunctio Nisan feria 1. venerit post 4. horam & puncta 846. transferetur neomenia mensis eius vsque in diem 3. Ex his verò facilè qualitas anni dignosci poterit; nam si annus communis extiterit quod ex cyclo decemnouenali Hebræorum facilè intelligi potest, si inter initium eius & sequentis tres feriæ vltra hebdomadas integras intercesserint erit annus deficiens, si quatuor erit annus ordinatus, si quinque redũdans, at in anno embolismico, quoties eius initium distat ab initio anni proximi diebus quinq; annus deficiens constituitur, si sex mediocris, si septẽ erit redundans. Vnde colligitur & ex supra dictis quot dies singulis annis mensibus Marchesuan, & Cisleu tribuere debeamus. Sunt etiam canones ad inueniẽdum Pascha comparati. Anni communi ac deficienti, si cœpit feria 2. Pascha erit feria 3. anno embolismico & deficienti pascha erit feria 5. quod si annus feria 2. incipiens fuerit redundans & communis pascha feria 5. celebretur, si embolismicus & redundans pascha erit die Sabbathi, annus ordinatus feria 2. inchoari non potest. Annus feria 3. incipiens si fuerit communis pascha celebrabitur feria 5. si embolismicus Sabbatho, eritque vterque annus ordinatus: nam deficientes aut redundantes ea feria incipere non possunt. Si annus feria 5. inceperit communis & ordinatus pascha erit die Sabbathi, si embolismicus & deficiens Pascha erit feria 1. Simili modo si redũdans fuerit & communis pascha feria 1. ponatur, si redundans & embolismicus feria 3. Si annᵒ die Sabbathi cœperit deficiens & cõmunis Pascha sit feria 1. si deficiẽs & embolismicus feria 3. si redundans & cõmunis item feria 3. si redundans & embolismicus feria 5. ordinatus annus die Sabbathi incipere non potest. Porrò cognita feria qua celebratur pascha & considerata anni qualitate sit ne embolismicus an cõmunis,

nis, facilè calculator ex plenilunio dignoſcet, quo die menſis Martij vel Aprilis ſecundum Latinos incidat Paſcha, aut etiam initium anni: præſertim cum anni communis termini certè ante correctionem Gregorianam quoad initiũ eius ſint quintus dies Septembris & 23. eiuſdem. Anni emboliſmici termini ſunt dies 25. Auguſti & 5. Septembris, & cum neomeniam menſis Tiſri præcedit æquinoctium pluſquam 10. diebus erit annus emboliſmicus. Ioſephus Scaliger de Emendatione temporum annis Iudaicis inchoãdis & Paſchate deſignando Iudæorum, non vno loco vehementer lapſus eſt: ne te lector eius computatio fallat. Vocant autem Hebræi æquinoctiũ Tecupha nempè temporis ſpatiũ, quo Sol à principio Libræ, vbi eſt æquinoctium, vſq; ad principium Capricorni conſumit. Suntque apud Hebræos quatuor Tecupha, id eſt, quatuor anni partes ſeu duo æquinoctia & totidem Solſtitia de quibus & Angelis quatuor ijs quatuor anni partibus præfectis multa fabulantur. Coniunctiones ſolis & lunæ vocant Molad, ſuntque apud illos tabulæ ad inueniendum quatuor Tecupha & 12. Molad, nempè tot coniunctiones in anno contingunt, ſed præſertim ad inueniẽdum Molad Tiſri atque Tecupha, id eſt, æquinoctiũ autumnale maior opera conſumitur, quoniam inde quaſi à principio cætera pendent, & cum illis ſunt cõnexa, Neomeniam hoc eſt, diem à quo Hebræi menſem inchoant, qui ſæpè non eſt idem in quo accidit coniunctio, vocant illi Chebigha. Modus autem inueniendi Molad, id eſt, coniunctionem primi menſis ex tabulis facilè deprehenditur, ſed & hoc loco tabularum radices & fontes indicare operæ pretium erit. Quando quæritur Molad alicuius anni, oportet cõſiderare quotus annus is fuerit ab exordio mundi, atque quot cycli decemnouenales præceſſerint: nã pro quolibet cyclo oportet accipere dies 2. horas 16. puncta 595. atq; omnium cyclorum ſumma facta conſiderare quid reſultet, deindè præter cyclos oportet conſiderare quot anni in eò annorum numero prætereà ſint, & pro quolibet anno cõmuni numerare dies quatuor, horas octo, puncta 876. pro emboliſmico dies 5. horas 21. puncta 589. His omnibus in ſummam redactis, oportet addere radicem ad meridianum Hieroſolymitanum dies 2. horas 5. puncta 204. nimirum propter Molad Tohu vt ipſi loquuntur, puncta in horas, horas in dies reducere opus eſt: ſummaque dierum facta eam per ſeptem partiri nempè dies Septimanę, ſi nihil ſupereſt erit Molad dies Sabbathi, ſi aliquid ſupereſt qualis numerus fuerit, talis erit feria hebdomadæ. Iudæi enim de noſtris mẽſibus nihil curant, ac tantùm conſiderant quota die feriaque Septimanæ annus & menſis incipiat, qua cognita atque ex plenilunio facilè nos diem menſis noſtri eliciemus, vti ſuperius eſt dictum, neque ad inueniendam coniunctionem menſis Tiſri plura ſunt neceſſaria. Si verò aliorum menſium in eodem anno coniunctiones quærimus, oportet ſicut annos integros & iam cõpletos non autem inceptos, ita menſes qui in eò anno præceſſerunt conſiderare, vt ſi in anno communi quærimus Molad menſis Niſan, oportet ſex præcedentes menſes conſiderare, & pro quolibet eorum ſumere diem 1. horas 12. puncta 793. atq; hæc in ſummã redacta coniungere cum diebus horis & punctis quæ ad inueniendam primã coniunctionẽ anni erant conſiderata. Exempla niſi tabulis factis moleſtum eſſet afferre. ſanè ſi dies coniunctionis non fuerit idoneus iuxta priores regulas, vt in eo figatur neomenia, figi debet die idoneò, & illa dicitur Chebigha. Porrò ratio inueniendi Tecupha Tiſri ſimilis erit: nam pro quolibet cyclo annorum ſume horam vnam, puncta 487. ſi præter cyclos ſuperſunt ali-

quot anni relicto eo, de quo quæritur, oportet sumere annos integros, A & pro quolibet anno communi quidem sumere dies decē horas 21. puncta 204. pro embolismico autē dies 11. horas 18. puncta 1031. quib. in summam redactis si numerus dierum superat mensem lunarē detrahas licet quoties potueris dies 29. horas duodecim pūcta 793. quo tempore luna circulum suum conficit, quod relictum erit deseruiet ad inueniēdam B Tecuphan, id est, æquinoctium, sed priùs ex numero residuo debes detrahere dies 12. horas 20. pūcta 204. ex quanto tempore vt Hebræi putant primam mundi lunationem præcessit annus solaris. Rursus si fueris in 8. anno Cycli lunaris, detrahe etiam diem 1. horas 12. puncta 747. atque quot dies supererint debes addere vel detrahere initio mensis Tisri, atque ita inuenies primam anni C Tecuphan, nā Molad Tisri aliquando præcedit æquinoctium, aliquando sequitur. Quod si aliam Tecuphan ex quatuor quærere placet, pro quolibet mense transacto summæ priori addere necesse erit horas 21. puncta 827. Atque illud ad extremū considerare opus erit, in Cyclo Paschali post annos 247. qui continet D 13. Cyclos decemnouenales, omnia festa Hebræorū ad easdem ferias recurrere, annosq; eadem conditione esse, non autem in eundē diem mensis nostri propter anticipationē anni lunaris, neq; eadem littera Dominicalis semper eò spatio annorum recurrit. Hebræiq; licet suum pascha post æquinoctium semper celebrent, E præsertim hoc tempore, & ante multos annos, non tamen sequuntur eò celebrādo proximam Lunationem æquinoctio cum sæpè incidat in 13. Aprilis diem. Nūc post correctionē Kalendarij in 23. Aprilis quę lunatio tota post æquinoctium cōtingit, immò & præcedentis maior pars quæ magna peruersio est, ac iuxta ea quæ ex Socrate sunt allata videtur hic Cyclus Samaritanorum potiùs quam Iudæorū fuisse. Certè antiqui Patres cum Ambrosio epistola LXXXIII. lunam proximam æquinoctio primam anni esse volunt. Idem Iudæos obseruasse vt pascha post æquinoctium vernū agerent, docet Sozom. lib. VII. c. XVIII. Philonis Iosephi, Aristobuli, & aliorum testimonio, quod in Hebræis primis certè Cyclis non seruatur. Idem ex Philone, Iosepho, Agathobolo & Aristobulo vno è LXX. interpretibus docet Anatolius apud Bedā de ratione tēp. c. XXVIII. & quidem Iosephus sic sentit lib. III. antiq. c. X.

CAP. X.

Variæ sententiæ de die annoque quo Christus obijt.

Multa hactenus dicta sunt de ratione computandi Latinorū, Græcorum atque Hebræorū, pro rei difficultate paucissima; sed fontes tamen erant quasi digito designandi vnde propositæ quæstionis explicatio peti debet, quæ nescio an vlla maiori difficultate & sententiarum varietate impedita sit. Omnium placita afferre longum esset, præcipua explicare necessarium fore putabam. Ergo de die quo Christus est in crucem actus auctores diuisi sunt. Græci 10. Kalend. Aprilis occisum affirmant 23. die Martij, cum ijs Lactantius sentit libr. IV. cap. X. his verbis: *Iudæi exinde Tetrarchas habuerunt vsque ad Herodem, qui fuit sub Imperio Tiberij Cæsaris, cuius anno 15. id est, duobus Geminis consulibus ante diem 10. Kalendarum Aprilium Iudæi Christum cruci affixerunt*, Præterea Theophilus Cæsariensis cum cęteris non solùm Palestinæ, sed & permultis aliarum regionum Episcopis, (vt Bedæ verbis vtar de ratione temporum cap. LXV.) de Pascha disputans scripsit eodē 10. Kal. April. die Dominum fuisse crucifixū, nempè vt nō tantùm quo die hebdomadis

dis hoc est, feria 6. Adamus sopitus est, sed etiam eodem die mēsis Christus morte sopitus de suo latere formaret Ecclesiam. Alij Patres Latini ferè Christum occisum fuisse affirmant ad 8. Kalend. Aprilis, 25. Martij die (de anno nondum disputo) Tertullianus lib. cōtra Iudæos, Aug. lib. XVIII. de ciuitate Dei c. vltimò, *Mortuus est*, inquit, *Christus duobus Geminis consulibus 8. Kalend. Aprilis, & resurrexit die tertia, vt pote sexto earundem Kalendarum, sicut Apostoli suis sensibus probauerunt.* Idem repetit libr. IV. de Trin. cap. V. Consentiunt martyrologia Vsuardi, Isidori, aliorum. Beda de ratione temporū cap. XLV. quod autem (ait) octauo Kalend. Aprilis Dominus crucifixus 6. Kalend. resurrexit, multorum latè Doctorum Ecclesiasticorum constat sententia vulgatum, atque sic ferè de die mortis Christi auctores variant. De anno magis etiam discrepant, ac prætermissa Irenæi sententia qui lib. II. cap. XXXIX. Christum ad 40. annum vixisse haud satis idoneo argumento affirmat, Tertullianus apud Hieronymum ad Danielis cap. 9. occisum Christum ait, 15. Imperij Tiberij Augusti anno, baptizatum eo anno Christum vulgati codices habent, vitio tamen ne fallare vti vetusti libro argumento sunt, atque Iulij Africani apud eundem Hieronymum verba idem sentientis libr. V. de temporibus. Tum Orosius lib. VII. id ipsum sequitur his verbis. *Anno Tiberij 15. cum Dominus Christus Iesus voluntariè quidem se tradidit passioni, impiè à Iudæis apprehensus & patibulo suspensus est.* Cùm his sentiant necesse est quicunque duobus Geminis consulibus Christum cruci suffixum affirmant: Lactantius, & Seuerus. Sulpitius lib. II. historiæ sacræ: quorum sententiæ tamen Lucæ verba resistunt cap. 3. affirmantis anno 15. Imperij Tiberij Cæsaris, cum Iesus erat incipiens quasi annorum triginta baptizatum à Ioanne fuisse, post quod

A tempus vniuersa prædicatio decurrit, longiori tempore maiori actionum varietate quam vt paucis mensibus describi possit. Ergo alij Patres antiqui quorum est propensior ad veritatis similitudinem sententia, bifariam diuisi sunt: quidam affirmant 32. annos ac menses circiter 3. vixisse Christum, in quo numero primas tenet Apollinaris Laodicenus ab Hieronymo in Danielem citatus,

B consentit Eusebius in chronicis aliud quamuis in historia, vt videtur, secutus: atque Eutropius in historia: quod magister sententiarum lib. IV. d. XLIV. cap. I. Petrus Comestor in historia & Nicolaus Lyra ad Lucæ cap. 3. secuti sunt. Beda tamen de ratione temporum cap. XLV. Christum constanter affirmat trigesimum quartum annum ætatis attigisse,

C *Habet enim* (inquit) *ni fallor Ecclesiæ fides Dominū in carne plusquam 33. annis vsque ad sua tempora passionis vixisse, tereisque Romanis vbi anni à Christi morte descripti erant, id confirmari testatur.* Chronicon Isidori nomine cum sit potiùs Lucæ Tudensis, Christum vixisse affirmat annis 33. ac mensibus ferè 3. Eusebius lib. I. historiæ cap. XII. Nicephorus lib. item I. cap. XXIX. Haymo de rerum Christianarum memoria lib. I. ca. XXII.

D quadriennij tempore Christi prædicationem definiunt, quod tempus si 30. annis cum baptizatus est adiungatur, pro certo efficitur menses aliquot vltra 33. annos expleuisse. Et illi quidem sententiam valido argumento confirmant, tres Pontifices annuos, scilicet inter Annam, quo

E Pontifice Christus est baptizatus, & Caypham, quo est occisus, intercessisse Ismaëlem, Eleazarum, Simonē, Iosephi etiam testimonio fulcitum lib. XVIII. antiq. cap. XVIII. fuisse etiam quinque Paschata post baptismum Christi ad eius mortem multis confirmare liceret, primùm proximè post susceptum baptismum, alterum post cum vertente anno (sic Ecclesia docet) aquam vino mutauit,

uit, *Propè enim erat Pascha Iudaeorum* Ioannis 2.verſ.13. Tertium cum ad probaticam languidum ſanitati reddidit, *poſt hæc*, ait Ioãnes c.5. *erat dies feſtus Iudæorum*, quod Irinæus lib.II. cap.XXXIX. de Paſchate intelligit. Quartum de quo Ioannis 6.verſ.4. *Erat autem proximum Paſcha dies feſtus Iudeorum.* Quintum cum occiſus eſt, quæ ſi vera ſunt, vt magnorũ virorum auctoritate, & certis argumẽtis fulciuntur, ſupra quadriennij tempus à baptiſmo ad mortem fluxiſſe dies aliquot confiteri opus eſt: ac credam quicumq; menſe Martio 8.Kalendas Aprilis Chriſtum obijſſe credunt, idem ſenſiſſe tametſi nominandis cõſulibus aut imperij anno deſignando aliud ſecuti videantur, nimirum in tanta antiquitate & monimentorum penuria hallucinari propemodũ erat neceſſe. Hæ ſunt antiquorum ferè ſententiæ. Conſequenti tempore extiterunt alij eruditionis opinione præſtantes, qui ratione temporum ad calculos reuocata, negarunt Chriſtum mẽſe Martio fuiſſe occiſum: nam cum conſtet die Veneris accidiſſe, negant per eos annos Lunæ & Solis oppoſitionem, cum Paſcha Iudæorum veteri inſtituto celebratur, quo etiam die Chriſtus eſt occiſus, eo die & menſe incidiſſe, ac credunt potiùs & verò pro certo ponunt, Chriſtum tertio Nonas Aprilis fuiſſe occiſum, qui dies Veneris fuit ætatis Chriſti anno 33. inchoato, completo 32. Primus Rogerius Bachon epiſtola ad Clementem V. Romanum Pontificem id affirmauit, & Paulus Burg. ad c. Matth. 26. ex calculatione lunæ quam dicit ſe feciſſe cum Hebræorum peritis. Subſequutus eſt Ioannes de Muris libello ſuo de regulis Kalendarij, fixam antiquorum ſententiam & placita impunè mouẽs cum alijs, quod Alfonſum Toſtatum Abulenſem deindè Epiſcopum prouocauit, vt non modo nouam ſententiam ſequeretur, ſed publicè etiam Senis in Etruria, vbi cura Romani Pontificis tunc erat defendendam ſuſceperit, inter Theſes vnam & viginti, quas more Peripatetico biduo in conuentu Antiſtitum & eruditorum virorũ diſputandas propoſuit. Commouit ea res multorum animos, quaſi veterum auctoritatem contemneret, ac de religione poſtulatum exagitarunt magna procella. Princeps Ioannes Turrecremata ex Dominicano ordine propter litterarum peritiam ac defenſam Romani Pontificis auctoritatem, ex humili quamuis genere Cardinalis, neq; priùs reſtitit quam dati in cauſa iudices perperam ſenſiſſe Toſtatum pronũciarunt. Quæ illi cauſa fuit *defenſorij* euulgandi duobus libris, quibus audacter opinionem tuetur, Pontificiam auctoritatem æquo liberius ſugillat, morem eius ætatis & exempla ſecutus. Alij tamen Toſtati exemplo caſtigati, ita à nouæ vocis vſurpatione abſtinuerunt, vt magnis ſe difficultatibus implicarent ſtudio tuẽdi antiquorũ placita, Chriſtum occiſum menſe Martio. Itaque Paulus Foroſ. vaſtiſſimo de hoc argumento volumine ita aliorum opiniones conuellit, vt ꝓpriam ipſe afferre vereatur, Chriſtumque aliquando obijſſe dicat, quo nos anno duodecimum eius ætatis annum numeramus, nempè natali Chriſti die 20. circiter annos anticipato, quæ magna peruerſio fuit, aliquando quod magis illi placere videtur Chriſtum 35. aut 36. ætatis anno occiſum affirmat, cum 15. luna incidit 3. Kalend. Aprilis die Veneris iuxta Dionyſij calculationes. Neque tamen Pauli cunctatio metuſq; Romanæ ſeueritatis deterruit alios, quo minus recentiorum opinionem ſequerentur, Chriſtũ occiſum 3. nonas Aprilis. Hi ſunt Ioannes Stoflerinus natione Germanus in ſuo Kalendario, Ioannes Lucidus Gallus in emendatione temporum. Petrus Pitatus Veronẽſis de anni Solaris atq; Lunaris quantitate, vix vt ſuperſit hac noſtra tẽpeſtate, qui veterum Patrum ſententiam tueatur

astrologicis rationibus & computationibus, quas certissimas credunt, contrariam, quos omnes opinione deceptos confirmare tentabimus nouo facto principio.

CAP. XI.

Christus 34. ætatis anno est occisus.

CHristum die Veneris esse occisum quęstionis nō est; erat enim parasceue Paschæ, vt Ioānes ait c.19. vers.31. Iudæi ergo quoniā parasceue erat, vt non remanerent in cruce corpora Sabbatho (erat enim magnꝰ ille dies Sabbathi) rogauerunt Pilatū vt frangerentur eorum crura & tollerentur, cōstat etiam quo tempore Pascha Iudæorum agebatur id contigisse, celebrabatur autē Pascha veteri instituto 15. die primi mensis, Solis & Lunę oppositione vt manifestè deducitur Exod. 12. Leuitici 23. Num. c.9. & 28 Deut. 16. illud difficilè, quo anno quoque die mensis iuxta Romanorum computationē cōtigerit designare. Verū ad Christi annos certa ratione numerādos cōparadosq; cum annis ab vrbe condita Lucæ testimonium cap.3. commodissimum videbatur anno 15. Imperij Tiberij Cæsaris procurante Pontio Pilato Iudæam, affirmantis Iesum fuisse babtizatum cum esse inciperet quasi annorum 30. cœpit autem Tiberius imperare 14. Kalendas Septembris, cuius imperij anni 15. quatuor integris mensibus exactis Christus 8. Kalend. Ianuarij baptizatus est, vti Ecclesiæ traditio habet cum 29. ætatis anno expleto trigesimi dies 13. tantùm haberet, sic enim plerique intelligunt illa verba, *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta*, nempè attigerat trigesimum annum, nō expleuerat, tametsi Epiphanium inuenio hæresi 51 affirmantem Christum mense Septembri fuisse baptizatum, quod eo tempore ad trigesimum annum proximè accederet, sic enim ipse intelligit illud verbū, *quasi annorum triginta:* Præterea Chrysostomus & alij nonnulli anno 30. expleto baptizatū Christum credunt, quibus maiori numero atque antiquitate patres resistunt. Quorum si vera sentētia est, facilè quo anno Romanæ vrbis & imperij Christus fuerit natus colligere licet per consules ratione retro acta, à duorum enim Geminorum consulatu, qui incidit in 15. Imperij Tiberij annum si triginta annis retrocedamus, inueniemus Christum natum fine anni, Augusto XIII. & M. Plautio Siluano consulibus anno vrbis conditæ DCCLII. Imperij Augusti Cæsaris post victoriam Actiacam 30. Olympiadis 194. anno 3. atque adeo cum ex eo anno ab ortu Christi dies octo tantùm superessent, natus est enim octauo Kalend. Ianuarij, merito iis diebus prætermissis primus Christi annus à consulatu Lentuli Isaurici & Pisonis Auguris numeratur, ac reliqui eodem ordine constanti ad nostram ætatem ratione. Constat prætereà Christum iussu Pilati procuratoris Iudææ crucifixum, quod non ex Euangelio modo, sed ex profanis etiā scriptoribus manifestè intelligitur, Tiberio Cæsare imperium obtinente etiam tunc, quando Iosephus decennium integrum, quo Pilatus Iudæam rexit, intra annos imperij Tiberij Cæsaris comprehendit, quod Cornelij Taciti testimonio vtrumq; confirmare licet lib. XV. *Christiani*, dicentis, *nominis auctor Christus, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pōtium Pilatum supplicio affectus erat.* Atque cū hæc omnia in cōfesso sint, tum illud dubium maximè, quo anno ætatis suæ, quo die mensis nostri Christus obierit. Nos multis & magnis argumētis cōmunem veterum sententiam confirmare conabimur 34. ætatis anno, 8. Kal. Aprilis Christum à Iudęis fuisse peremptum. Annos autem numerabimus à Christi ortu salutari instituto Ecclesiæ Romanæ ab Euge. IV. Roman. Pōtifice

auctore Blondo Forliuiēsi suscepto vti Paulus Forof.lib.XIII. II. p. affir-mat. antea enim annus tantùm Pontificis eo tempore Ecclesiam gubernātis publicis tabulis adscribebatur, quidā ab incarnatione Domini annos computant, sed hi nisi voce abutantur, vt faciunt nonnulli, in diplomatis Romanis, ad cōsuetam annorum summam ab 8. Kalend. Aprilis annum vnum addere debent, quoniam eo die Christus est conceptus, nimirum hoc anno 1587. ab octauo Kalēd. Aprilis illi numerarunt. 1588. quod faciunt Pisani in Etruria, vicini tamen Florentini & Senēses cum annos itidem ab incarnatione numerent ante 8. Kalēd. Aprilis 25. die Martij vnum annum detrahunt. Ita hoc ipso anno numerant ante eum diem annum 1586. Et fortassis posteriores hi annos completos numerant. Pisani aliarum gentium more annos inchoatos. Diplomata Romana annos incarnationis pauciores numerant quam natiuitatis, mensibus certè Ianuario, Februario, & Martio, præpostera ratione, ni Florentinorum exemplo excusare factum placeat. Aliam rationem eius moris esse credidit Ioannes Vergara ex annis vsualibus & casualibus (sic ipse loquitur quæstione octaua) sed neque verè neque aptè.

CAP. XII.

Quota Olympiade mortuus est Christus.

EX Chronographis certū in hac re argumētum sumi non potest, quoniam in annorum computatione discrepant inter sese, suaq; varietate quæstionem potius impediunt: ne ab vrbe condita quidem quo anno sit natus Christus, quo obierit, conueniunt, consulibus numerandis vel maximè variant, ne annum quidem Imperij Augusti Tiberijque quibus rerum potientibus Christus ortus in crucemque actus est, satis exactè designant, ac plerique anno vrbis conditæ 752. consulibus Augusto 13. & Siluano natum, occisum affirmant 18. Imperij Tiberij anno, quibus resistunt alij, nihil vt certi colligere liceat. Vnus Phlegon libertus Hadriani Augusti rerum historiā collegit per Olympiades, quarum singulæ quatuor annos continebant initio sumpto ab æstiuo Solstitio, aut equinoctio autumnali, discrepant enim etiam in re hac auctores. Lucidus æquinoctium ait de die passionis cap. 7. Onuphrius, cui magis assentior 8. Kalend. Iulij affirmat. Conditam Romam putabam cum M. Varrone Olympiadis 6. anno tertio extremo. Verrius Flaccus IV. ait, Dionys. primo anno Olymp. 7. Sed præstat Censorinum de die Natali cap. VIII. audire dicentem. *Vlpij & Pontani consulatu ab Olympiade prima annos numerari 1014. ex diebus duntaxat æstiuis, quibus Agon Olympicus celebratur, à Roma autem condita 991. & quidem ex parilibus vnde vrbis anni numerantur.* Quibus verbis indicat priùs annum vrbis 991. inchoari, quam Olympiadis 104. atque adeo 23. Olympiadum anno nōdum completo condita est nempè 3. Olymp. 6. Lucidus IV. ait viam ad alia muniens. Phlegon ergo (vt Eusebius affert in chronicis) lib. XIV. magnam & excellentem inter omnes quę ante eam acciderant defectionē solis factam fuisse die hora 6. in noctem versò vt stellæ in cælo viderentur, affirmat anno 4. Olympiadis 202. quod de eclypsi in morte Christi visā omnes intelligunt, quā se vidisse Dionysius Athenis ait epistola ad Polycarpum & ad Apollophanē magno miraculo, cū Luna circa plenuniū esset, quo tempore defectio Solis incidere non potest. Natus autem Christus Olympiade 194. anno 3. Lucidus IV. ait de verò die passionis Christi cap. IX. extremo, nimirum diuersam rationem secutus, ab anno autem 3. eius Olympiadis vsq; ad annum 4. ducentesimæ secundæ

triginta & tres anni integri fluxerūt adiectis diebus, qui inter Christi ortum 25. Decēbris & eius obitū intercessere, qui annus ab vrbe cōdita fuit 786. Seruio Sulpitio Galba & L. Cornelio Sulla Coss. agebatur etiā 19. imperij Tiberij annus. Nam Eusebius eum annum in Olympiadis 202. annum incidisse in Chronicis declarat: nam qui decimo octauo anno dixerunt, quorū fuit magnus numerus, ij aut in computatione annorum Imperij ei⁹ falsi sunt, aut Imperij annos integros notarunt. Est autem hoc loco cōsiderandum Olympiades Solstitio æstiuo, vt dictum est, annos inchoare, & Censorinus de die Natali ex diebus duntaxat æstiuis ait, quibus Agon Olympicus celebratur, conditæ vrbis annos à 20. die Aprilis 12. Kalend. Maij initium sumere, vbi Palilia & Romæ natalis in Kalendario veteri Romano: notatur annos Tiberij incipere ab Augusti die 19. quo die imperium est auspicatus 14. Kal. Septembris, nā indictiones (tametsi hoc ad alium locum spectet) quę tribus lustris, id est, annis 15. voluebantur, incipiebant octauo Kal. Octobris die quarto & vigesimo Septembris, vbi antiqui æquinoctiū autumnale collocabant, quod initiū nostra etiā ętate tabelliones ab imperatoribus creati sequuntur: Pontificij enim tabelliones à die natali Christi, quo tēpore nouus annus inchoatur, annos etiam indictionum auspicātur, vt ex actis Concilij Constantiensis manifestum euadit, studio cōcordiæ factum, vt anni Christi & indictionū ab eodem initio decurrerent, quorū rationem hoc loco neque probare constituimus neque repudiare, ad calculos reuocetur oratio.

CAP. XIII.

Quid veteres calculatores senserint.

OLympiadibus omissis ac verò cęteris Chronographis, quoniam nota sunt omnibus, dubia tamē propter sententiarum varietatē, variamq; rationem annos inchoandi finiendiq;, illud hoc loco defendam nunquam veterum opinionem tam celebrē fuisse, nisi magnis rationib⁹, magnaq; auctoritate esset fulcita. Equidē mirari solitus erā tāta animorum consensione veteres affirmasse mēse Martio Christū occisum fuisse, Gręcos decimo Kal. Aprilis, Latinos octauo, nempe Martij die 25. De Gręcis laborare non attinet, nam inter eos non pauci à nostris stant, & duobus dieb. in ratione dierū falli promptum fuit. Latini Patres ac veterum martyrologia constanter in sentētia perstant, Christi mortem in fastis eo die magno consensu notantes. Sed nimirum animaduerti, quod nescio an alius considerârit, veteres calculatores qui astrorum cursus & mot⁹ numeris persequuntur, ad annum Christi 34. primi mēsis, lunam 15. designasse Martij 25. die quos nisi certa ratione aut maiorum traditione inductos credimus, irrideamus veterū monumenta, antiquos Patres vanos futiles esse dicamus, quorum disciplinam sapientissimus quisque & euentus ac res comprobauit. Primus Dionysius Abbas veterum calculationibus commutatis alioque detortis eo anno 14. Lunam 12. Kalēdas Aprilis 21. Martij die Dominica designauit, quo nomine multorū reprehensiones incurrit, quasi fixa Ecclesię placita mouisset ipsa vetustate sancta, sic enim Sigebertus ait ad annum 532. *Hoc anno expletus est à Christi natiuitate magnus annus annorū 532. ab hoc etiam anno Dionysius Abbas ordinauit Cyclum suum cyclorum quinque decemnouenalium. Et quia secundus annus operis huius concordare debet in ratione computi, primo anno natiuitatis Christi debet 35. Cyclus Dionysij concordare in ratione computi 33.* (lege 34. vt cum superioribus conueniat) *anno natiuitatis Christi scilicet, vt 14. Luna Aprilis occurrat 9. Kalendas Aprilis, in 5. feria passio Christi 8. Kalen Aprilis, in 6. feria resur-*

resurrectio 6. Kalendas Aprilis in Dominica die: sed quia non ita occurrit, sed Luna 14. Aprilis occurrit eo anno 12. Kalend. Aprilis in 1. feria, Dominica verò dies Pascha in 5. Kalen. Aprilis ideo improbatur, quia repugnat Euangelicæ veritati. Hactenus Sigebertus. Dionysium imitatus, Beda recentiores in errorem misit non satis considerantes quid veteres sanxissent, & sanè Dionysij Abbatis cycli constare qui possint, iuxta quos dies Paschæ sæpè designatur ante æquinoctium? certè anno Christi quarto designatur Martij die 23. & anno septuagesimo secundo designatur 22. die Martij, cum eo tempore æquinoctium non ante vigesimum quintum, aut vigesimũ quartum Martij incideret. Quis ergo verum diem Paschatis designasse annis omnibus ante eius ætatem contendat, ac non potiùs fateatur hallucinari, quicumque eum ducem secuti sunt? Verùm Dionysium, ais, errasse. Sigibertus dixit, veteres diuersum secutos vnde colligas videre cupio. Nimirum anno 462. Victorium magnum cyclum scripsisse idem Sigebertus affirmat. Prætereà anno 528. Victorem Capuanum Episcopum cyclos Paschales scripsisse & Victorij errores accusasse ait, neutrũ tamen criminatur quod eo anno Ecclesiæ cõsuetudinem immutasset, quod magni argumenti instar esse debet ad confirmandum eos à veterum sensu minimè discrepasse; quod si liceret eorum cyclos videre, non dubito, quin nostra hæc sententia constaret præsertim adiuta duorum veterum Patrum calculationibus, quas videre contigit, Cyrilli atque Isidori. Extant in primo Bedæ operũ corpore, primum post cyclos Dionysij duo primi cycli sed correcti, atque in ijs anno 34. Christi Luna 14. Martij mensis ponitur 9. Kalendas Aprilis die Iouis, nam 17. Luna die Dominico proximo adscribitur 6. Kalendas Aprilis. Deindè adiungũtur quidam Cyrilli cycli, quibus anno 34. Christi 14. Luna designatur 9. Kalend. Aprilis; in feria nonnihil discrepat, designat enim diem Dominicam. Isidorus li. VI. etymolog. cap. XVII. Cyrilli instituto quinque cyclos annorum decem & nouem affert, in eorum cyclorum anno 35. qui respondet anno 34. Christi iuxta ea quæ Sigibertus ait 15. Lunam 8. Kalendas Aprilis designat, sed die Dominico in quo & à Cyrillo discrepat, & ab eo quod veteres sunt sequuti iuxta ea quę Sigibertus ait, cum vterque potiùs 17. Lunam eo anno die Dominico designare debuisset. Verùm id certè efficitur, veteres 15. Lunam eo anno 8. Kalẽdas Aprilis adnotasse, de littera Dominicali magnum discrimen inter veteres erat, neque mirum si in re dubia fuerint quidam hallucinati. De veterum cyclis satis, ad alias computandi rationes transeamus.

CAP. XIV.
Ex aureo numero idem probatur.

CYclus lunaris Latinorum & cyclus decemnouenalis Alexandrinorum quid sint, à quibus excogitati, & quibus rebus inter se discreparent, superius c. V. à nobis est explicatum. Nunc adijciẽdum ante tempora Concilij Niceni cyclum lunarem Latinorum, qui idem Iulij Cæsaris est, ab vnitate vsque ad 19. progrediens aureis numeris fuisse Kalẽdarijs adiectum, neque in ipso Concilio Niceno fuit detractus. Primus Dionysius Abbas anno 532. Felici conatu pro cyclo Lunari in Kalendarijs decemnouenalem substituit, Alexãdrinorum computationem Latinæ præferens, quam diligentiam Romanorum Pontificum, vt videtur, auctoritate munitam, ita posteris probauit, vt ferè cæteris sit prælata. Deseruiunt autem ij numeri ad Lunæ coniunctiones indicandas non perpetuò: necesse est enim propter quasdam minutias quibus an-

nus Lunaris ab anno Iulij superatur, coniunctiones sedes suas vno die anticipare annis 304. aut, vt alij putant, quibus magis assentior, annis plus minus 262. quod magnopere censeo considerandum. Itaque à Dionysij ætate ad nostram coniunctiones quatuor diebus sedes anticipasse consideramus ab eo die, quo aurei numeri à Dionysio sunt adscripti Kalendario. Quod si ita est oportet Iulij Cæsaris ætate Christiq; duobus diebus infra eum locum vbi numeri sunt conuinctiones inciderint, sicut enim posterioribus annis anticipantur, ita prioribus pari interuallo coniunctiones inferius his locis vbi sunt numeri designentur necesse est. Est enim verisimile Dionysium figendis numeris ad ætatem suam respexisse, atque ibi singulos posuisse, vbi rationibus astrologicis cognouit coniunctiones incidere. Hanc ergo rationem si sequamur, numerus 16. qui à Dionysio 8. Martij est adscriptus & currebat anno Christi 34. ponatur necesse erit, si ad id tempus respiciamus 10. Martij, quod de alijs numeris pari ratione erit ferè faciendum. Deindè oportet ex Beda adijcere de ratione temporum cap. LXI. & Cyrillo apud Paulum Forosi. primæ part. lib. V. anno 403. ætatem Lunæ atque initium computationis nunquam sumi ab Alexandrinis ab ipso coniunctionis die, sed à sequenti, & diem oppositionis, quam 14. Lunam vulgo dicimus, non contingere ante diem Lunæ 15. sæpè etiam non ante 16. Cum enim Luna circulum suum conficiat 29. diebus & horis fermè tredecim, medietas Lunæ, vbi oppositio est, non potest incidere toto 14. die Lunæ vti manifestum est, sed potius nonnunquam 16. si punctus coniunctionis in primæ diei postremam partem incidit. Præterea considerandum, in quolibet cyclo decemnouenali ad finem eius vnum diem Lunas postponi fermè, quem saltum Lunæ Beda ac veteres

A vocarunt, ac necesse est vt coniunctiones in sede sua proximo cyclo maneant ex primo proximi cycli anno lunari, vnus dies detrahatur atque sit tantum dierum 353. eandem ob causam in epactis antiquis cum prioribus cycli annis 11. epactæ dies singulis adijciantur, in postremò adijciuntur 12. & à 18. ad 30. fit saltus: ratio saltus lunæ is est, quoniam mensis Lunaris absoluitur diebus 29. horis duodecim, minutis viginti quatuor secundis tribus, tertijs tribus, quod

B Hebræi alia ratione dicunt diebus 29. horis 12. punctis 793. mensura fermè eadem, ratione diuersa. His positis si coniunctio anno Christi 34. cum aureus numerus fuit 16. ponatur 10. die Martij atque inde 16. die oppositio die 25. incidat, quod si

C propter saltum Lunæ cum simus in postremis cycli decemnouenalis annis addatur vnus dies, oppositio Lunæ eo anno celebrabitur die 26. Martij, qui dies Veneris fuit littera Dominicali. C. Nam cur veteres 8. Kalend. Aprilis dixerint alio loco reddenda ratio erit. Postremò prætermitti non debet, rationem aliorum eo anno Christi 34. oppositionē Lu-

D næ diebus prioribus adscribentium defendi non posse ac vitiosam esse conuinci, quod Alexandrini eū primum mensem Lunarem, vti superius dictum est, quouis anno numerarūt, in quo oppositio Lunæ in æquinoctio aut post æquinoctiū contigerit, in quo à Latinis descrepasse dixim⁹. Contingebat autem æquinoctium vernum ea ætate auctore Plinio lib.

E XVIII. ca. XXVI. 8. Kalend. Aprilis, quod secuti sunt Macrobius lib. I. Saturn. cap. XXI. & Ouidius III. Fastorum, vbi æquinoctium tertio die post Quinquatria incidere ait, quod festum incidebat 14. Kalend. Aprilis & quinque diebus continuabatur. At Columella de re rustica libr. IX. c. XIV. & lib. XI. c. II. & Paulus Foro. 1. p. lib. X. XXIV. aut XXV. Martij affirmant æquinoctiū contigisse, duobus diebus designatis, propter bissex-

tilis anni varietatem. Nec ignoro quosdam è recentioribus contra tendere, æquinoctium incidisse putãtes die 22. Martij auctoritate Const. Apostol. lib. V. c. XVII. id affirmantiũ, quibus quanta fides hac certè in parte habenda sit non disceptamus, neque mouere visum est, quæ tanto veterum consensu fixa esse videbãtur, & certis argumẽtis confirmare facilè erat. Primum ergò Dionysij Abbatis calculatio constare non potest eo anno 14. lunam primi mensis numerantis ad 12. Kal. Aprilis 21. Martij esset enim ante æquinoctium, ne ratio quidem Pauli II. p. li. VII. & VIII. vtrobique con. V. quem alij magno numero sequuntur solis & lunæ oppositionem primo eius anni lunari mense collocantes die Martij 23. ac nec secum ipsi satis conueniunt coniunctionem ponentes 8. die Martij, neque admittentes tamen, quod ex Beda & Cyrillo à nobis est allatum, lunæ ætatem non ipso cõiunctionis die, sed proximo inchoandã: & constat rectam rationem, Ecclesiæque morem à primis temporibus susceptum, ne Pascha ante æquinoctiũ poneretur, ne decimaquinta quidem luna, cùm contra contingat sæpe in Dionysij, Lucidi, & recentiorũ computationibus, quo minus ratio illis constabit.

CAP. XV.

Ex Cyclo Hebræo.

HEbræos haud satis exactè temp⁹ paschatis obseruasse superius ex Socrate dictum est, nempe c. IX. videri cyclum, quomodo vtuntur Hebræi, non ex veteri Hebræorum instituto, sed Samaritanorum fuisse desumptum. Addidimus ex Paulo Foros. p. II. lib. II. c. II. Hebræos ad Christi ætatem nullas lunæ certas supputationes habuisse, sed solo visu lunæ exortum obseruasse, quę fallax & incertissima ratio est, vsitata tamẽ antiquissimis Romanis, auctore Beda de ratione temporum c. XI. Vnde inter Hebræos vulgatum: consueuisse A olim idoneos homines mittere, qui ex altissimis montibus nouæ lunæ exortum consideratum renũtiarent ad menses singulos auspicãdos. Quæ si vera sunt, vt certè magnorũ virorum auctoritatè munita, si nostra ætate primã lunam ad celebrandum pascha cõputabamus, eam quæ re quinta erat, nihilominus, si Beda B suo tempore confitetur contigisse aliquãdo, vt biduo luna esset visa, priusquã prima luna numeraretur, post tantam diligentiam à viris eruditionis laude præstantibus adhibitam, quid putamus Hebræis contigisse in tanta antiquitate, morum ruditate, rerumq; omniũ perturbatione? quid miremur eo anno Christi 34. primã lunam ab Hebræis dictam esse quæ C quarta erat, atque adeò 15. quæ 18. incidens 26. Martij die Veneris 7. Kal. April. cùm prima luna numerari debuisset eius mensis die 9. quod si ex visu lunę exortum obseruabant, quę ratio, vt biduo triduoq; à vera coniunctione distaret necesse erat, idem contingere potuit, cuius rei magnæ coniecturæ sunt, ac verò multi locupletes auctores. In eo numero Lucas D Gauricus eo mirabiliorẽ solis defectionem, quæ tẽpore Christi accidit fuisse affirmans, ꝙ post plenilunium est facta luna 18. cũ lunæ & solis nullus est aspectus, atque naturæ ordine neq; sol, neq; luna possunt deficere. At multi discrepant, falsaq; hęc & anilia esse existimant, obscura fortassè illis & incognita, vera tamẽ certè magnis coniecturis fundata. Ioseph. E Scalig. de emendatione temporum l. I. cùm agit de mensibus ait: *Atticos mensem auspicari ἀπὸ τῆς συνόδου, Calippũ ἀπὸ τῆς φάσεως, Iudæos, Samaritanos, Arabes. ἀπὸ τοῦ μηνοειδοῦς*, id est, *triduana luna*. Quę si vera sunt, magnopere nostram, hoc est, veterum sententiam confirmant. Adijciendum tamen est ijs, quę dicta sunt, iuxta cyclum Hebræorum his temporib. vsitatum, canonesq; supra positos, nos æquinoctia duo, mensiumque initia

Tisri & Nisan esse perscrutatos, atque inuenisse annum Christi 34. esse A mundi 3794. in quo annorum numero cycli continentur 199. Praeterea anni integri 12. atque singulorum tum cyclorum, tum annorum, iuxta ea quae dicta sunt cap. IX. diebus, horis & punctis consideratis, atque in summam collectis, deprehendisse Molad Tisri, id est, coniunctionem primi mensis fuisse feria I. punctis 533. & cùm is dies non esset capax B Chebiga, id est, neomenia proximo die fixa est feria II. quae cum littera Dominicalis fine anni 33. quando incipit annus Hebraeorum fuerit D. incidit eo anno die 14. Septembris, Tecupha autem, id est, aequinoctium autumnale die 11. Tisri hora 17. punctis 909. hoc est, ad finem diei 24. Septembris. Rursus eandem rationem secutus, ac consideratis sex mensi- C bus integris, qui à Tisri vsque ad Nisan numerantur, adiectisque ad cyclos & annos superiores, considerauimus Molad Nisan Feria III. incidisse (praesertim cùm is annus fuerit communis deficiens) hora 4. punctis 971. quae littera Dominicali mutata in C. die 9. Martij incidit, Tecupha autem eius mensis die 7. deprehendimus hora 5. punctis 79. nimirũ die D Martij 25. ad mediam fermè noctẽ. Quod si Hebraei aequinoctium obseruare debebant, vti antiqui Patres obseruarunt ratione ab illis accepta, ne Pascha ante illud celebraretur, satis conuincitur vniuersam eam rationẽ Hebraeorum perturbatam videri, iuxta quã Pascha ac 15. luna biduo antè aequinoctium celebratur die 23. Mar- E tij horis 6. pũctis 59. vti Paulus Forof. colligit p. II. lib. VII. ratione à Beda & Dionysio discrepanti. Non est ergo quod tantoperè Hebraeorum diligentiam admiremur, veterumque supputationibus praeferamus, quod quidam certè faciunt; ne aequinoctijs quidem constituendis certam sequi rationem, argumento sit astrologos consentienti sentẽtia ab aequinoctio verno vsq; ad autũnale dies semper numerare 187. rursus ab aequinoctio autumnali ad vernum, cùm sol per signa hyemalia decurrit numerare dies in anno cõmuni 178. in bissexto 179. varij interualli rationem designantes, quoniam in aestate sol est in auge, hyeme in opposito augis, qui numerus dierum in Hebraeorum calculationibus nõ obseruatur, cùm ab aequinoctio verno vsq; ad autumnale dies numerent 184. Ex his quae dicta sunt duo effici videbantur, rationem, quam modo sequuntur Hebraei, perpetuam non fuisse; ac ne exactam quidem omni ex parte iuxta veterem rationem lunam 15. putasse, quae reuera erat 18. praesertim quo anno Christus est in crucem actus.

CAP. XVI.

Ex ratione astrologica.

AD inuestigandum quoto anno aetatis suae, & quoto die mensis Christus est actus in crucem, triplici via ingredi licet, aut Hebraeorum cyclo, aut Latinorum computationibus, de quib. iam est disputatum, aut certè astrologica ratione, coniunctiones, oppositionesq; solis & lunę indagando omnium facillima certissimaque, si qua confidentia pronunciandi astrologi vtuntur, parem afferrent sententiarum concordiam, cùm potius inter se multũ saepè discrepent: vt facilius inter horologia, quã inter astrologos conueniat. Qui enim in coniunctionibus designandis conspirent in vera anni solaris mensura atq; lunae motu discrepantes? Censorinus de die Natali c. VI. *Haec annorum magnitudo eo discrepat*, ait, *quod inter astrologos non conuenit, quanto vel sol plusquam 365. dies in anno conficiat, vel luna minus quàm 30. in mense.* Agit de cyclis, quos alij è pluribus annis componebant, è paucioribus alij. Mitto varias mensuras anni, quas idem Censorinus cap. VII. affert. Certè inter mensuram

Ptolæmei cùm annum ait continere dies 365. horas 5. minuta 55. secunda 12. & Alfonsi solem affirmantis circulum conficere diebus 365. horis 5. minutis 49. secundis 16. Prætereà Albategni affirmantis solem annuo motu consumere dies 365. horas 5. minuta 46. secunda 25. Discrimen est minutorum ferè 9. quod si vera mensura esset, aut obseruatione longi temporis aut instrumento aliquo inuēta, certè ratione nulla esset contentio; constat autem minutum vnum continere diei partem 1440. duo minuta continere diei partem 720. tria partem 480. Vnde colligitur siquidem motus solaris tria minuta amplius continet, quam astrologi vulgò putent, solstitia & æquinoctia 500. annis vno die sedes posteriores habere, quam astrologi putent, designentque annis 1500. tribus diebus, quod magnopere censeo considerandum. Quod si minus tria minuta habeat, è contrario continget æquinoctia & solstitia ante 1500. annos tribus diebus, antequam Astrologi putent, & suis rationibus constituant fore designanda, neque enim ipsi omnes coniunctiones viderunt, sed certa constituta motus solaris quantitate, per supputationes anteriores annos & posteriores perscrutantur, de illisque pronunciant magna confidentia: quoniam in paucis annis inueniunt (vbi propter exiguum tempus error deprehendi non potest) se vera prædicare, eclypsesq; solis & lunæ certa ratione prædicere. Et constat magnos Astrologos de æquinoctijs & solstitijs, quoto die inciderent singula Christi ætate discrepare, & nonnullos solstitium hyemale ponere, eo quidem tempore die 22. aut 23. Decembris, negare, alios, æquinoctia & solstitia anticipari aut postponi semper mensura vniformi, eandemve esse mensuram anni solaris propter motum accessus & recessus. Picolom. in lib. de noua Kalendarij restituendi forma. Quod verò de æquinoctijs & solstitijs est dictum, idem de coniunctionibus dictum putato, quoniā ex eodem fonte vtrumq; manat, variata enim mēsura motus solaris, varietur necesse est tēpus, quo cum luna singulis mēsibus congreditur congressusque est. Et in ipsa motus lunaris mensura inter astrologos discrimen est, leue dices fortasse, esto, sed quod lōgo tempore non parum possit de astrologorum supputationib. immutare, quod vt facilius intelligatur quatuor mensuras motus lunaris vidimus in Ioannis Lupi Toletani schedis in arte calculādi peritissimi inter se discrepantes: quas hoc loco subijcere non est visum.

Omninò Paulus Forof. parte II. lib. VII. hanc computationis astrologicæ inconstantiam atque incertitudinem his verbis declarat: *Reminisci*, inquit, *conuenit, quod alibi diximus, tabulas Alfonsinas & alias tabulas ex eis extractas hac tempestate non esse idoneas pro motibus planetarum inueniendis, immò in quinque planetis aberrant nonnunquam in gradibus duobus vel tribus, & licet in motibus luminarium minus à vero dissentiant, tamen nō ad vnguem eos supputant.* Quod verò Paulus de Alfonsinis tabulis atque alijs nostræ tēpestatis affirmat, quid vetet de alijs etiam omnibus sentire? Verū ne videamur incognita penitus damnare, hanc disputationem concludemus fundamento indicato, vnde hæc omnis supputatio astrologica pendet, nimirum: *Mensis solaris lunari aliquanto est longior,* quod incrementum si consideretur, facilè vna lunatione inuenta, cæteras coniunctiones & oppositiones inuestigabimus. Ex confectis iam tabulis facilius, quibus hæc incrementa in vnum collecta, atque in summam sunt redacta, quod Paulus Forof. diligenter præstitit I. p. lib. XI. Verùm longiori opera nihil prohibet tantundem Epactarum fundamento considerato efficere. Nimirum luna cōficit cursum suum diebus viginti nouem, horis duodecim,

decim, minutis quadraginta quatuor, secundis tribus, tertijs fermè tribus. Si id dempseris diebus 31. superabit dies vna, horæ vndecim, minuta quindecim, secunda quinquagesima septima, quæ Epacta vocantur, id est, adiectiones. Februarius mensis in anno communi nullas habet Epactas, quoniam minor est lunari mense, eoque dies eius 28. adijciendi sunt Epactis Ianuarij, itaque eo mense supererunt dies 29. horæ 11. minuta 15. secunda 56. tertia 57. hoc est non tota integra luna, nam cùm fuerit integra demenda est, & quod superérit relinquendum pro epactis, qua ratione ad Martium ac cæteros menses procedendo, in fine Decembris erũt epactæ in anno quidem communi dies 10. horæ 15. minuta 11. secunda 23. tertia 24. quarta 14. quibus duodecim menses consueti totidem lunas superant, in anno autem bissexto his epactis dies vnus adijciatur, qua ratiõe possumus colligere multos annos, atque in tabulas redigere procedendo per decem aut viginti annos, colligendoque eorum epactas in vnum, vt facilius anni, quem quærimus, aut mensis epactæ inueniantur. Et siquidem primi mensis, nempe Ianuarij coniunctio quæratur alicuius anni, satis erit præcedentes annos integros considerare, si quarti aut quinti mensis, mensium etiam qui in eo anno decursi sunt, Epactas colligere erit necesse, & ad annorum epactas adiungere. Ad extremũ si quæratur annus ante Christum, opus erit radicem addere dies 12. horas 20. minuta 2. secunda 54. tertia 28. quarta 46. ad annorum numerum, qui ante Christum vsque ad annum, quem quærimus numerantur. Si post Christi ortum oportebit pro radice ad meridianum vrbis Romæ addere dies 16. horas 16. minuta 41. secunda 8. tertia 34. quarta 13. quam rationem si sequamur anno Christi 34. de quo disputamus, inueniemus coniunctionem mensis Martij ad meridianum vrbis Romæ fuisse die 8. eius mensis hora 9. minutis 3. secundis 45. atque adeo 14. luna incidet 12. Kalendas Aprilis 21. die Martij, quod Dionysius & Beda existimarunt, & hos secutus Anselmus ad c. Matthæi 27. cùm inuenisse se ait, anno quo mortuus est Christus 8. Idus Martias fuisse neomeniam, ratione proculdubio vitiosa, vt superius est ostensum: præsertim cùm ab Hebræorum supputatione vno die & aliquot horis discrepet. Quod si recipiatur quod initio huius capitis diximus in mensura motus solaris astrologos aberrare tribus aut quatuor minutis, fateri necesse erit coniunctiones & oppositiones Christi ætate tribus aut quatuor diebus incidisse posteriores, quam astrologi suis supputationibus existimarint, dubijs nimirum atque fallacibus. Fortassis hanc rationem secuti sunt magni viri, qui rationibus astrologicis affirmârint 34. Christi anno 15. lunam Martij incidisse eius mensis die 25. 8. Kalend. Aprilis. Albertus Magnus in expositione epistolæ ad Polycarpum, Marianus Scotus, ipseque Beda cùm in cyclis eo Christi anno notet, secutus Dionysium lunam 14. 21. die Martij, 12. Kalendas Aprilis, lib. de ratione temp. c. XLV. contrarium ait, nempe 14. lunam incidisse eo anno 9. Kalendas Aprilis 5. feria his verbis: *Sicut 533. primo anno Christi ita 566. 34. per vniuersos solis & lunæ concordet discursus, & ideò circulis beati Dionysij apertis 51. 566. ab incarnatione Domini contingens anno 14. lunam in eo 9. Kalendarum Aprilium 5. feria repereris, & diem Paschæ Dominicum 6. Kalendarum Aprilium luna 17. Age Deo gratias, quia quod quærebas sicut ipse promisit te inuenire donauit.* Quod cùm in cyclos Dionysij cõsuetos minimè conueniat, suspicabar duplices eum cyclos edidisse, qui modo in vsu sunt, & alios, quos Beda *apertos* distinctionis causa vocat, nam inconstantiæ notam Bedę adscribere recusabam.

CAP.

CAP. XVII.

Quomodo 8. Kalendas Aprilis Christus obijt.

COnuenit veteribus ferè ad 8. Kalend. Aprilis Christum fuisse occisum, fuit autem anno Christi 34. littera Dominicalis C. rursus ad 8. Kalend. Aprilis cum G. littera sit adscripta, vt eo anno Feria V. fuerit, necesse est, atque adeò Christi mortem in proximum diem incidisse VI. feria haud dubium occisi, non ergo potest constare, quod initio proposuimus Christum fuisse in crucem actum 34. ætatis anno 8. Kalen. Aprilis. Hoc argumento conuicti quidam Christi mortem in proximum diem reijciunt septimum Kalend. Aprilis, ac in vitam redijsse aiunt 5. Kalend. Aprilis, ex antiquis Victorius Aquitanicus, vt affert Paulus II. p. lib. V. & Beda attigit de ratione temporum c. LIX. Ex recentioribus Lucas Gauricus & Onuphrius ad II. fastorum librum, & in Chronico Ecclesiastico, Maurolicus in Martyrologio. Ipse non admodum referre putem, vtrouis modo sentiamus: existimabam autem non sine causa veteres in eam sentētiam conspirasse, Christum occisum 25. die Martij, ac repetere necesse est, quod ex Paulo Forof. 2. p. lib. XII. c. III. superius est allatum, post correctum Iulij diligentia Kalendarium, deprauatumq; sacerdotum incuria, ac rursus restitutum Augusti iussu, vt ex Solino & Macrobio constat, nouum errorem à sacerdotibus cōmissum anno 13. bissextum celebrantibus, cùm nō ante 16. debuissent, quo factum est, vt vno die eo anno longiore facto, quàm opus esset consequentibus annis litteræ Dominicales, vt necesse erat, fuerint vno die anticipatæ, atque adeò anno Christi 34. cùm littera Dominicalis, si recta processissent, anni deberet esse C. errore admisso fuerit B. Præterea in aliud incommodum inciderunt mensium diebus secus quàm oporteret numeratis, nam illo die ad præcedētem annum adiuncto fiebat proximo & sequentibus annis, vt primus dies mensis numeraretur, qui re secundus erat 25. qui erat 26. atque adeò quo anno Christus est occisus 25. dies Martij, qui reuera 26. incidit in diem Veneris, quod cùm Patres considerassent erroris mentione pretermissa, vnanimi consensu dixerunt Christū occisum 25. die Martij 8. Kalend. Aprilis. Temerè, dices, & inaniter hæc finguntur nullius antiqui auctoris testimonio fulcita. Fortassis coniectura fallit, sed cùm veterum Patrum sententia hac ratione constet, ab effectu colligere causam quid prohibeat? & est verisimile, cùm sacerdotibus esset iussum, vt 12. annis nihil intercalarent, proximo per inscitiam bissextum addidisse, vti superius est indicatum, vbi hunc errorem correctum me credere dixi à Concilio Niceno cum cæteris, quæ ad rationem Paschatis pertinebant. Et ne prorsus videamur auctoritate destituti, ac temerè pronuntiare, in cyclis Dionysium cùm animaduerterem prioribus annis id littera Dominicali assignanda à vera ratione discrepare, in posterioribus consentire, conieci aliquo tempore intermedio correctionem factam, ac considératis diligenter cyclis inueni primum anno Christi. 5. bissextum esse, quod nisi per sacerdotum errorem verum non fuit, neq; ante octauum Christi annum bissextus debuit post sacerdotum priorem errorem celebrari. Deinde anno Christi 341. qui fuit vltimus cycli decemnouenalis currentis Concilij Niceni tempore litteram Dominicalem fuisse C. rursus proximo anno fuisse eandem litteram Dominicalem, bissextum non quarto anno, sed sexto præter morem incidisse, quod contingere

gere non potuit, vt eadem litera Dominicalis duobus annis seruiret, nisi ex priori anno 341. vno die detracto, vti calculatione facta manifestum fiet, sic in sententia confirmabar in Concilio Niceno cum cæteris diem illum, qui redundabat fuisse detractum, ac reliqua ad competẽtem ordinem restituta, neque aliam ob causam Dionysium in prioribus annis diuersam litteram Dominicalem designasse, tametsi nonnullo & ipsum errore, cùm non litteram Dominicalem postponere, vt facit, sed anticipare debuisset, ac anno 34. Christi non D. litteram adscribere, sed potius B. nimirum quot diebus ad annum additis, tot litteris Dominic. anticipetur necesse est. Sic arbitror idoneis argumentis confirmatũ esse, Christum occisum fuisse 25. Martij die, quod præter veteres ex recentiorib. iudicarunt, Rationale lib. VI. c. XXVII. nu. XXVIII. & c. LXXXVI nu. XI. & lib. VII. c. IX. n. III. S. Thomas in Ioannem c. II. lect. III. in illud quadraginta sex annis. Antoninus in historia. tit. V. c. VII. Platina de vitis Pontificum initio Gelasij in Martyrologio ad 25. Martij.

CAP. XVIII.

Quota Luna Christus cœnauerit.

CHristum occisum fuisse 8. Kalendas Aprilis multis hactenus confirmauimus, atque adeò cenauit 9. Kalendas Aprilis die Martij 24. nam pridie mortis cenauit. Verum quota luna, hoc est, quoto die mensis Nisan agnum comederit, magna quæstio est. Græci Christum 13. Luna cenasse mordicus tenẽt pridie quàm Iudæi, neque azymos panes comedisse, sed fermentatos, quod ipsi institutum imitantur, Eucharistię conficiẽdæ Ecclesiæ Latinæ morem vellicantes in hac parte, quasi à Christi

A instituto alienæ, quod tanta animorum contentione faciunt, vt pollui ac contaminari eorum templa & altaria putent, si quis ex nostris (quos azymitas contumeliæ causa vocant) in eis sacrificium offerat. Latini ferè è contrario Christum 14. luna cenasse existimant, atque in eo numero Innocentius de mysterio Missæ lib. IV. c. IV. S. Thom. III. p. qu. LXXIV. ar. IV. & Abulensis in II. p. defensorij capitibus, V. VI. VII. VIII. & IX.
B nimirum qua die Iudæi agnum obtulerunt, atque adeo proximo die qui erat primus azymorum mortuũ existimant. Pro Græcis hęc fermè argumenta sunt. Primum quoniam Ioannes 18. Iudæi Christum accusantes, non ingrediuntur prætorium Pilati, ne contaminarẽtur, sed vt manducarent pascha. Nam quod Inno-
C centius loco citato, & S. Thom. III. p. q. XLVI. ar. IX. *Pascha* panes azymos interpretantur, passim repudiatur, & à Paulo Burgensi ad Matth. c. XXVI. & ab Abulensi II. p. defensorij cap. VIII. quoniam neque azymi panes eo nomine Paschatis vnquam vocãtur, neque ad eos comedendos purificatio erat necessaria, quando in lege nihil de ea re præcipitur, quod in
D præceptis ceremonialibus sufficiens à Iudæis argumentum putatur. Et alioqui immundi panem septem diebus gustare non deberent, quando in lege præcipitur, ne vllum fermentatum esset in finibus Israël, Exo. 12. præsertim impuritate suscepta, quæ legis instituto multis diebus elui nõ posset, ac verò omnibus permittebatur aduenis & indigenis azymorum
E esus. Deinde Ioannis 13. cena siue facta, siue parata (vt quidam explicant cùm tempus cenæ adesset) ait. *Ante diem festum paschæ sciens Iesus, &c.* nam quod quidam hoc argumentum eludunt existimantes Ioannem de primo die azymorum loqui, qui dies festus erat, non autem de luna 14. in qua agnus immolabatur, non satis videntur difficultati satisfacere. Primus enim azymorum dies in-

cipiebat à vespere 14. lunæ, quomodo Exod. c.12. vbi ait, *14. die mensis comedetis azyma*, conciliatur cum Leuitici c.23. vbi Moyses ait, *15. die mensis huius solemnitas azymorũ est*. Cùm ergo Christus cenauerit ad finem 14. lunæ, vti Latini contendunt, quomodo Ioãnes dixisset, ante diem festum Paschæ contigisse, qui eodem vespere inchoabatur. Præterea Matthæi 26. & Marci 14. Iudæi de morte Christi deliberantes cauẽt, ne in die festo contingeret, *non in die festo*, inquiunt, *ne fortè tumultus fieret in populo*, qua ergò cæcitate in id incommodum nullo cogente incurrerent, quod vitandum omni ratione iudicabant, Christum occidentes primo die Paschatis seu azymorum, hoc est festo omnium, quæ in ea gente celebrabantur celeberrimo? Atque illud ad extremum mouere maximè possit, quod consentaneum non est Iudæos suis superstitionibus tantopere addictos, tanti diei celebritatem violasse Christo ad tribunalia tracto, magnis vocib. accusato, ac demum interfecto; quo die in lege vetatur vllum opus seruile fieri: præsertim cùm piæ fœminæ Christum secutæ, nisi transacto sabbatho aromata emere recusarent, Marci 16. Aliæ occiso Christo, antequam sabbatum inciperet, aromata præparauerunt, ne sabbato facerent, vt ex Lucæ penultimo c. colligitur: ac Ioannis 19. cap. propter Parasceue Iudæorum, quia iuxta erat monimentum festinato funere, ne aduesperasceret, & facere non liceret, Christum sepulturæ tradunt, vt Augustinus explicat. Quod si hæc pietatis opera sabbatho facere non licebat, multo minus licebat primo die Paschatis, in quo vetatur, quemadmodum in sabbatho aliquid operis fieri, exceptis ijs, quæ ad vescendum pertinebant, Exod.12. Hæc sunt in hanc partem argumenta præcipua & valida. In alteram haud multo leuiora. Primum *prima die azymorum*, Matth. 26. c. *accedunt discipuli ad Christum, rogantes vbi vellet sibi parari Pascha*. ergo Christus cenauit fine 14. lunæ, nam 15. erat prima dies azimorum, quod Marcus cap.14. magis explicat, cùm ait, *prima die azimorum, quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli, quo vis eamus & paremus tibi vt manduces pascha*, atque his consona verba Lucæ sunt cap.22. dicentis: *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*, nam quod Græci studio defendendi placita Ioannem ab alijs Euangelistis discrepare, atque eos corrigere aiunt, dementiæ simile est: perinde ac si Deo, quo inspirante, Euangelistæ scripserunt, mendacium imponatur. Deinde Latini aiunt Christum, qui legem dum viueret, soluere noluit, debuisse in agni immolatione omnes ritus legis seruare: in quibus præcipui erant, vt luna 14. fieret, ac cum panibus azymis. Præterea pugnant veterum testimonijs Augustini, epistola LXXXVI. ad Casulanum extrema. *Hic dies primus azymorum fuit* (loquitur de Feria VI. qua Christus obijt) *à vespera incipiens*, sed Matthæus Euangelista quintam sabbathi dicit fuisse primam azymorum, quia eius vespera sequenti futura erat cena paschalis, qua cena incipiebat azymum & ouis immolatio manducari. Hieronymi ad illa verba Matthæi 26. *Prima autem die azymorum*, dicentis, *prima azymorum 14. dies mensis primi est, quando agnus immolatur & luna plenissima est, & fermentum abijcitur*. Chrysostomus hom. LXXXI. in Matthæum, *Primam azymorum eam diem vocat, qua ante azyma erat, consueuerunt enim à vespere semper dies numerare, & eius mentionem facit in vespere, cuius Pascha erat immolandum*. Sic Chrysostomus quamuis Græcus sententiæ Latinorum fauet, Christum cum Iudæis pascha celebrasse, nam quod S.Thom. IV. d. XI. quæst. II. ar. II. q. III. negat primis Ecclesiæ temporibus hanc controuersiam extitisse, sed cùm Græci & Latini azymos panes consecrarent,

odio deinde Hebionitarum Euangelium cum lege iungentium ab vtrisque susceptum, vt fermentati panes offerrentur, sedata peste Latinos pristinum morē reuocasse, recusasse Græcos, vellem aliquo paulo vetustiori testimonio confirmasset: ipse enim nullum tantæ rei vestigium in prima antiquitate reperiebam. Hæc sunt in vtramque partem argumenta maioris ponderis, alia à verisimili ducta, neque assensum exprimentia congerere superuacaneum fore putabam. Paulus Burgensis Matth. c. 26. quodam temperamento vtrosq; cōciliare nititur magno ingenio vir magnaque peritia rerum Iudaicarū: quibus à prima ætate est imbutus, grandior ad nostra sacra transijt. is posito, quod superius diximus, Iudæos quibusdam incommodis vitādis perpetua lege sanxisse, ne Pascha Feria II. IV. aut VI. celebraretur. Neomenia prima anni, ne Feria prima, IV. aut VI. colligit quemadmodum, quando cōiunctio incidit in feriam primam, & transfertur in 2. tunc duplex est nouilunium, verum & quod à Iudæis vetus nouilunium vocatur, ita cùm Pascha transfertur esse duplex pascha, atque duplicem azymorum diem, vnum verum, in quo pascha legis instituto celebrari debebat, nisi dies esset impeditus, alterum consuetum seu legitimum, iuxta receptum morem & modum computandi Iudæorum. Sic Christum priori 14. luna cenasse affirmat, occisum 15. Iudæos posteriori tum 14. luna agnum immolasse, tum 15. diem festum peregisse, qua distinctione vtriusque partis argumenta dissoluit: discipuli enim quod Matthæus & Marcus aiunt, accesſêre *prima azymorum die*, nempe quæ verè prima erat, ac secundum legem, Ioannes negat postero die Iudęos prętorium ingressos, vt Pascha manducarent more gentis oblatione agni in vesperum, quæ sabbathum præcedebat reiecta. Nam quod quidam affirmant Iudæos Christi insectatione occupatos distulisse in diem alterum, quam more & instituto debebant, fide caret ad vniuersum populum id pertinere potuisse. Verùm Burgensis sententiam magno plausu à quibusdam susceptam alij refellunt validis argumentis: incurrit enim in Græcorum opinionem Christum panem fermentatum consecrasse, quando azymi tunc non erant, deinde illam translationem Paschatis quasi confictam reijciunt, certè post Christi tempora nouo cōmento à Iudæis excogitatam. Deinde Matth. 26. Christus discipulis *Scitis* (inquit) *quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur*. Ex quo colligi volunt Paschatis tempore, cùm agnus immolabatur Christum fuisse traditum, occisum die proxima, quæ prima azymorum fuit. Expedita tamen responsio est, Christum pascha quidem designasse, fore post biduum, intraque illud ipsum tradendum occidendumque. Augustinus epistola ad Casulanum quarta sabbathi id Christum dixisse ait, nempe die Mercurij, atque adeò pascha non Feria V. erat, sed potius Feria VI. ad vesperam, ac totus ille locus Augustini Burgensi potius aut Græcis fauere mihi, quam Latinis videtur. Nam cùm ait quintam sabbathi diei azymorum diem, quia eius vespera sequenti futura erat cœna paschalis: indicare mihi certè videtur vespera sequenti, id est, die proximo pascha fore, hoc est Feria VI. Nam quod Iudaicas traditiones quasi aniles reijciunt, nos eorum iudicium probamus, recentes fuisse non arbitramur cum tanto consensu in antiquis Hebræorum libris inueniantur, ac verò cyclum suum Hebræi Gamalieli tribuunt, qui in Actis Apostolicis Christianorum causam defendit. Sanè cùm per eam traditionem, quæ dissidere videbantur, facilè concilientur, non est quod eam tantopere repudiemus, nec de Iudæorum ritibus aliis potius quàm Iudæis credendum

dendum est. Neque prorsus in Græcorum sententiam incurritur Burgensis opinione suscepta, quando verè 14. lunam fuisse affirmamus, imò si vera sunt quæ superius diximus, 16. potius aut 17. De azymis laborare non attinet, facilè enim parari poterant, præsertim cùm Iudæis esset solemne ante meridiem eius diei, quo agnum immolabant, fermentatos panes iumentis edendos tradere, vti Abulensis affert cap. 9. secundæ partis defensorij, verisimile est vniuerso populo panes azymos præcedenti die parare cœpisse. Nam quod nonnulli obijciunt fore, vt Christus violatæ legis reus postularetur, neque tam publicam fuisse cœnam arbitramur, neque solum Pascha eo die celebrasse, vti mox est explicandum. Placet ergò Burgensis sententia, præsertim magnorum virorum auctoritate adiuta. Io. Hentenij præfatione ad comment. Euthym. in Euang. Callisti Placen. enarratione 43. & 44. Gagnei Ioan. 18. Onufrij lib. II. comm. de Fastis, Hilarionis monachi Genuensis, Ioan. 18. Ioan. Stofler Kalend. Romano propositione vltima, Ioannis Lucidi de vero die passionis Christi cap. IX. Iosephi Zarlini de anno & die quo Christus fuit crucifixus Italicè. Præterea Cornelij Iansenij concordiæ Euangelicæ cap. CXXVIII. id confirmantis auctoritate libri Seder Holam, qui liber inter Iudæos satis antiquus est, Ruperti Abbatis, qui ante 450. amplius annos vixit in Matthæ. cap. 26. lib. X. initio, quod non sine diuino consilio factum putat, quatenus finem accipiente pascha veteri, id est, legalis agni immolatione, confestim verus ipse agnus & Pascha nouum immolaretur, atque ita quod eatenus velut in vmbra significatum fuerat, iam in re procederet, figuræ transeunti veritas permanens succederet, & vtrumque fieret decimaquarta luna, vt Iansenius ait. His accedit Paulus Forosempronius p. secunda, lib. tertio & decimoquarto, tametsi vnus A Rupertus in hoc discrepat à cæteris, quod festi tantùm celebritatē translatam ait, non autem agni mactationem, tum alijs locis, sed præsertim lib. secundo in Leuit. cap. trigesimosexto. Itaque Christum iudicamus luna decimaquarta cœnasse, quæ ab Hebræis tamen 13. ob eorum traditiones numerabatur, quo modo facilè intelligitur, quod Ioannes B cap. decimonono de Christi morte agens ait, *Erat autem parasceue Paschæ*, quod merito interpreteris non modo diem Veneris, sed & pridie paschæ: cùm enim sabbathum omne haberet suam parasceuem diem Veneris, ideò dictam quod in ea pararentur necessaria: quid vetet alijs festis, quæ septem numero erant, Leuit. vigesimotertio, suas etiam parasceues dare? imò necessarium putat C Paulus Forosempron. p. secunda, lib. primo, cap. secundo, sed & eo loco in Syriaco legimus הא הות דפצחא הערוב, hoc est, *vespera erat paschatis*, sanè quemadmodum omne festum *sabbathum* dicitur, Leuit. vigesimotertio, sic dies proxima festo *parasceue*. Præterea optimè quadrat, quod paulò inferius idem Euangelista ait, D *Iudæi ergo quoniam parasceue erat, vt non remanerent in cruce corpora sabbatho, (erat enim magnus ille dies sabbathi) rogauerūt*, &c. Erat reuera magnus quoniā iuxta ea quæ sunt dicta cum sabbatho dies prima azymorum, id est, paschatis iungebatur, alioqui si prima paschatis die Christum occidere fas fuisse putârunt, E quid prohibebat eum sabbatho in cruce relinquere, aut verò sepulturæ tradere? Video hæc argutijs scholasticis eludi posse, & ego si moderatis ingenijs nostra placuerint, satis habeam. Superest ad argumenta pro Latinis facta ad extremum respondere, ac primum Feria V. qua Christus cœnauit prima dies azymorum dicta est, vel quoniam legis instituto talis esse debebat, vti ex Burgensi est dictum, si impedita non fuisset; aut

quoniam mos erat Iudæis post captiuitatem Babylonicam propter inscitiam calculandi, duobus dieb. festa præcipua geminare, vti ex Hebręorum libris ac testimonio Rabbi Raua affirmat Paulus Forof. p. II. lib. II. c. II. sic vtraque dies 14. vera ac legitima oblationem agni ac panes azymos habuit, feriatam tantum posteriorem arbitramur, ne duo festa iungerentur, ne toto biduo mortuos sepeliendi locus non esset, ciboſque coctos in regione calidissima seruare tandiu nonnunquam necesse esset, vti Rupertus loco citato ait. Aut certè cùm plures essent sectæ Iudæorum, neque Saducæi quicquam præter legem reciperent, vt Iosephus ait lib. XVIII. antiquit. ca. II. verisimile est non paucos legis instituto Pascha celebrasse, priori 14. luna, quo factũ, vt dies ille azymorum diceretur, copia eius panis esset, neque Iudæi accusarent Christum quasi reum violatæ legis: quod Iansenius affert cap. 129. Duo alia argumenta parum mouent: Christus enim luna 14. vera, vti in lege erat mandatum, pascha celebrauit. Patrum antiquorum verba nihilo maiorem curam afferunt, nõ paucos ita sensisse fatemur, neq; tamen nefas est nonnunquam ab eorum placitis, præsertim magnis rationibus cogẽtibus discrepare, tametsi Chrysost. Ioan. 18. ad illud, *Iudæi non ingrediuntur prætorium ne contaminarentur, sed vt manducarent pascha, pascha,* inquit, *totam appellat solemnitatem, siue quod tunc faciebãt, Christus autem pridie cædem suam in parasceuen reseruans, quando antiquitus celebratũ erat.* Qui locus Burgensis sententiæ fauet. Item Augustini verba, vti paulo antè dicebam nostræ causæ fauere possint, quibus nonnulli adiungunt alia ex tract. 120. in Euãgelium Ioannis ad illa verba 19. capitis, *Ibi ergo propter parasceuem Iudæorũ, quia iuxta erat monumentum posuerunt Iesum, Acceleratam,* inquit, *vult intelligi sepulturam ne aduesperasceret, quod iam propter parasceuem, quam cœnam puram Iudæi, Latini vsitatius apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat.* Verum fateri conuenit Augustinum his verbis de cœna agni non agere, sed afferre tantum morem, quo pridie sabbathi Iudæi consueuerunt cœnam sine sanguine toto annò instituere, quæ *cœna pura* ideò vocabatur. Vnde factum, vt *cœna pura* & *parasceue* pro eodem sumerentur, vti ex Glossario magno patet, vbi *cœnam puram, parasceuem* seu *prosabbathum* interpretatur.

CAP. XIX.

De triduo mortis Christi.

CHristum triduo mortuum fuisse quæstionis non est: cùm diuinæ litteræ in eo, & antiquorum Patrum dicta consentiant, quibus repugnare quis audeat? illud quidem dubium videri posset, quomodo triduum accipiendum sit, manserit ne Christus in sepulchro integris tribus diebus, an trium partibus tribus, vt per synecdochen, qui familiaris atque vsitatus loquendi modus est, à parte totum intelligamus, quomodo Patres antiquos intellexisse video, in quo numero Hieronymus Matth. 12. ad illa verba, *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus. De hoc loco,* inquit, *plenius in commentarijs Ionæ Prophetæ disputauimus: ad illum ergò locum lectoris diligentiam remittimus, hoc breuiter nunc dixisse contenti, quod synecdochicè totum intelligatur ex parte, non quod omnes tres dies & tres noctes in inferno Dominus steterit, sed quod in parte parasceues & Dominicæ, & tota die sabbathi, tres dies & totidem noctes intelligantur.* Augustin. eodẽ modo statuit III. lib. de doctrina Christiana c. XXXV. ac verò cũ in parasceue,

ceue, id est, die Veneris fuerit Christus occisus, prima sabbathi, id est, die A Dominica in vitam redierit, vti ex Euangelijs manifestè perspicitur, atque Ecclesia vetusto more mortem & resurrectionem Christi non anniuersaria modo celebritate, sed totius anni decursu ijs diebus in memoriam reuocet, quis aliter sentire audeat? nisi qui prima religionis fundamenta conuellere, & fixas vetustate opiniones mouere velit? quæ B cùm certa sint, quædam tamen argumenta dissoluenda sunt, quæ Iudæi insigni procacitate obijciunt. Primum ex Matth. c. 12. desumptum; *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*, qui locus quod ad dies spectat per synecdochen possit exponi tribus noctibus, C aut trium noctium partibus, quomodo fuit in sepulchro? duas enim ego noctes inuenio, tertiæ ne partem quidem vllam. Addunt si Christus integris tribus diebus mortuus non fuit, haud satis idoneo argumento verè mortuum confirmari, affirmant enim peritissimi medici Galenus lib. dicato, cur homo appareat mortuus cùm non sit, Auicena D in prima tertij aliquando inter ægrum & mortuum nullum apparere discrimen, sunt enim medicamenta narcotica, sunt deliquia quibus contingit haberi pro mortuis qui viui sunt, præcipiuntque funus differri non minus 72. horis, id est, tribus diebus integris, quoniam eo spatio elementa, quibus corpus constat soluuntur, & suas periodos conficiunt, E vti conciliator ait, differentia 182. Accedunt sanctorum verba, ac nominatim Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia c. II. baptismum tribus mersionibus & totidem eleuationibus perfici ait, ad significandū Christum tribus diebus & tribus noctibus in sepulchro quieuisse. Ad hæc Theophylus Cæsariensis epistola de ratione paschatis affirmat Christum occisum fuisse ad 11. Kalend. Aprilis redijsse in vitam. 7. Kal. eiusdem mensis, vnde colligit ab 11. Kalen. Aprilis vsque ad 11. Kalen. Maias pascha obseruandum, cùm ante obseruaretur ab 8. Kalend. Aprilis. Impium enim iudicat triduum mortis Christi à paschatis celebritate excludi. Video Bedam de ratione temporum cap. LXV. affirmare, Theophylum 10. Kalend. Aprilis dixisse Christum occisum, vtraque tamen lectione efficitur planè sensisse Christū ampliùs tribus dieb. integris priori lectione, posteriori duobus integris & parte alterius mortuum iacuisse. Hoc Theophyli iudicium est, sed reijciendum tamen videtur, quando Christum Feria VI. occisum, Dominica reducem ad vitam facimus, alioqui inuertamus omnia & commutemus. E recentioribus vnus Paulus Forosf. p. II. lib. I. c. II. tentauit citra synecdochen explicare ac tueri Christum integro triduo in sepulchro fuisse, maiori quidem ille conatu, quàm successu, quod vt faciat negat parasceuem diem Veneris tantùm significare, sed potius diem quoduis festū præcedens. Sic parasceue in qua Christus est occisus, vti ex Euangelijs deprehenditur, negat sextum hebdomadis diem significare, sed potius pridie paschatis. negat rursum sabbathi nomine diem septimū tantùm intelligi, sed potius diem festum quemlibet, vti Leuit. 23. & 25. deprehenditur. Deinde quoniam ex Euangelijs constat Christum vna sabbathi redijsse in vitam, negat etiam vna sabbathi significari diem Dominicam, sed pòtius vnam quamuis paschatis diem, siue prima fuerit, siue secunda, sic pridie paschatis occisum Christum reuixisse vno alio die paschatis ait. Si opponas vnam sabbathi Hebræorum more feriam primam significare, id reijcit, præsertim cùm in Græcis exemplaribus non vna sabbathi dicatur. sed vna sabbathorum, id est, vno aliquo die paschatis, quod plurium instar

sabbathorum erat. Si vrgeas Marcum 16.c. dixisse de Christo, *Cùm surrexisset autem mane prima sabbathi, apparuit primo Mariæ Magdalenæ*; ne à sententia discedat, audet extremam Marci partem in dubium vocare, quasi incertæ fidei, sed præstat à sententia discedere, quæ nisi tantis incommodis defendi nō potest. Quid enim nisi furori simile videatur scripturæ diuinæ partem dubiam facere, Ecclesiæ morem antiquissimum, sensumque omnium conuellere secus iudicantium? Neque Paulus ipse sibi satisfacit, quin nouo commento posito, quod superius diximus, Iudæos post captiuitatem Babylonicam consueuisse præcipua festa legis duobus diebus continuare, contendit diem sabbathi, quo Christus fuit in sepulchro, cùm esset primus dies paschatis geminum fuisse, atque adeò biduo integro fuisse, tametsi à Iudæis pro vno die computabatur, quod Romanis etiam in bissexto contingit duos dies pro vno numerantibus, cum vtroque dicant sexto Kalend. Martij, ita Christum die ante pascha obijsse credit, die paschatis in sepulchro fuisse, quo duo dies continebantur, reuixisse die postero, qui secundus azymorum computabatur, ac vna, siue etiam prima sabbathi, id est, prima post diem azymorum die. Verùm hæc refelli non maiori difficultate possunt, cùm septimana septem tantum diebus constaret, & Christus sepultus fuit Feria sexta, in vitam redierit Feria prima, hoc est, die Dominica, nouum commentum eluditur. Supersunt argumenta. In Theophili epistola legendum arbitrabar, aut 9. Kalend. Aprilis, aut certè 8. Christum reuixisse, triduumque quod addendum censet, ad terminos paschales numerandum, vtroque die mortis & resurrectionis comprehenso, alioqui vnius auctoritas vt ab alijs recedamus, nihil moueat, ne Isidorus quidem lib. sexto. Etymolog. cap. decimoseptimo in suis

A cyclis anno 34. Christi 15. lunam numerans Feria I. Cyrillus in suis item cyclis Feria II. Hebræi Feria III. quid enim de hac sententiarum varietate esset sentiendum, superius est explicatum. Maiorem difficultatem afferunt Christi verba apud Matthæum cap. duodecimo, affirmantis fore se in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus: quæ postquam Hieronymus Ionæ secundo per synecdochen explicuit, quasi non sibi planè satisfaceret, adiunxit: *Si quis autem ista non recipit, & meliori sensu potest huius loci exponere sacramentum, illius magis sequenda est sententia.* Exercuit idem locus Augustinum 3. de symbolo ad Catechumenos cap. sexto, item tertio libro de consensu Euangelistarum. Nonnulli pro tertia nocte, quæ in eo numero desideratur, noctem quæ sextam feriam præcessit, includunt, non omnes eadem ratione. Sed quidam quoniam vinctus ea nocte pro mortuo & sepulto iudicatur, alij tenebras quæ in morte Christi contigerunt, noctem vocari putant, cui si duas alias noctes adiungamus, & trium dierum partes tres, Christum per synecdochem intelligemus tribus diebus & tribus noctibus mortuum fuisse. Cæterum ei qui hæc affert Augustino non satisfaciunt: ne illorum quidem ratio placet, qui ex Bedæ homilia in vigilia paschæ dicentis, antè Christi resurrectionem diem priorem nocte fuisse, nocte qua Christus reuixit mutata tempora, noctemque priorem die fuisse, ita argumentum dissoluunt, vt noctem secundam in duas cogitatione diuidant, qua ratione finis fuit præcedētis diei sequentis initium. Verùm hæc ludicra videntur; ac credam potius illa locutione significari Christum inter mortuos fuisse tribus partibus trium dierum naturalium, qui tribus diebus & tribus noctibus constant, quæ ea Christus periphrasi voluit significare. Medicorum si rationem habere in hac parte vellem, multa

Christi

Christi miracula dubia facerē, quasi ęgritudine aut morte eius qui vitam aut incolumitatem recepit non satis à medicis explorata, quæ suo tamen fulgore diuina esse opera ac maiora facultate mortali declarabant; præsertim cum medicorum dicta de dubia morte sunt interpretanda, non autem de ea quam tanti cruciatus præcesserant. Subsecutum est vulnus lateris aqua & sanguine manantibus, quasi elementis solutis. Dionysij verba nihilo maiorem difficultatem quam Euangelistæ afferentia, eodem modo accipiantur. Quæras quota hora Christus reuixerit? Ambrosius, Hieronymus, & Beda putabant media nocte, quoniam Iud.16. Samson ad mediam noctem dormiuit Christi Symbolum, atque adeo iuxta horum patrum sententiam Christus 33. horis fuit mortuus, aliter Augustinus iudicat tum libr. IV. de Trinitat. cap. VI. & ad Orosi. qu. XXVI. tum in Psalmum 56. ad illa verba. *Exurgam diluculo*, & in Psalmum 58. ad illa verba, *exaltabo mane misericordiam tuam*, diluculo surrexisse. Diluculum est cum sole orto iam lucet. Censorinus de die Natali cap. X. quod si verum est, Christus quadraginta horis fuit mortuus, vti multorum in Ecclesia sensus habet, tribus horis ex die Veneris, toto die Sabbathi, præterea tota sequenti nocte, ac quadam parte diei Dominicæ, cuius diluculo in vitam redijt mortis viribus superatis. ita sentit glossa ordinaria, 1. Machab. 3.

CAP. XX.

Latini Hebraicique cycli.

ABsoluta disputatio est quę à nobis erat instituta, videbar tamen aliquod operæ pretium facturus, si cyclos tum Latinos tum Hebraicos copiosius explicarem in eoque nonnihil operæ ponerem, à Christi Saluatoris ortu sumpto principio numerandi, nam superiora attingere superuacaneum esset nullo vsu, nisi fortè ad ostentationem ingenij leuem. Octo ergo cycli Hebraici describuntur quos maiores vocant singuli 247. annis finiti, nam Latinorum cycli Hebraicis multo maiores sunt & 532. annis nihilominus in sua principia recurrunt. Neque erat animus aut probare, aut refellere, quæ Iudæi aut Latini in suis cyclis sequuntur, prioribus sanè temporibus à vera via procul aberrasse superius est indicatum, ac satis habeam si Dionysij Abbatis Bedæque cyclos explicare altera ex parte fideliter potuero, litteram Dominicalem, aureum numerum, epactas, cyclos Lunarem & Solarem, indictiones ac diem Paschatis Christianorum instituto, quoto die mensis contingat, quota luna singulis annis: his enim ferè ratio omnis Ecclesiasticæ computationis continetur: ex altera initium anni Hebraici ac quota feria suum Pascha illi quidem celebrârint, celebraturique sint consequentibus annis. Postremò qualis sit annus, communis an embolismicus designabo. Vnde quot diebus singuli anni à Iudæis finiantur peti debeat, cum in vtroque genere annorum sint *anni deficientes*, *ordinati* ac *redundantes*, vti alio loco dictum est, in quibus Hebraici Kalendarij tota ratio vertitur. Verùm in quo ampliùs laborandum fuit, vtrosque cyclos ita inter ipsos comparauimus, vt quo die mensis nostri ijs omnibus annis initium anni Hebraici Iudæorumque Pascha incideret explicatum haberent, quibus hęc considerare studium erat aut animus. Hebræi quidem cycli & Latini certis interuallis certoque annorum numero in sua principia recur-

recurrunt, comparatio vtrorumque semper est uaria; quæ causa extitit singulos cyclos separata opera per se explicandi. Neque enim Pascha aut initium anni siue primo anni cycli cuiusque, siue consequentibus in eosdem nostrorum mensium dies semper incidunt, sed potiùs aliqua facta varietate. Lunæ ætas his cyclis designata à verò sæpè discrepat, quod ex Hebraico cyclo facilè intelligitur: verum Bedæ nos & Dionisij diligentiam sequebamur nulla mutatione facta, perpetuam rationem vsque ad finem operis tenere non potuimus, propter correctionem Kalendarij à duobus summis Pontificibus factam, à Pio V. inchoatam quidem, à Gregorio autem XIII. perfectam, magna temporum mutatione facta, quam Pius V. leuiter attrectarat aureis numeris anticipatis quatuor diebus sæpius, quinque aliquando, vt qua causa erant instituti, Lunæ coniunctiones indicarent, quod à multis annis facere desiderant, tametsi ad obseruandum Pascha ac lunam 14. primi mensis priorem rationem est secutus, quod facere non debuit, sed lunæ ætatem ad celebritatem Paschatis numerare ab eo die vbi aureus numerus figebatur iuxta nouam rationem singulis annis, neque celebrando Paschate Dionysij rationem sequi, sed nouam potius, atque ab illa non parum sæpè discrepantem, quo fiebat vt Pascha secundo sæpè mense, neque ante 26. Lunam aliquando incideret, contra omnia vetustatis exempla rectamque rationem computandi tempora. Prætereà ne aureum numerum mutare ampliùs necesse foret, ac perpetua potius ratione lunæ exortum indicaret anno 1800. bissextum intermitti mandauit ac singulis deindè trecentis annis. Hæc Gregorius XIII. considerasse mihi videtur, cum incredibili animi magnitudine Kalendarium castigare omnibus partibus aggressus est, atque vt æquinoctij & solstitij quod Pius prætermiserat, ad veteres sedes reuocaret decem dies Octobris initio detraxit anno 1582. quæ ne ampliùs variarent bissextis certis interuallis omissis prudenter cauit. Verùm cum aurei numeri suis locis constare non possint, ita vt Lunæ coniunctiones indicarent, si bissexti toties intermitterentur, ijs amotis maiorem numerum substituit, quem Epactas nominauit, quibus subtili quadam ratione & adæquatione temporum perpetuò lunæ coniunctiones monstrarent. Id etiam considerare necesse fuit in his tabulis, atque ab eo tempore nouas epactas pro veteribus sufficere, ac diem Paschatis nostri ad eam rationem designare, lunæque ætatem numerus cycli solaris post detractos decem dies mutari debuit: ac quoties bissextus omittetur sequentibus annis, ne perpetua ratione currat, quod facere recusauimus exiguo præsertim vsu, monuisse sit satis. Eius Kalendarij calculatores, nisi ego magis fallor, non mihi curasse videntur, ne Pascha cum Iudæis celebrarent, quod inuenias sæpè contingere anno certè 1609. & 1622. & multis alijs. Nimirum celebratur Pascha à 15. Luna vsque ad 21. cum Alexandrinis quibus incommodum non erat id festum cum Iudæis aliquando facere, quod si id vitare animus fuisset, Pascha cum Latinis veteribus à 16. Luna vsque ad 22. agere debuerunt. Aliquando etiam non proxima post Iudæorum Pascha die Dominica, sed alia celebratur Pascha prorsus anno 1724. quo Iudæi Pascha celebrabunt Sabbatho Aprilis 8. die, nostri cum die proximo debere viderentur, non ante 16. Aprilis diem celebrare iubentur. Nam quod alio mense quàm Iudæi Pascha celebrent nostris familiare frequensque est, neque meo iudicio reprehendendum, cum illi vicinores æquinoctio lunas haudquaquam semper ad celebrandum Pascha se-

quan-

A quantur. Verùm nostri instituti non est aliena castigare, id præstabunt maiori diligentia, quorum eæ partes sunt; nos has difficultates indicare satis habuimus: atque in cyclis postremis, tum diem Paschatis, tum lunæ ætatem designauimus, quæ ex Gregoriani Kalendarij ratione colligebantur, tametsi à recta via declinare nobis quidem aliquando videbatur, atque à rationibus a- B strologicis discrepare, quod lector per se facilè considerabit, si cum tabulis astrologicis & rationibus Hebraicis contulerit coniunctiones & oppositiones in Kalendario Gregoriano designatas, quæ indicasse sufficiat: finemque facio, si illud adiecero obseruatum anno 1598. diem Paschæ designari ante plenilunium, quod erat omni ratione vitandum, C nam Ephemerides stadij plenilunium designant Martij die 22. horis insuper 10. nos autem Pascha celebrare iubemur die 22. eiusdem mensis nempè inchoantes fine diei 21. cum Iudæi suum Pascha celebrarunt feria 3. Aprilis die 21. nempè lunam proximam sequentes. Nimi- D rum ne vltra terminum Paschalem Aprilis diem 25. Pascha celebraretur vitatum est, & vt vnum incommodum vitarent in alterum præcipitasse mihi videbantur Gregoriani Kalendarij auctores. Sed quoniam coniunctiones & oppositiones medias Ecclesiastici calculatores sequuntur non veras, vt aliquando ante veram oppositionem aliquanto spatio Pascha incidat necesse est. Sic iuuat hoc loco & similibus factum excusare. Porrò perpetuas tabulas conficere, vnde hæc omnia elicerentur, ardua res est, paucorum ijs vti, singula non magno labore ob oculos ponere commodum fore putabam, & quam nos rationem secuti sumus his octo cyclis Hebraicis, eãdem prioribus ante Christum annis, & consequentibus cyclis tenere nihil prohibet, ex aliquo cyclo priorem aut posteriorem elicere facilè est, cum in easdem ferias initium anni & Paschata recurrant, & in Latino Kalendario, vno fere die anticipentur, aut postponantur, propterea quod annus lunaris Iuliano non respondet omni ex parte, qui experiri volet, rem opinione faciliorem inueniet.

(.·.)



Anni Christi	Litte. Domin.	Aure⁹ Numc.	Epactæ	Cycl. Lunaris	Cyclus Solaris	Indictiones	Initium Anni Hebræorum	Pascha Iudæorum.	Pascha Christian.	Luna	Anni qualitas
Ea prima difficultas est annos A-D rabum cum nostris comparandi. deinde promptũ nõ est Mauricæ computationis initium, primamque originem inuenire, argumento est nulla in re magis auctorum opiniones discrepare, quàm eorum annorum initio designando, quas hoc loco compẽdio colligere, aut omnes, aut plurimas visum est. Quidam salutis E anno quingentesimo nonagesimo secũdo Maurorum computationem inchoant. Ioannes Barrus Lusitanus scriptor, quing. nonagesimo tertio. Ramnusius Auicennæ interpres, & Campanus in cõputo maiori, quin. nonagesimo quarto. Ludouic⁹ Marmor in Africana historia, annũ designat sexcen. tertium decimum. Garibaius Cãtaber sexcen. quartum decimum. Vasæus 617. Isidorus Pacensis, qui proxima ætate post Hispaniæ

excidium scripsit, sexcen. octauum decimum. Hunc sequitur Rodericus Toletanus in historia de Arabibus. Vetusti annales Compostellani & Complutenses, cùm Mahometē vaticinatum aiūt æra sexc. quing. sexta, eodem tendunt. Tum additio ad Biclarensis chronicum cum 7. anno Heraclij Imperatoris cæpisse Mahometem ait. Mercator, Onuphrius, & Genebrardus anno sexcen. vigesimo primo aiunt. Rex Alfonsus, Rodericus Toletanus in Gotthorum historia, anno sexcentesimo vigesimo secundo. Consentiunt Ioannes Lucidus, Didacus Couarruuias in varijs resolutionibus. Præterea Annales Toletani ante trecentos annos conscripti, atq; in archiuis Toletani senatus cum fide seruati, die Iouis Idibus Iulij annos Arabum cœpisse aiunt, æra sexcentesima sexagesima, nempe anno Christi sexcentesimo vigesimo secundo. Finis non sit omnium opiniones recensendi. Palmerius & Alfonsus Burgensis anno 623. inchoant Arabum annos. Sabellicus sexcen. vigesimo sexto. Sic nobilium authorum in re vna opiniones variant. Tantæ varietatis hanc fuisse causam suspicabar. Sua quisque scriptor ætate sciscitabatur à Mauris, ecquotum ipsi eo tempore annum numerarent: deinde inscitia eorum annorum inæqualitatis, comparationisque cum nostris, retro conuersa ratione diuersa principia inueniebant, eo priora, quo à posteriori ipsi tempore rationem subducere cœperant. Sed & Historicis Hispanis, vt septimo Heraclij Imperatoris anno Arabum computationē inchoarent eam ferè extitisse causam arbitrabar quoto anno Arabum oppressa fuerit Hispania à barbara gente, & immani, celebre erat, cunctisq; manifestū. Tertium nempe & nonagesimum Arabum annum ij numerabant, quibus venisse in Hispaniam Mauros erat persuasum, salutis anno septingentesimo vndecimo. Alij annum Arabum nonagesimum sextum adscribebāt, quo anno Rodericus Rex acie superatus, oppressa euersaq; Hispania est. Inde retro conuersa ratione, atque vtrisq; annis exæquatis, quo vitādum illis erat, ad annum Christi sexcentesimum octauum decimum computando peruenerunt, eumque in Arabum computatione primum esse existimantes, viri antiquitate & eruditionis opinione nobiles, quodam ex posterioribus, quibus pro ratione priorū auctoritas erat, in eandem opinionem miserunt.

Anno, quo hæc scribebamus, mil. quing. octog. quarto ipsis Ianuarij Idibus, completo Arabum anno, atq; euoluto nong. nonagesimo primo, annus proximus inchoatus est 992. Ab eo die singulis superiorib. annis lunę exortum obseruauimus magna cura atque studio, inuenimusq; Arabicæ computationis initium, anno Christi sexcen. vigesimo secundo sumendum Idibus Iulij: argumento veritatis, cùm antiquos historicos videamus, (nam posterioribus cura nō fuit hæc subtilius perscrutari) cu hac nostra ratione cōsentire, vbi annum Christi aliquem cum Arabum anno comparant. Consentiunt tabulæ, lapidum inscriptiones, alia monimēta Mauricæ antiquitatis: quibus vtriq; anni adscripti sunt. Porrò mensium annorumq; lunariū principia designamus, non coniunctiones veras secuti, quod astrologi faciūt; neque lunę exortum, cùm oculis apparet: sed mediam coniunctionem, ad medium luminarium motum directam: quam Arabū computatio obseruat, parum discrepantem ab alijs.

De Cyclo Arabum.

CYclus lunaris Arabū annis triginta finitur, in quo numero anni omninò vndecim intercalares sunt, vno die maiores alijs, nimirum anni communes dies habent trecen. quinquaginta quatuor, intercalares dies trec. quinquaginta quinq; Nam

cum

cum annũ Arabes duodecim lunationib. finiant, lunæ cuiq; tribuãt dies 29. horas 12. & ex partib⁹ horæ 1080. partes 793. siue minuta Iudaica, deducta ratiõe tot⁹ annus duodecimq; lunę, dies continet 354. horas octo, minuta Iudaica 864. q̃ minuta si ad Astrologica reducantur, cõtinent pręcise minuta 48. quib. tũ horis, tũ minutis consumẽdis, certis annis ex interuallo adijcitur vn⁹ dies hoc ordine & methodo. Cũ vltra duodecim horas incremẽtũ fuerit, dies vn⁹ adijcitur sic. 2.5.7.10.13.16.18.21.24.26.29. intercalares sunt, reliqui cõmunes. Neq; vltra trigesimũ ꝑcedit, quoniã tot annis horæ illæ, & minuta penit⁹ consumuntur. Cæterùm in eandem feriam antè septem cyclos decursos non recurritur, nimirum annos ducentos decem. Itaq; si primus Arabũ ann⁹ in feriam quintã incidit, quod nos sequimur magnorum virorum auctoritate, anni etiam 211.421.631. initium in eandem feriam quintam incurret, non tamen in eundẽ mensis diem. Cõtumacissimus enim hic annus est, neq; facilè cum nostro anno redit in gratiam. Omninò anni triginta tres Arabum, continent annos nostros triginta duos, dies sex, minuta sex. Ita si annus primus Hegiræ cœpit Iulij mẽsis quintadecima die, annus trigesim⁹ quartus incipiet sexto pòst die, nempè Iulij die vigesima prima. Porrò in annis intercalaribus dies vnus ille adijcitur mẽsi vltimo, qui cum in annis communib⁹ dies contineat viginti nouem, in intercalaribus continet dies triginta. Et initium annorũ triginta, sex primi cycli, à primo Arabum anno sumi debet, & deinceps, ne te lector eius rei ignoratio fallat.

Veterum & recentium testimonia à nostra ratione non discrepantia.

622.

Annales Toletani antè trecentos amplius annos conscripti, de Arabum computatiõne sic habent, paucis mutatis: *Mauricæ computationis initium fuit die Iouis Iulij die quinta decima, quo tempore ab æra, dicta computatio sexcentesimum sexagesimum annum numerabat, anno Christi sexcentesi. vigesimo secundo.* Porrò à Mahometis peregrinatione initium sumitur, postquam vaticinium confinxit, decessit decimo pòst anno, ætatis sexagesimo tertio.

Rex Alfonsus in præfatione legum, quas partitas dixit, anno salutis mil. ducen. quinquagesimo secundo Kalendis Iunij, quo die pridie defuncto patre regnare ipse cœpit, annos Arabum Romanos, (hoc est) nostris æquales, numerat sexcent. viginti nouem, dies præterea trecentos & vnum. Nimirum subducta ratione annos Arabum inchoauit, anno Christi sexcen. vigesimo secundo, sed nonis Augusti, falsus proculdubio, nisi numeri sunt vitiati: nam eo die Lunæ cõiunctio cum Sole non fuit.

Iosephus Scaliger lib. VII. de emẽdat. temporum, Hebraici computi compẽdium affert, in eo ab exordio mundi ad æram Ismaëlitarum, anni numerãtur 4382. ex quibus si demas annos 3760. quos Iudæi numerant ab initio mundi vsque ad Christum, relinquentur anni sexcenti viginti duo.

Idem Scaliger libro secundo de emendat. temporum, contendit annum Hegiræ primum incepisse Iulij mensis die sexta decima, feria sexta, de anno non discrepat. Fatetur tamen Alfonsinas tabulas & Albategnij vnum diem demere, quod nos eorũ auctoritate sequimur: tametsi ratio Scaligeri magis cõuenire videtur cum initijs annorum, quę Mauri hac tempestate quidem sequuntur, Si cui id magis placuerit, ad nostram rationem omnibus annis diem vnũ adijciat, neque alia mutatione opus erit..

681

Isidorus Pacensis Episcopus chronicō ante 800. annos scripsit. Is multorum opinionem secutus, annos Arabum numerare incipiens ab anno 618. nimirum Heraclij imperij 7. primis Arabum annis numerandis aberrat. Idem nescio quo modo viciniores ætati suæ annos recta ratione computat, ab æra 718. qua annum Arabum 62. incidere ait, mirabili constantia rectæ supputationis vsq; ad chronici finem. Ita annum Christi septing. vndecimum, fuisse ait Arabum nonagesimum secundum; sed paulò pòst ait, annum Christi septing. duodecimum fuisse Arabum nonagesimum quartum, deindè ad finem chronici, annum Christi septingentesimum quinquagesimum, ait fuisse Arabum annum centesimum trigesimum tertium.

714.

Rodericus in historia Gotthorū, victum Rodericum regem affirmat, æra septing. quinquagesima secunda, hoc est, anno Christi 714. quinto idus mensis Rauel, die Dominico. Quidā eū mēsem, Septembrē interpretantur, falsò tamē, cū mensis Rauel eo anno cœperit Iunij die septimo decimo. Quid autem cōmercij habeant cum Arabum mensibus Idus? quin eo anno dies Dominicus quarto Idus Iunias fuit, tum octauo Idus Iulias.

725.

Rodericus ait, Iscamum Miramamolinum in Africa imperare cepisse anno Arabum centesimo septimo. Ex alijs historijs ꝑspicitur, cum esse annum Christi septing. vigesimum quintum.

736.

Historia generalis Alfonsi Regis, cognomento Sapientis 3. p. ca. 4. annum Christi septin. trigesimum sextum, Arabum fuisse ait cent. octauū decimū. Quæ nescio quo modo hoc loco verum sequuta, cæteris omnib⁹ aberrat: planeque hallucinatur eius auctor, in eundem, cum plerisque alijs, errorem prolapsus.

764.

Rasis Arabs, Hispanicæ historiæ scriptor satis antiquus, quippè anno Arabū trecentesimo trigesimo sexto scribere se ait, (hoc est) anno Christi nong. septuagesimo sexto, si vera est nostra computatio. Is annū Christi 764, ait esse Arabum 138. puto legendum 148. & pleraque in hoc Auctore iniuria temporis sunt vitiata, vix vt intelligi possint.

852.

Abderramanus, eo nomine secūdus Cordubæ Rex, defunctus est anno Chrristi 852. vt certa ratione colligitur ex Eulogij Martyris Cordubensis memoriali Sanctorum, lib. II. c. XVI. & Aluaro in ipsius Eulogij vita; is annus Roderico Toletano, in historia de Arabibus, fuit Arabum ducentesimus trigesimus octauus.

854.

Aluarus in indiculo luminoso l. I. annos Arabum cum nostris comparās, ait: *Siquidē in hoc incarnationis Dominicæ anno octingentesimo quinquagesimo quarto, & æra quæ currit Cæsaris octingentesima nonagesima secunda, anni Arabum lunares computantur ducenti quadraginta.* Hactenus quidē rectè, quòd vero subijcit (*solares eorū anni ducēti viginti nouem; ex qua summa superant solares vndecim annis*) in eo error est, ac legi potiùs debet, *Solares eorū anni ducēti triginta duo. Ex qua summa superant solares octo anni.*

883.

Alueldēse Chronicon anno Christi 883. numerat Arabum annos ducētos septuaginta. Fuit id Chronicō scriptum ante septingentos circiter annos, eoq; præcipua auctoritate inter Hispanicæ monimēta vetustatis, quod verò additur, cum annum post captam Hispaniam fuisse 169. ponendum puto, centesimum quinquagesimum nonum.

976.

Rasis Arabs librum suum scripsit Dalharab Miramamolino, qui regnare

gnare cœpit anno Arabum 366. Resendius epistola ad Queuedium ait, fuisse eum annum Christi 990. errore ductus cum multis alijs. Tu dic, fuisse nongent. nonagesimum sextum,

1085.

Rodericus in historia de Arabibus, Toletum captam fuisse à Christianis ait, anno Arabum 477. Plerique sentiunt cũ historia de Petri, Castellæ Regis, rebus. anno secundo, id contigisse, anno Christi 1085. mensis Maij die vigesima quinta.

1135.

Auerrois, Aristotelis explanator 2. lib. de cælo, text. 111. scribere se ait, anno Hegiræ quingentesimo trigesimo, hoc est, anno Christi 1135. quo tempore eum vixisse ex alijs historijs constat.

1160.

Ioseph Scaliger l. 2. de emendat. temporum, de cyclo Hagarenorum, annum Arabum 555. inchoat anno Christi 1160. Ianuarij die duodecimo. Nos diem vndecimum apponimus in anno & mense cõsentientes.

1259.

Toleti, eo ponte cui Alcãtaræ nomen est, inscriptio celebris extat lingua Hispanorum vulgari, in lapide incisa, quam hoc loco verbis Latinis subijciẽdam duximus, detractis tantùm quibusdam Maurorum nominibus proprijs: *Anno Christi 1258. magnum aquarum diluuium fuit, ante mensem Augustum cœpit, desinit die Iouis, vigesima sexta Decembris. Inflati fluuij insigni damno terras inũdarunt, ac præsertim in Hispania plerique pontes euersi: inter alios magna huius pontis pars, quem Alafus, Mahomadis Alamerij filius, Toleti præfectus, nomine Almansoris Haboamiri Mahomadis cõstruxerat, opere absoluto, anno Arabum 337. Postmodum Alfonsus, Ferdinandi Regis & Beatricis filius, Castellæ, Toleti, Legionis, Calecia, Hispalis, Corduba, Murcia, Giennij, Biatia, Pacis Augustæ, Algarbij Rex, instaurandum, reficiendumq́. curauit. Absolutum est opus octauo regni anno, Christi 1259.* quo anno æra Cæsaris erat 1297. Alexandri 1660. Moysis 2651. Maurorum 657.

1346.

Granatæ supra arcis Alhambræ portam, inscriptio legitur Arabicis litteris, in leui marmore: qua illud opus significatur perfectum fuisse ab Abulhagiro Rege, mensis Maulud die vigesimo septimo, anno Arabum septing. quadragesimo septimo. Errat in Africana historia, qui eum annum Christi esse ait, 1338.

1382.

A Ioanne, primo Castellæ Rege, ad AEgypti Sulthanum legati, Leonis Armeniæ Regis liberandi causa, voti compotes ipsi Armeno comites, à Sulthano ad suum Regem litteras attulerunt, salutis anno 1383. vti in historia de rebus ab ipso Ioanne Rege gestis continetur, datas anno Arabum 784. mensis Rageb die 21. quem diem historicus incidere ait, in 29. Septembris. quæ omnia mirificè & præcisè in annum 1382. conueniunt, quo anno necesse est eas literas fuisse in AEgypto scriptas.

1397.

Henrici eo nomine tertij, Castellæ Regis, historiæ additiones nonnullæ, incerto auctore, adijciuntur ad calcem. In ijs additionibus annorum Arabum computatio, & comparatio eorum cũ annis ab ortu Christi, huic nostræ exactè respondet. Itaque annum Christi 1397. Arabum fuisse ait, 799. quam rationem sequitur annis consequentibus, vsque ad initium anni 1407. quod ait incidere in annum Arabum octingentesimum nonum.

1446.

Iosephus Scaliger libr. 3. de emendat. temp. anno Christi 1446. ponit, inchoare annum Hegiræ 850. die vigesima nona Martij, feria tertia, cyclo solis vigesimo septimo.

1514.

1514.

Ioannes Leo in descriptione Africæ p. 2. anno Arabum 923. numerat annum Christi 1514. nescio quo errore lapsus, tum hoc loco, tum plerisque alijs, vbicumque annos Arabum cum nostris comparat, vir alioqui diligens & attentus, eximiaque cognitione rerum Mauricarũ, quib. à prima ætate imbutus fuit: nam maior natu ad nostra sacra trãsijt, Maurica superstitione abiurata.

1540.

Ioannes Campanus in computo maiori affirmat, annum Christi mil. quing. quadragesimum, fuisse Arabum annum nong. quadragesimum septimum.

1547.

Solimanus Turca anno 1547. scripsit ad Ferdinandum Romanorum Regem, de inducijs in quinquenniũ sancitis, quæ literæ adscriptum habebant Mahumetis annum 954. Michaël Beuterus in Ephemeride ad nonum Kalen. Maij. Tu vide, an hęc ratio cum nostris tabulis consentiat.

1566.

Solimanus idem Turcarum Imperator, castris ad Segetum Hungariæ arcem positis, ex morbo obijt anno salutis 1566. die vigesimo secũdo Septembris. Is annus in Selimi successoris literis ad Epidaurios, quę extant apud Natalem Comitem lib. 16. suarum historiarum, Mahometis esse dicitur 974. Quo loco Natalis eius computationis Turcicæ initium facit, anno Christi 592. Eodem ductus cum multis errore, vtrosq; annos exæquauit.

1582.

Anno Christi 1582. decem dies Octobis sunt detracti, iussu Gregorij XIII. Pontificis Maximi, solstitijs & æquinoctijs ad veteres sedes, vnde defluxerant, reuocandis, ea causa duo Arabum anni 990. & 991. idem initium habent, Ianuarij diem 24. Ioseph Scaliger libr. 2. de emendat. temp. agens de cyclo Hagarenorum, anno Christi 1582. ait cœpisse annum Hegiræ 990. Ianuarij die vigesimò quinto. Nos detraximus vnum diem.

1585.

Campsinus Iudæus Tremesenio, ab amico de ratione Arabica annorum rogatus, respondit, Kalendas Ianuarij anno salutis 1585. qui dies Veneris fuit, incidisse in diem nonum mensis Maharam, anni Arabum nong. nonagesimi quarti. quæ mirificè conueniunt cum nostra ratione, additis tantùm decem diebus, quos Gregorius Pontifex dempsit. Africa ex veteri instituto numerare pergit.

1588.

Dux Maurus, Profugus ex Africa, cum Talauerę regijs sumptibus vitam sustentaret in Carpetanis, rogatus idibus Martij, salutis anno 1588. ecquotum annum Mauri numerarent: annos esse decursos respondit 995. menses tres, dies septem decem, nimirum annum 996. inchoauerant ipsi die trigesimo Nouembris, anni milesimi quingentesimi octogesimi septimi. Quod & nos in tabulis posuimus.

(.·.)

AEra Cæsaris	Anni Chrif.		Anni Arabū	AEra Cæsaris	Anni Christi		Anni Arabum
660	622	15. Iulij feri. 5.	1		651	23. Augusti	31
	623	4. Iulij	2	690	652	11. Augusti	32
	624	23. Iunij	3		653	1. August.	33
	625	12. Iunij	4		654	21. Iulij	34
	626	1. Iunij	5		655	10. Iulij	35
	627	22. Maij	6		656	29. Iunij	36
	628	10. Maij	7		657	18. Iunij	37
	629	30. Aprilis	8		658	8. Iunij	38
	630	19. Aprilis	9		659	28. Maij	39
	631	8. Aprilis	10		660	16. Maij	40
670	632	28. Martij	11		661	6. Maij	41
	633	17. Martij	12	780	662	25. Aprilis	42
	634	6. Martij	13		663	14. Aprilis	43
	635	24. Februarij	14		664	3. Aprilis	44
	636	13. Februarij	15		665	23. Martij	45
	637	1. Februarij	16		666	12. Martij	46
	638	22. Ianuarij	17		667	2. Martij	47
	639	11. Ianuarij	18		668	19. Februarij	48
	639	1. Ianuarij	19		669	8. Februarij	49
	640	20. Decembr.	20		670	28. Ianuarij	50
	641	9. Decemb.	21		671	17. Ianuarij	51
680	642	29. Nouemb.	22	710	672	7. Ianuarij	52
	643	18. Nouemb.	23		672	26. Decembr.	53
	644	6. Nouemb.	24		673	15. Decemb.	54
	645	27. Octobr.	25		674	5. Decemb.	55
	646	16. Octob.	26		675	24. Nouēbr.	56
	647	6. Octob.	27		676	13. Nouemb.	57
	648	24. Septemb.	28		677	2. Nouembr.	58
	649	13. Septemb.	29		678	22. Octobris	59
	650	3. Septemb.	30		679	12. Octobr.	60

AEra Cæsaris	Anni Chrif.		Anni Arabū	AEra Cæsaris	Anni Chrifti		Anni Arabum
	680	30.Septembr.	61		709	8.Nouemb.	91
	681	19.Septembr.	62		710	28.Octobris	92
720	682	9.Septemb.	63		711	18.Octobr.	93
	683	29.Augusti	64	750	712	6.Octobr.	94
	684	17.August.	65		713	25.Septemb.	95
	685	7.August.	66		714	15.Septemb.	9[illegible]
	686	27.Iulij	67		715	4.Septemb.	97
	687	17.Iulij	68		716	24.Augusti	98
	688	5.Iulij	69		718	13.Augusti	99
	689	24.Iunij	70		719	2.August.	100
	690	14.Iunij	71		720	23.Iulij	101
	691	3.Iunij	72		721	11.Iulij	102
730	692	22.Maij	73	760	722	30.Iunij	103
	693	12.Maij	74		723	20.Iunij	104
	694	1.Maij	75		724	9.Iunij	105
	695	20.Aprilis	76		725	28.Maij	106
	696	9.Aprilis	77		726	18.Maij	107
	697	29.Martij	78		727	7.Maij	108
	698	19.Martij	79		728	27.Aprilis	109
	699	8.Martij	80		729	15.Aprilis	110
	700	25.Februarij	81		730	4.Aprilis	111
	701	14.Februarij	82		731	25.Martij	112
740	702	3.Februarij	83	770	732	14.Martij	113
	703	23.Ianuarij	84		733	2.Martij	114
	704	13.Ianuarij	85		734	20.Februarij	115
	704	1.Ianuarij	86		735	9.Februarij	116
	705	22.Decembr.	87		736	30.Ianuarij	117
	706	11.Decemb.	88		737	19.Ianuarij	118
	707	30.Nouemb.	89		738	7.Ianuarij	119
	708	19.Nouemb.	00		739	28.Decembr.	120

AEra Cæsaris	Anni Chrif.		Anni Arabū	AEra Cæsaris	Anni Christi		Anni Arabum
	738	17.Decemb.	121		768	25.Ianuarij	151
	739	5.Decemb.	122		769	13.Ianuarij	152
	740	25. Nouemb.	123		770	3.Ianuarij	153
	741	14. Nouemb.	124		770	23. Decembr.	154
780	642	3.Nouemb.	125		771	12.Decemb.	155
	743	24.Octob.	126	810	772	1.Decemb.	156
	744	12.Octobr.	127		773	20.Nouemb.	157
	745	2.Octobr.	128		774	10.Nouemb.	158
	746	21.Septemb.	129		775	30.Octobr.	159
	747	10.Septembr.	130		776	18. Octobris	160
	748	30.Augusti	131		777	8.Octob.	161
	749	19.August	132		778	27. Septemb.	162
	750	8.August.	133		779	16.Septembr.	163
	751	29.Iulij	134		780	5.Septembr.	164
790	752	17.Iulij	135		781	25. Augusti	165
	753	6.Iulij	136	820	782	14.August.	166
	754	26.Iunij	137		783	4.Augusti	167
	755	15.Iunij	138		784	23.Iulij	168
	756	4.Iunij	139		785	13.Iulij	169
	757	24.Maij	140		786	2.Iulij	170
	758	13.Maij	141		787	21.Iunij	171
	759	3.Maij	142		788	10.Iunij	172
	760	21.Aprilis	143		789	30.Maij	173
	761	10.Aprilis	144		790	19.Maij	174
800	762	31.Martij	145		791	9.Maij	175
	763	20.Marti	146	830	792	27.April.	176
	764	9.Martij	147		793	17.April.	177
	765	26.Februarij	148		794	6.April.	178
	766	15. Februarij	149		795	26.Martij	179
	767	5.Februarij	150		796	15.Martij	180

AEra Cæſaris	Anni Chriſ.		Anni Arabũ	AEra Cæſaris	Anni Chriſti		Anni Arabum
	797	4.Martij	181		826	12.April.	211
	798	21.Februarij	182		827	1.April.	212
	799	11.Februarij	183		828	21.Martij	213
	800	31.Ianuarij	184		829	10.Martij	214
	801	19.Ianuarij	185		830	27.Februarij	215
	802	9.Ianuarij	186		831	17.Februarij	216
840	802	29.Decemb.	187	870	832	6.Februarij	217
	803	19.Decemb.	188		833	26.Ianuarij	218
	804	7.Decemb.	189		834	15.Ianuarij	219
	805	26.Nouemb.	190		835	4.Ianuarij	220
	806	16.Nouemb.	191		835	25.Decembr.	221
	807	5.Nouemb.	192		836	13.Decemb.	222
	808	24.Octob.	193		837	2.Decemb.	223
	809	14.Octobr.	194		838	22.Nouemb.	224
	810	3.Octobr.	195		839	11.Nouemb.	225
	811	22.Septemb.	196		840	30.Octobr.	226
850	812	11.Septembr.	197		841	20.Octobris	227
	813	31.Auguſti	198	880	842	9.Octob.	228
	814	21.Auguſt.	199		843	29.Septemb.	229
	815	10.Auguſt.	200		844	17.Septembr.	230
	816	29.Iulij	201		845	6.Septembr.	231
	817	19.Iulij	202		846	27.Auguſti	232
	818	8.Iulij	203		847	16.Auguſt.	233
	819	27.Iunij	204		848	4.Auguſti	234
	820	16.Iunij	205		849	25.Iulij	235
	821	6.Iunij	206		850	14.Iulij	236
860	822	26.Maij	207		851	4.Iulij	237
	823	15.Maij	208	890	852	22.Iunij	238
	824	3.Maij	209		853	11.Iunij	239
	825	23.Aprilis	210		854	1.Iunij	240

AEra Cæsaris	Anni Chrif.		Anni Arabū	AEra Cæsaris	Anni Christi		Anni Arabum
	855	21.Maij	241		884	28.Iunij	271
	856	9.Maij	242		885	17.Iunij	272
	857	29.Aprilis	243		886	7.Iunij	273
	858	18.April.	244		887	27.Maij	274
	859	7.Aprtl.	245		888	15.Maij	275
	860	27.Martij	246		889	5.Maij	276
	861	16.Martij	247		890	24.Aprilis	277
900	862	6.Martii	248		891	14.April.	278
	863	23.Februarij	249	930	892	2.April.	279
	864	12. Februarij	250		893	22.Martij	280
	865	1.Februarij	251		894	12.Martij	281
	866	21.Ianuarij	252		895	1.Martij	282
	867	10.Ianuarij	253		896	18.Februarij	283
	867	31.Decemb.	254		897	7.Februarij	284
	868	19.Decemb.	255		898	27.Ianuarij	285
	869	8.Decemb.	256		899	16.Ianuarij	286
	870	28. Nouemb.	257		900	6.Ianuarij	287
	871	17. Nouemb.	258		900	25. Decembr.	288
910	872	6.Nouemb.	259		901	15.Decemb.	289
	873	26.Octobr.	260	940	902	4.Decemb.	290
	874	15.Octobr.	261		903	23. Nouemb.	291
	875	5.Octobr.	262		904	12. Nouemb.	292
	876	23.Septemb.	263		905	1.Nouemb.	293
	877	12.Septembr.	264		906	21.Octobr.	294
	878	2.Septemb.	265		907	11.Octobris	295
	879	22.Augusti	266		908	29. Septemb.	296
	880	11.August.	267		906	19.Septembr.	297
	881	31.Iulij	268		910	8. Septembr.	298
920	882	20.Iulij	269		911	23.August.	299
	883	10.Iulij	270	950	912	17. Augusti	300

AEra Cæsaris	Anni Christ.		Anni Arabū	AEra Cæsaris	Anni Christi		Anni Arabum
	913	6.Augusti	301	980	942	14. Septemb.	331
	914	25.Iulij	802		943	3. Septembr.	332
	915	16.Iulij	303		944	23.August.	333
	916	4.Iulij	304		945	12. Augusti	334
	917	23.Iunij	305		946	1.Augusti	335
	918	13.Iunij	306		947	22.Iulij	336
	919	2.Iunij	307		948	10.Iulij	337
	920	22.Maij	308		949	30.Iunij	338
	921	11.Maij	309		950	19.Iunij	339
960	922	30.Aprilis	310		951	8.Iunij	340
	923	20.April.	311	990	952	28.Maij	341
	924	8.April.	312		953	17.Maij	342
	925	28.Martij	313		954	6.Maij	343
	926	18.Martij	314		955	26.Aprilis	344
	927	7.Martii	315		956	14.April.	345
	928	24. Februarij	316		957	3.April.	346
	929	13. Februarij	317		958	24.Martij	347
	930	2.Februarij	318		959	13.Martij	348
	931	23.Ianuarij	319		960	2.Martij	349
970	932	12.Ianuarij	320		961	19.Februarij	350
	932	31.Decemb.	321	1000	962	8.Februarij	351
	933	21.Decemb.	822		963	29 Ianuarij	352
	934	10.Decemb.	323		964	18.Ianuarij	353
	935	29.Nouemb.	324		965	6.Ianuarij	354
	936	18. Nouemb.	325		965	27.Decembr.	355
	937	7.Nouemb.	326		966	16.Decemb.	356
	938	28.Octobr.	327		967	6.Decemb.	357
	939	17.Octobr.	328		968	24.Nouemb.	358
	940	5.Octobr.	329		969	13. Nouemb.	359
	941	25.Septemb.	330		970	3.Nouemb.	360

AEra Cæsaris	Anni Chrif.		Anni Arabū	AEra Cæsaris	Anni Christi		Anni Arabum
	971	23.Octobr.	361		1000	30. Nouemb.	391
1010	972	11.Octobr.	362		1001	19. Nouemb.	392
	973	1.Octobr.	363	1040	1002	9.Nouemb.	393
	974	20. Septemb.	364		1003	29.Octob.	394
	975	9.Septemb.	365		1004	17.Octobr.	395
	976	29.August.	366		1005	7.Octobris	396
	977	18.August.	367		1006	26. Septemb.	397
	978	8.Augusti	368		1007	16. Septemb.	398
	979	28.Iulij	369		1008	4.Septembr.	399
	980	16.Iulij	370		1009	24.August.	400
	981	6.Iulij	371		1010	14.Augusti	401
1020	982	25.Iunij	372		1011	3.Augusti	402
	983	14.Iunij	373	1050	1012	22.Iulij	403
	984	3.Iunij	374		1013	12.Iulij	404
	985	23.Maij	375		1014	1.Iulij	405
	986	12.Maij	376		1715	20.Iunij	406
	987	2.Maij	377		1016	9.Iunij	407
	988	20.Aprilis	378		1017	29.Maij	408
	989	10.April.	379		1018	19.Maij	409
	990	30.Martij	380		1019	8.Maij	410
	991	19.Martij	381		1020	26.Aprilis	411
1030	992	8.Martii	382		1021	16.April.	412
	993	25.Februarij	383	1060	1022	5.April.	413
	994	14.Februarij	384		1023	25.Martij	414
	995	4.Februarij	385		1024	14.Martij	415
	996	24.Ianuarij	386		1025	3.Martij	416
	997	13.Ianuarij	387		1026	21.Februarij	417
	998	2.Ianuarij	388		1027	10.Februarij	418
	998	22.Decemb.	389		1028	30.Ianuarij	419
	999	12.Decemb.	390		1029	19.Ianuarij	420

AEra Cæſaris	Anni Chriſt.		Anni Arabũ	AEra Cæſaris	Anni Chriſti		Anni Arabum
	1030	8.Ianuarij	421		1059	16.Februarij	451
	1030	28.Decemb.	422		1060	5.Februarij	452
	1031	18.Decemb.	423		1061	25.Ianuarij	453
1070	1032	6.Decembr.	424	1100	1062	14.Ianuarij	454
	1033	25. Nouemb.	425		1063	3.Ianuarij	455
	1034	15.Nouemb.	426		1063	24. Decemb.	456
	1035	4.Nouemb.	427		1064	12. Decembr.	457
	1036	24.Octobr.	428		1065	2.Decemb.	458
	1037	13.Octobr.	429		1066	21. Nouemb.	459
	1038	2.Octobr.	430		1067	10. Nouemb.	460
	1039	22. Septemb.	431		1068	30.Octob.	461
	1040	10. Septemb.	432		1069	19.Octobr.	462
	1041	30.Auguſt.	433		1070	8.Octobris	463
1080	1042	20.Auguſt.	434		1071	28. Septemb.	464
	1043	9.Auguſti	435	1110	1072	16. Septemb.	465
	1044	28.Iulij	436		1073	5.Septembr.	466
	1045	18.Iulij	437		1074	26.Auguſt.	467
	1046	7.Iulij	438		1075	15.Auguſti	468
	1047	27.Iunij	439		1076	4.Auguſti	469
	1048	15.Iunij	440		1077	24.Iulij	470
	1049	4.Iunij	441		1078	13.Iulij	471
	1050	25.Maij	442		1079	3.Iulij	472
1090	1051	14.Maij	443		1080	21.Iunij	473
	1052	2.Maij	444		1081	10.Iunij	474
	1053	22. Aprilis	445	1120	1082	31.Maij	475
	1054	11.April.	446		1083	20.Maij	476
	1055	1.April.	447		1084	9.Maij	477
	1056	20.Martij	448		1085	28.Aprilis	478
	1057	9.Martii	449		1086	17.April.	479
	1058	27.Ianuarij	450		1087	7.April.	480

AEra Cæsaris	Anni Christi		Anni Arabum	AEra Cæsaris	Anni Christi		Anni Arabum
	1088	26. Martij	481		1117	4. Maij	511
	1089	15. Martij	482		1118	23. Aprilis	512
	1090	5. Martij	483		1119	13. April.	513
	1091	22. Februar.	484		1120	1. April.	514
1130	1092	11. Februar.	485		1121	21. Martij	515
	1093	31. Ianuar.	486	1160	1122	11. Martij	516
	1094	20. Ianuar.	487		1123	28. Februar.	517
	1095	10. Ianuarij	488		1124	18. Februar.	518
	1095	30. Decemb.	489		1125	6. Februar.	519
	1096	18. Decemb.	490		1126	26. Ianuar.	520
	1097	8. Decemb.	491		1127	16. Ianuar.	521
	1098	27. Nouem.	492		1128	5. Ianuarij	522
	1099	16. Nouem.	493		1128	24. Decemb.	523
	1100	5. Nouemb.	494		1129	14. Decemb.	524
	1101	25. Octob.	495		1130	3. Decemb.	325
40	1102	14. Octob.	496		1131	22. Nouem.	526
	1103	4. Octob.	497	1170	1132	11. Nouem.	527
	1104	22. Septem.	498		1133	31. Octob.	528
	1105	12. Septemb.	499		1134	21. Octob.	529
	1106	1. Septemb.	500		1135	10. Octob.	530
	1107	21. Augusti	501		1136	28. Septemb.	531
	1108	10. Augusti	502		1137	18. Septemb.	532
	1109	30. Iulij	503		1138	7. Septemb.	533
	1110	19. Iulij	504		1139	27. Augusti	534
	1111	9. Iulij	505		1140	16. Augusti	535
1150	1112	27. Iunij	506		1141	5. Augusti	536
	1113	17. Iunij	507	1180	1142	26. Iulij	537
	1114	6. Iunij	508		1143	15. Iulij	538
	1115	26. Maij	509		1144	3. Iulij	539
	1116	15. Maij	510		1145	23. Iunij	540

AEra Cæſaris	Anni Chriſti		Anni Arabum	AEra Cæſaris	Anni Chriſti		Anni Arabum
	1146	12.Iunij	541		1175	21.Iulij	571
	1147	1.Iunij	542		1176	9.Iulij	572
	1148	21.Maij	543		1177	29.Iunij	573
	1149	10.Maij	544		1178	18.Iunij	574
	1150	29.Aprilis	545		1179	7.Iunij	575
	1151	19.Aprilis	546		1180	27.Maij	576
1190	1152	7.Aprilis	547		1181	16.Maij	577
	1153	28.Martij	548	1220	1182	6.Maij	578
	1154	17.Martij	549		1183	25.Aprilis	579
	1155	6.Martij	550		1184	13.April.	580
	1156	24. Februar.	551		1185	3. April.	581
	1157	12. Februar.	552		1186	23.Martij	582
	1158	1.Februar.	553		1187	12.Martij	583
	1159	22.Ianuar.	554		1188	1. Martij	584
	1160	11.Ianuar.	555		1189	18.Februar.	385
	1160	30.Decemb.	556		1190	7. Februar.	586
	1161	20.Decemb.	557		1191	28.Ianuar.	587
1200	1162	9. Decemb.	558	1230	1192	17.Ianuar.	588
	1163	29. Nouem.	559		1193	6. Ianuarij	589
	1164	17. Nouem.	560		1193	26.Decemb.	590
	1165	6. Nouemb.	561		1194	15. Decemb.	591
	1166	27.Octob.	562		1195	5. Decemb.	592
	1167	16.Octob.	563		1196	23. Nouem.	593
	1168	4.Octob.	564		1197	12. Nouem.	594
	1169	24. Septem.	565		1198	2. Nouemb.	595
	1170	13.Septemb.	566		1199	22. Octob.	596
	1171	3.Septemb.	567		1200	11. Octob.	597
1210	1172	22.Auguſti	568		1201	30.Septemb.	598
	1173	11. Auguſti	569	1240	1202	19.Septemb.	599
	1174	1.Auguſti	570		1203	9. Septemb.	600

AEra Cæſaris	Anni Chriſti		Anni Arabum	AEra Cæſaris	Anni Chriſti		Anni Arabum
	1204	28. Auguſti	601		1233	6.Octob.	631
	1205	17. Auguſti	602		1234	25.Septemb.	632
	1206	7. Auguſti	603		1235	15. Septemb.	633
	1207	27.Iulij	604		1236	3.Septemb.	634
	1208	15.Iulij	605		1237	23.Auguſti	635
	1209	5.Iulij	606		1238	13.Auguſti	636
	1210	24.Iunij	607		1239	2.Auguſti	637
	1211	14.Iunij	608		1240	22.Iulij	638
1250	1212	2.Iunij	609		1241	11.Iulij	639
	1213	22.Maij	610	1280	1242	30.Iunij	640
	1214	12. Maij	611		1243	20.Iunij	641
	1215	1.Mai	612		1244	8.Iunij	642
	1216	19. Aprilis	613		1245	28.Maij	643
	1217	9.Aprilis	614		1246	18.Maij	644
	1218	29. Martij	615		1247	7.Maij	645
	1219	18.Martij	616		1248	25. Aprilis	646
	1220	7. Martij	617		1249	15. April.	647
	1221	24.Februarij	618		1250	4. April.	648
1260	1222	14. Februar.	619		1251	25.Martij	649
	1223	3.Februar.	620	1290	1252	13.Martij	650
	1224	23.Ianuar.	621		1253	2.Mar.	651
	1225	12.Ianuar.	622		1254	20. Februar.	652
	1225	1.Ianuar.	623		1255	9. Februar.	653
	1226	21. Decemb.	624		1256	29. Ianuar.	654
	1227	11. Decemb.	625		1257	18.Ianuar.	655
	1228	29. Nouem.	626		1258	7. Ianuarij	656
	1229	19. Nouemb.	627		1258	28.Decemb.	657
	1230	8. Nouemb.	628		1259	17. Decemb.	658
	1231	28. Octob.	629		1260	5. Decemb.	659
1270	1232	17. Octob.	630		1261	25. Nouem.	660

AEra Cæſaris	Anni Chriſti		Anni Arabum	AEra Cæſaris	Anni Chriſti		Anni Arabum
1300	1262	14. Nouem.	661		1291	23. Decemb.	691
	1263	3. Nouemb.	662	1330	1292	11. Decemb.	692
	1264	23. Octob.	663		1293	1. Decemb.	693
	1265	12. Octob.	664		1294	20. Nouem.	694
	1266	1. Octob.	665		1295	9. Nouemb.	695
	1267	21. Septemb.	666		1296	29. Octob.	696
	1268	9. Septemb.	667		1297	18. Octob.	697
	1269	30. Auguſti	668		1298	8. Octob.	668
	1270	19. Auguſti	669		1299	27. Septemb.	699
	1271	8. Auguſti	670		1300	15. Septemb.	700
1310	1272	28. Iulij	671		1301	5. Septemb.	701
	1273	17. Iulij	672	1340	1302	25. Auguſti	702
	1274	6. Iulij	673		1303	14. Auguſti	703
	1275	26. Iunij	674		1304	3. Auguſti	704
	1276	14. Iunij	675		1305	23. Iulij	705
	1277	3. Iunij	676		1306	12. Iulij	706
	1278	24. Maij	677		1307	2. Iulij	707
	1279	13. Maij	678		1308	20. Iunij	703
	1280	2. Mai	679		1309	10. Iunij	709
	1281	21. Aprilis	680		1310	30. Maij	710
1320	1282	10. Aprilis	681		1311	9. Maij	711
	1283	31. Martij	682	1350	1312	8. Maij	712
	1284	19. Martij	683		1313	27. Aprilis	713
	1285	8. Martij	684		1314	16. April.	714
	1286	26. Februarij	685		1315	6. April.	715
	1287	15. Februar.	686		1316	25. Martij	716
	1288	4. Februar.	687		1317	15. Martij	717
	1289	24. Ianuar.	688		1318	4. Mar.	718
	1290	13. Ianuar.	689		1319	21. Februar.	719
	1291	3. Ianuarij	690		1320	10. Februar.	720

AEra Cæsaris	Anni Christi		Anni Arabum	AEra Cæsaris	Anni Christi		Anni Arabum
	1321	30.Ianuar.	721		1350	10.Martij	751
1360	1322	19.Ianuar.	722		1351	27.Februar.	752
	1323	9.Ianuari.	723	1390	1352	17.Februar.	753
	1324	29.Decemb.	724		1353	5.Februar.	754
	1325	17.Decemb.	725		1354	25.Ianuar.	755
	1326	7.Decemb.	726		1355	15.Ianuar.	756
	1327	26.Nouem.	727		1356	4.Ianuar.	757
	1328	16.Nouem.	728		1356	24.Decemb.	758
	1329	4.Nouemb.	729		1357	13.Decemb.	759
	1330	24.Octob.	730		1358	2.Decemb.	760
	1331	14.Octob.	731		1359	22.Nouem.	761
1370	1332	3.Octob.	732		1360	10.Nouemb.	762
	1333	21.Septemb.	733		1361	30.Octob.	763
	1334	11.Septemb.	734	1400	1362	20.Octob.	774
	1335	31.Augusti	735		1363	9.Octob.	765
	1336	20.Augusti	736		1564	27.Septemb.	766
	1337	9.Augusti	737		1365	17.Septemb.	767
	1338	29.Iulij	738		1366	6.Septemb.	768
	1339	19.Iulij	739		1367	27.Augusti	769
	1340	8.Iulij	740		1368	15.Augusti	770
	1341	26.Iunij	741		1369	4.Augusti	771
1380	1342	16.Iunij	742		1370	25.Iulij	772
	1343	5.Iunij	743		1371	14.Iulij	773
	1344	25.Maij	744	1410	1372	2.Iulij	774
	1345	14.Maij	745		1373	22.Iunij	775
	1346	3.Maij	74[illegible]		1374	11.Iunij	776
	1347	23.Aprilis	747		1375	1.Iunij	777
	1348	12.Aprilis	748		1376	20.Maij	778
	1349	31.Martij	749		1377	9.Maij	779
	1350	21.Martij	750		1378	29.Aprilis	780

AEra Cæſaris	Anni Chriſti		Anni Arabum	AEra Cæſaris	Anni Chriſti		Anni Arabum
	1379	18. Aprilis	781		1408	26. Maij	811
	1380	5. Aprilis	782		1409	15. Maij	812
	1381	27. Martij	783		1410	5. Maij	813
1420	1382	16. Martij	784		1411	24. Aprilis	814
	1383	5. Martij	785	1450	1412	12. Aprilis	815
	1384	23. Februar.	786		1413	2. Aprilis	816
	1385	11. Februar.	787		1414	22. Martij	817
	1386	1. Februarij	788		1415	12. Martij	818
	1387	21. Ianuar.	789		1416	1. Martij	819
	1388	10. Ianuar.	790		1417	17. Februar.	820
	1388	30. Decemb.	791		1418	7. Februar.	821
	1389	19. Decemb.	792		1419	27. Ianuar.	822
	1390	8. Decemb.	793		1420	16. Ianuar.	823
	1391	28. Nouem.	794		1421	5. Ianuar.	824
1430	1392	16. Nouem.	795		1421	25. Decemb.	825
	1393	5. Nouemb.	796	1460	1422	14. Decemb.	826
	1394	26. Octob.	797		1423	4. Decemb.	827
	1395	15. Octob.	798		1424	22. Nouem.	828
	1396	4. Octob.	799		1425	12 Nouemb.	829
	1397	23. Septemb.	800		1426	1. Nouemb.	830
	1398	12. Septemb.	801		1427	21. Octob.	831
	1399	2. Septemb.	802		1428	10. Octob.	832
	1400	21. Auguſti	803		1429	29. Septemb.	833
	1401	10. Auguſti	804		1430	18. Septemb.	834
1440	1402	31. Iulij	805		1431	8. Septemb.	835
	1403	20. Iulij	806	1470	1432	27. Auguſti	836
	1404	9. Iulij	807		1433	17. Auguſti	837
	1405	28. Iunij	808		1434	6. Auguſti	838
	1406	17. Iunij	809		1435	26. Iulij	839
	1407	7. Iunij	810		1436	15. Iulij	840

AEra Cæsaris	Anni Chrif.		Anni Arabũ	AEra Cæsaris	Anni Christi		Anni Arabum
	1437	4.Iulij	1841		1466	12. Augusti	871
	1438	23.Iunij	1842		1467	1.August.	872
	1439	13.Iunij	1843		1468	21.Iulij	873
	1440	1.Iunij	1844		1469	10.Iulij	874
	1441	21.Maij	1845		1470	29.Iunij	875
1480	1442	11.Maij	1846		1471	18.Iunij	876
	1443	30.Aprilis	1847	1510	1472	7.Iunij	877
	1444	19.Aprilis	1848		1473	28.Maij	878
	1445	8. Aprilis	1849		1474	17.Maij	879
	1446	28.Martij	1850		1475	6.Maij	880
	1447	18. Martij	1851		1476	24.Aprilis	881
	1448	6.Martij	1852		1477	13.Aprilis	882
	1449	23.Februarij	1853		1478	2.Aprilis	883
	1450	13.Februarij	1854		1479	23.Martij	884
	1451	2.Februarij	1855		1480	11.Martij	885
1490	1452	22.Ianuarij	1856		1481	28.Februarij	886
	1453	11.Ianuarij	1857	1520	1482	18.Februarij	887
	1453	31. Decembr.	1858		1483	7.Februarij	888
	1454	21.Decemb.	1859		1484	27.Ianuarij	889
	1455	10.Decemb.	1860		1485	16.Ianuarij	890
	1456	28.Nouemb.	1861		1486	5.Ianuarij	891
	1457	18. Nouemb.	1862		1486	26.Decembr.	892
	1458	7.Nouemb.	1863		4187	15.Decemb.	873
	1459	27.Octobr.	1864		1488	3.Decemb.	894
	1460	16.Octob.	1865		1439	23.Nouẽbr.	895
1500	1461	5.Octob.	1866		1490	12. Nouemb.	896
	1462	25. Septemb.	1867		1491	2. Nouembr.	897
	1463	14. Septemb	1868	1530	1492	21.Octobr.	898
	1464	2.Septemb.	1869		1493	10. Octobris	899
	1465	23.Augusti	1870		1494	30.Septembr.	900

AEra Cæſaris	Anni Chriſ.		Anni Arabū	AEra Cæſaris	Anni Chriſti		Anni Arabum
	1495	19. Septemb.	901		1524	27.Octobr.	931
	1496	7.Septemb.	902		1525	16.Octobris	932
	1497	28.Auguſti	903		1526	6.Octob.	933
	1498	17.Auguſti	904		1527	25.Septembr.	934
	1499	6.Auguſti	905		1528	13. Septembr.	935
	1500	26.Iulij	906		1529	3.Septembr.	936
	1501	15.Iulij	907		1530	23. Auguſti	937
1540	1502	5.Iulij	908		1531	13.Auguſt.	938
	1503	24.Iunij	909	1570	1532	1.Auguſti	939
	1504	12.Iunij	910		1533	21.Iulij	940
	1505	2.Iunij	911		1534	11.Iulij	941
	1506	22.Maij	912		1535	30.Iunij	942
	1507	11.Maij	913		1536	18.Iunij	943
	1508	30.Aprilis	914		1537	8.Iunij	944
	1509	19.Aprilis	915		1538	28.Maij	945
	1510	8.Aprilis	916		1539	17.Maij	946
	1511	29.Martij	917		1540	6.Maij	947
1550	1512	17. Martij	918		1541	25.Aprilis	948
	1513	7.Martij	919	1530	1542	15.Aprilis	949
	1514	24. Februarij	920		1543	3.Aprilis	930
	1515	13.Februarij	921		1544	23.Martij	951
	1516	2.Februarij	922		1545	13.Martij	952
	1517	22.Ianuarij	923		1546	2.Martij	553
	1518	11.Ianuarij	924		1547	19.Februarij	954
	1519	1.Ianuarij	925		1548	8.Februarij	955
	1519	21.Decemb.	926		1549	28.Ianuarij	956
	1420	10.Decemb.	927		1550	18.Ianuarij	957
	1421	29.Nouemb.	928		1551	7.Ianuarij	958
1560	1422	18. Nouemb.	929		1551	26.Decembr.	959
	1423	8.Nouemb.	930	1590	1552	16.Decemb.	960

AEra Cæfaris	Anni Chrif.		Anni Arabū	AEra Cæfaris	Anni Chrifti		Anni Arabum
	1553	5.Decemb.	961		1583	24.Ianuarij	991
	1554	24.Nouemb.	962		1584	12.Ianuarij	992
	1555	14.Nouemb.	963		1585	2.Ianuarij	993
	1556	2.Nouemb.	964		1585	22.Decembr.	994
	1557	22.Octob.	965		1586	11.Decemb.	995
	1558	12.Octob.	966		1587	30.Nouemb.	996
	1559	1.Octob.	967		1588	19. Nouemb.	997
	1560	20.Septemb.	968		1589	9.Nouemb.	998
	1561	9.Septemb.	969		1590	28.Octobr.	999
1600	1562	29.Augufti	970		1591	18. Octobris	1000
	1563	19.Augufti	971	1630	1592	7.Octob.	1001
	1564	7.Augufti	972		1593	26. Septemb.	1002
	1565	27.Iulij	973		1594	15. Septembr.	1003
	1566	17.Iulij	974		1595	5.Septembr.	1004
	1567	6.Iulij	975		1596	24. Augufti	1005
	1568	24.Iunij	976		1597	13. Auguft.	1006
	1569	14.Iunij	977		1598	3.Augufti	1007
	1570	3.Iunij	978		1599	23.Iulij	1008
	1571	24.Maij	979		1600	12.Iulij	1009
1610	1572	12.Maij	980		1601	1.Iulij	1010
	1573	1.Maij	981	1640	1602	20.Iuni.	1011
	1574	21.Aprilis	982		1603	10.Iunij	1012
	1575	10.Aprilis	983		1604	29.Maij	1013
	1576	29.Martij	984		1605	18.Maij	1014
	1577	19.Martij	985		1606	8.Maij	1015
	1578	8.Martij	986		1607	27.Aprilis	1016
	1579	26. Februarij	987		1608	16.Aprilis	1017
	1580	14.Februarij	988		1609	5.Aprilis	1018
	1581	3.Februarij	989		1610	25.Martij	1019
1620	1582	24.Ianuarij	990		1611	15.Martij	1020

AEra Cæsaris	Anni Chris.		Anni Arabū	AEra Cæsaris	Anni Christi		Anni Arabum
1650	1612	3.Martij	1021		1641	11.Aprilis	1051
	1613	20. Februarij	1022	1680	1642	31.Martij	1052
	1614	10.Februarij	1023		1643	21.Martij	1053
	1615	30.Ianuarij	1024		1644	9.Martij	1954
	1616	18.Ianuarij	1025		1645	26.Februarij	1055
	1617	8.Ianuarij	1026		1646	16.Februarij	1056
	1617	28.Decemb.	1027		1647	5.Februarij	1057
	1618	18.Decemb.	1028		1648	26.Ianuarij	1058
	1619	6.Decemb.	1029		1649	14.Ianuarij	1059
	1620	25. Nouemb.	1030		1650	3.Ianuarij	1060
	1621	15.Nouemb.	1031		1650	24.Decembr.	1061
1660	1622	4.Nouemb.	1032		1651	13.Decemb.	1062
	1623	24.Octob.	1033	1690	1652	1.Decemb.	1063
	1624	13.Octob.	3034		1653	21. Nouemb.	1064
	1625	2.Octob.	1035		1654	10.Nouemb.	1065
	1626	21. Septemb.	1036		1655	30.Octobr.	1066
	1627	11.Septemb.	1037		1656	19.Octobris	1067
	1628	30.Augusti	1038		1657	8.Octob.	1068
	1629	20.Augusti	1039		1658	28. Septemb.	1069
	1630	9.Augusti	1040		1569	17.Septembr.	1070
	1631	29.Iulij	1041		1660	5.Septembr.	1071
1670	1632	18.Iulij	1042		1661	27. Augusti	1072
	1633	7.Iulij	1043	1700	1662	16.August.	1073
	1634	26.Iunij	1044		1663	5.Augusti	1074
	1635	16.Iunij	1045		1664	25.Iulij	1075
	1636	4.Iunij	1046		1665	14.Iulij	1076
	1637	25.Maij	1047		1666	4.Iulij	1077
	1638	14.Maij	1048		1667	23.Iuni.	1078
	1639	3.Maij	1049		1668	11.Iunij	1079
	1640	22.Aprilis	1050		1669	1.Iunij	1080

AEra Cæsaris	Anni Christi		Anni Arabum	AEra Cæsaris	Anni Christi		Anni Arabum
	1670	21.Maij	1081		1699	28.Iunij	1111
	1671	10.Maij	1082		1700	17.Iunij	1112
1710	1672	28.Aprilis	1083		1701	6.Iunij	1113
	1673	17.April.	1084	1740	1072	27.Maij	1114
	1974	6. Aprilis	1085		1703	16.Maij	1115
	1975	27. Martij	1086		1704	4.Maij	1116
	1676	15.Martij	1087		1705	24.Aprilis	1117
	1677	5.Martij	1088		1706	13.Aprilis	1118
	1678	22. Februar.	1089		1707	3.Aprilis	1119
	1679	11.Februar.	1090		1708	22.Martij	1120
	1680	31.Ianuar.	1091		1709	11.Martij	1121
	1681	20. Ianuar.	1092		1710	1. Martij	1122
1720	1682	9.Ianuar.	1093		1711	18.Februar.	1123
	1682	30. Decemb.	1094	1750	1712	7.Februar.	1124
	1683	19. Decemb.	1095		1713	27.Ianuar.	1125
	1684	7.Decemb.	1096		1714	16.Ianuar.	1126
	1685	27. Nouem.	1097		1715	6.Ianuari.	1127
	1686	16. Nouem.	1098		1715	25.Decemb.	1128
	1687	5.Nouemb.	1099		1716	13. Decemb.	1129
	1688	25.Octob.	1100		1717	3.Decemb.	1130
	1689	14.Octob.	1101		1718	22. Nouem.	1131
	1690	3.Octob.	1302		1719	11.Nouemb.	1132
	1691	23.Septemb.	1103		1720	31.Octob.	1133
1730	1692	11.Septemb.	1104	1760	1721	20.Octob.	1134
	1693	31. Augusti	1105		1722	9.Octob.	1135
	1694	21.Augusti	1106		1723	29.Septemb.	1136
	1695	10.Augusti	1107		1724	17.Septemb.	1137
	1696	30.Iulij	1108		1725	7.Septemb.	1138
	1697	19.Iulij	1109		1726	27.Augusti	1139
	1698	8.Iulij	1110		1727	16.Augusti	1140
					1728	5.Augusti	1141

AEra Cæſaris	Anni Chriſ.		Anni Arabũ				
	1729	25.Iulij	1142				
	1730	14.Iulij	1143				
	1731	4.Iulij	1144				
1770	1732	22.Iunij	1145				
	1633	11.Iunij	1146				
	1734	1.Iunij	1147				
	1735	21.Maij	1048				
	1736	9.Maij	1149				
	1737	29.Aprilis	1150				
	1738	18.Aprilis	1151				
	1739	7.Aprilis	1152				
	1740	27.Martij	1153				
	1741	16.Marti	3134				
1780	1742	5.Martij	1155				
	1743	23.Februarij	1156				
	1744	12.Februarij	1157				
	1745	1.Februarij	1158				
	1746		1159				
	1747		1160				
	1748		1161				
	1749		1162				

INDEX CAPITVM

IOAN. MARIANAE.

De morte & immortalitate.

LIBER PRIMVS.

Auctoris Præfatio.

Toleti descriptio.

IN Hiſpaniæ totius vmbilico Toletum ſita eſt locis arduis, vnde ſunt aquarum diuortia, vrbs ampla, natura magis quam arte munita, vniuerſæ prouinciæ columen lumenque pręclarum, incolarum tũ forma pręſtanti tum ingenio, religionis cultu puriſſimo, ſapientiæ ſtudijs excellens in paucis. Totam ferme circulo vaſtis præruptiſque montibus magno naturę miraculo penetratis Tagus fama, aquis, & arenas interfluente auro nobilis ambit prę- ceps inter ſaxa altiſſimis ripis. Vnũ & peranguſtum aditum ad ſeptentriones relinquit arduum aſcenſu & duplici ab antiquo muro munitum. Circum vrbem ſolum ſterile, ſaxeũ, deforme, rebus omnibus indigens. cęlo terraq; aquarum penuria, quod longiſſimè abeſt à mari, & tota regio præ reliqua Hiſpania ſublimis eſt. Niſi qua parte amnis interfluit vallem planiciemque lætiorem. prouẽtu longioremque quam latam ſpatijs. Sic Toletani importata plerumque annona vitam tolerant. alioqui prædiuiti cultu, ornamentis omnibus, inſigni ciues humanitate, benigni, hoſpitales, officioſi. Opes non magnę propterea, & quoniam commercio opportunitas non eſt mari longinquo, vnde copię parantur. Sacrati ordinis cenſus maior, magnæ diuitiæ. Agrorum decumæ longiſſimo tractu in præcipuum eius vrbis templum conferuntur: cum quo ædificij amplitudine & maieſtate, numero miniſtrorum, omnibus ornamẽtis, religionis cultu, & copijs nullum toto orbe comparatur dempto Romano: qui cum certare nõ iuuat ne de ornamẽtis quidem auro & argento. Propè vrbem colles circulo aſſurgũt natura deformes, ſaxis impediti, tenui atque gracili gleba: arte tamẽ & cultura læti, ciuium deliciæ, cum feſſi negotio ruſticari volunt, & ex vrbanis anguſtijs in apertum cælũ prodire, ſynceriori aura perfrui, quæ eſt ſalu[b]errima. Ita multa ſuburbana prædiola extant prætorijs e- legãtibus, aut turrib. omni ex parte, qua ꝓſpectus eſt, collucentia. Venæ aquę ſalutaris vbiq; tenues, ac ferme quantũ è colliũ faſtigio pluuiæ aquę ꝑ ſubiectas arenas percolatur. vnde putei effodiũtur fonticuliq; exiſtũt pro cõditione temporis pluuij ſereniue iã maligni iã redundãtes & pleni. Pro aquæ modo horti cõſitis oleribus irriguæq; arbores inſtituuntur haud latiſſimè. fruct⁹ ſuaues ſunt ac fere pruna omne gen⁹ & armeniaca. prouẽtus exiguus ac vix culturæ impẽſam exæquãs. Inter eos colles qua parte flumẽ Martini põte iũgitur, atque ad occaſum, Mõteronius mons leniter aſſurgit vt alij, & nomine & fama celebris. Multa in eo ſuburbana prædia maiori aliquãto nitore & ꝓuentu quã in cæteris. Oliuæ generoſi olei non paucæ, diuerſi generis vites expetitæ mẽſis vuę: eoq; & quoniã copia nõ magna, ex ijs vinũ exprimitur raro. In ea loca vẽtitare aliquãdo ſolit⁹ erã, vt animum curis grauẽ, feſſũ ſtudijs caput ea amœnitate reficerẽ ꝓpter vſum familiarẽ, qui mihi erat cum quibuſdam eorũ prædiorũ poſſeſſoribus. Exiguus amici nobilis in medio eo mõte hortus eſt elegãs, tum ipſe tum villa ad exemplar prudentis villici, vt mihi quidem videbatur, à modeſtia & amœnitate conſtituta. In eũ hortũ ſumpta à Græco quodã epigrãmate occaſiõe diſticho ſubiecto luſim⁹ per otiũ aliquando.

Non neq; magnus amor: lepidus tamen: hinc ego quamuis
Exiguus, placidus ſed tamen hortus eram.

In ſumptuoſis agris nociua laxitas, locorũ anguſtia pro compendio eſt.

Huic

Huic horto fundus alter coniunctus viri sacrati pcipua nobilitate & mo- **A** destia, imminet latior spatijs haud minore nitore. Viæ ad lineam directæ. arbores frugiferæ in quincunce dispositę, horti manu irrigui late expatiantib. areis, herbis odoratis floribusq; distincti. villa superbo structurę genere satis ampla signis & tabulis affatim exornata. Herus aquæ iugis & fontis cupiditate nup cautes durissimas longo spatio pforauit insano conatu & sũptu: quo fructu nõdũ erat exploratũ, tẽp⁹ aperiet. **B** In eũ fundum alterũ epigrãma ex Græco Latinũ fecimus paucis commutatis.

Tres hospes charites his hortis cernis inesse.
Vrbis prospectus prima venustus erat.
Arboribus, villa, haustris iuncta est altera & herbis.
Quid reliquam? Ferro saxa cauata tenent. **C**

In latere eius mõtis ad dexteram secũdo ab vrbe lapide Cisterciense monasterium est præcipua religione, à templo seiunctum sacellũ signumq; Virginis matris, ciuibus, vniuersisq; circum pagis sanctum. Statis præsertim diebus magna hominũ frequentia concurrit. numinis præsentia expiari peccata, sæpè etiã edi miracula prædicãt. **D** Ea parte pseudohyacinthi passim effodiũtur extantq;: per quos aqua pluuia trãsfusa atq; permeans omni fœce expurgata intra monasterij septa erumpens fontem efficit celebri fama salutarem presertim ijs qui laborant calculo. Mira aquæ viscera tergendi vis renes atq; vesicam: eoq; frequentes aquatũ conueniunt agasones **E** haud leui iniuria amicæ ei hominum nationi trãquillitatis. Alioqui locus propter fluuij vicinitatẽ solis vaporẽ insaluber est certè in æstate & per autumnũ: quo tempore frequentes morbi grassantur, pro domesticorum numero multi decumbunt. Ad australem vrbis plagã atq; ad sinistram eius montis maiori interuallo intra vicinos montes Hieronymianum monasterium nõ minori celebritate neq; minori religione assurgit, Sisla dictũ, de nomine pagi ijsdẽ olim vestigijs. structura elegantior, maiores copiæ, latifundia multa, pecorũ magna vis: vnde ij monachi aluntur, sed egeni magno numero, præsertim in annonæ caritate & angustia, certũ tenuitati perfugiũ. Inter hoc monasterium & Mõteronium collẽ multa prædia prætoriaq; visuntur. Sed & præcipuũ ab amplitudine & elegantia quod Quirogæ Cardinalis [redacted] impensa annis superiorib⁹ extructũ est. ad quadragies sestertium hoc est auri cẽtum millia insumpta. sunt & in rationes relata. Circum ędes amœni horti sunt fonticulis irrigui, vineæ, oliueta, opacæ atq; frugiferæ arbores magno numero, viuariũ pisciũ satis amplũ procul corriuata per tubos aqua, pximi saltus haud angusti pprio cincti muro feris & venationi destinati. Cardinalis hortis subiecta ad septentriones nostri ordinis sylua est satis ampla annosis quercub⁹, iuniperis, terebinthis insignis admiraculũ, in tãta vrbis ppinquitate syluestres & montanas arbores cõseruatas, neq; in ignis alimẽta cessisse. Sũt ex interuallo oliueta, vitesq; aliquãto numero, quâ solũ fœcundius est, mites arbores: in quib. & numero & bonitate pruni eminẽt omnifariã. Sunt & horti olerib. instituti, ex vicino fonte irrigui, angusti spatijs. rosa multa aperiente se vere pręcipua bonitate florũ Regina agri fũdiq; decor. Flores alios spõte ex se vniuersa terra fundit, herbas odoratas salutaresq;, thymũ, stęcadẽ thymbram, trifolium, chamępytim, caucalim, irim, periclimenon, oxalim, vtrũq; cicortũ, rapunculos, feniculũ, asparagos magna copia. Quid fũdi vniuersi dotes alias cõmemorẽ insignes atq; pclaras? qd nuces, corylos, fic⁹, cerasos? Quid tãdẽ de hesperis ingenio dicã? Mirabile dictu, sed verissimũ. lux recurrẽs odorẽ & gratiã aufert, q̃ alijs herbis & florib. dat? Per noctẽ tamẽ suauissima fragãtia

complet

complet agros & aërem, vix vt Indici odores conferri debeant. Sic odor A non ariditate constat, ꝙ dixit Theophrastus, sed humido etiam temperatur ex rore post solis occasum de cælo liquato. Finis non sit neq; modus in tanta copia laudum. Præstabit carmina subijcere, quibus per lusum eius fundi formam & partes diebus superioribus explicuimus in hæc omnino verba.

Dēsas sub salices lassa & cōfecta, viator,
Proijce tātisper mēbra labore via. B
Lucus amænus eram: quercus, virgulta cupressos
Leniter aspirans cōmouet hic Zephyrus.
Floribus & lucent distincta hæc prata decoris
Vere thymum & violam cum redeunte ferunt.
Atq; fragrans inter Terebinthos innatat iris C
Nympharum proprius lucus Amadriadum.
Multaque cum violis vaccinia fusca leguntur:
Perq; humiles dumos roscida mixta rosa est.
Aspice nocte polum, varios hosce aspice flores,
Quis neget in terris astra micare diu? D
Hic ver purpureum lætissima germina fundit:
Rura salutari spargit odore mea.
Mollior hic æstas. Præbet quas pampinus vmbras,
Aura fouet leuiter frondea tecta mouens.
Arboribus surgit molli cōnexa corymbo
Nigra hedera in pratis non pede recta suo. E
Est hic vinetis confusa & pinguis oliua,
Palladis et Bacchi munera iūcta simul.
Sunt olera irriguis, lactuca & beta salubres;
Agricolis caules, allia, rapa, siser.
Præcipites inter rupes pura vnda perēnat,
Fonticulo e tenui murmure grata suo.
Riuus itē placid⁹ nostras plabitur oras,
Syluā humore rigās, q̄ ppe tōsa nitet.
Lusciniaq; modos solitos, tum æstate cicada
Armonia indocili concinit vsque melos.
Est & turdus edax, perdix, & turtur obesus,
Attagen in mēsis sæpe petit⁹ honos.
Inque plagas truduntur apri, leporesq; fugaces
Cuniculi imbelles, grata sagina gulæ.
Tendimus alitibus laqueos, indagine vulpes
Luditur, heu corti parce inimica mea.
Agresti arbusto spōsatur ab arbore mitti
Surculus, vt domino non sua poma ferat.
Hic amor. hoc pulchris nomen bene conuenit hortis,
Quādo tot veneres hunc tenuere locum
Villā ne patulā prætergrediaris amice:
Hospitij facilem nam experiere modum.
Mox oculis lustra quæ audisti singula: dices
Est, fateor, meritis apta camœna tuis.

In id suburbanum aperiente se vere sedatis hyemis frigorib. prodire solitus eram omnibus ferme annis, loci amœnitatē aëris temperiē secut⁹, tū vt dies aliquot rerum diuinarū commentationi darē, & ea cessatione vegetior ad intermissa litterarū studia & negotia vrbana redirē. Vicissitudine rerū, requie alterna reficitur animus, reparātur vires, deponūtur molestiæ. Cōueniebāt inuisū amici aliquādo iā plures, iā singulares. Mutuo colloquio solitudinis tædiū leuabatur. simul ipsi reficiebāt vires vrbano tumultu defatigatas. Accidit die quodam, vt Petrus Caruaialius tunc Decanus Toletanus nunc Cauriēsis Episcopus ex cōdicto alijs viris præclaris comitat⁹ accederet ad prādiū eius ære nostra diligentia paratum. Maij mensis Kalendæ erant, illustre cęlū nullis offuscatū nebulis, flatibus Aquilonis aura tēperata ac frigidæ

pro-

propior, qualem voto fingere possemus. Hospitum & conuiuarum aduentus aliquanto tardior, quod propter festi celebritatẽ in templo maximo sacris solenni ritu operati pri⁹ essent. Vbi accessere tandem, cũ primũ inter nos salutauimus, ad epulas continuò itum est nulla re gratiores quã familiari colloquio de litteris, de antiquitate & pietatis studijs. Tametsi tum mora, tũ frig⁹ expresserat famẽ. neq; fercula deerant talib. conuiuis consentanea, neq; à modestia aliena. Secundis mẽsis bellaria & tragemata. Vbi quantum satis erat cibi sumptũ exẽptaq; fames est: remotis mensis è villa egressi sub opaca quercu & patula cõsidentes varijs fabulis modestis iocis & salibus aliquandiu sustentauimus. delibato mox tantisper somno instratis pomeridiano, simul oẽs assurreximus. Varij erãt parati ludi, tesseræ, latrũculi, pilæ, globi lignei cũ circulo ferreo in terra cõpacto, quẽ transmittãt; ac imprimis mensæ longæ impositæ tabulæ rotũdæ pars nigræ, pars candidæ: quib. iactis magno sæpè nisu, quæ ꝓpius ad extremum mẽsæ marginem accedebat, nisi impelleretur ab aduersaria, pro ea victoria stabat. Ludunt aduersus singulos singuli, aut plures etiam vtrimq; numero pugnantium exæquato; inruuntur aduersæ acies, incalescit pugna. vno sæpè ictu & impetu multi hostes cadunt, variant secũdæ aduersæq; res. Alea prorsus aberat, quoniam is lud⁹ viros religiosos & modestos parum decet, quippè ꝓfanus, & in quo maior sorti locus sit quã industriæ, neq; corpus exerceatur, quæ præcipua ludi virt⁹ est. Ergo singuli tum externi, tum socij pro ingenio varios instituerunt ludos, quibus se oblectarent, horas vespertinas & tempus fallerent. Decanus & ego secreti ab alijs discessim⁹, vt in syluã proximam abditi viridantium arborum grato aspectu ac verò latè patẽtis agri specie venusta animos reficeremus. Et suberat molestia, quam ex obitu Garsiæ Loaysæ (erat Decani auunculus caritate pater mihi cũ illo vsus) ceperam⁹ quamuis ante vnum & alterum annum extincti, vix delibato delati nuper pontificatus Toletani honore amplissimo, merces meritis modestiæ consentanea, tum laborib. & eruditioni Philippi Principis maximi. Adiunxit se duobus Castellonius vir eruditus & grauis à secretis Inquisitionis, qui eo se post prandium contulerat, noua & ipse plaga calamitateq; saucius, vtrique familiaris. in ipso nihil leue aut ludricum. mores ad modestiam compositi, ætas matura ac senectuti propior, priscæ probitatis exemplum. Sic mollibus passibus lento gradu ex aliquanto spatio sermone de varijs reb. ac præsertim de re publica vitio temporum labefactata inchoato ad fontem tandem peruenimus, qui in media sylua subiecto amplo labro promanat tenui sæpiùs vena, tunc pleniori canali fistulaque ob incrementum humoris ex hibernis aquis eo anno vel maximè copiosis. Eo delati in podio assedimus nuce moroque proximis. Ibi vt assolet in animorum remissione vacillante sermone de multis rebus colloqui cœpimus tum publicis, tum priuatis. Quod ætatis vitium est tamen, gentis mores longa oratione accusauimus. homines ad arma natos affluenti copia voluptatum, illecebris, omnis amœnitatis maritimæ, terrestrisque, atque commercio gentium externarum ad famam accurrentium nostrarum copiarum, easque importantium merces quibus corpora debilitantur, vigor animorum extinguitur, eneruari & peregrinis moribus deprauari: atque ita vt nec libidini nec sumptibus, nec vestium pretio modum faciant, accubantes in conuiuijs, cibo atque vino debilitatos, emollitos atque corruptos stupris [redacted] lasciuire populares. Quidquid alibi per partes corruptum est, quasi confusis omnium gentium vitijs in mores Hispanorum

norũ migraſſe. Vnde quaſi ex ſummo præcipitante fortuna graues calamitates imminere, ac verò iam inſtare videantur. Virtute partum imperium opulentia perdit, & opulentiæ aſſeclæ voluptates. Animorum vigorem, quo res tantæ bello paceque perfectæ ſunt, vitiorum licentia extinxit, qua nihil eſt militari diſciplinæ exitialius. Is videlicet victoriarum de hoſtibus fructus fuit, amplificati principatus terra quidem latiſſime, mari autem ipſis orbis cælique finibus terminati. Romanorum exemplo corruimus minori temporis interuallo, quibus exitiale fuit in Aſiam imperium propagaſſe, inde Romam tranſtuliſſe voluptatum illecebras inſtrumentaq; [redacted] Sed nimirum vt in temporum iniurijs, ita in moribus ſuperiorum obliti præſentibus mouemur, ea quæ grauiora omnium mala ducimus. Tranſactis præſentia moleſtiora, quia acrius vrgent: ſenſus memoria potentior. Quin mentem alio traducimus, atque ad nos ipſos noſtrumque profectum conuertimus, de virtute aliqua præſenti commentatione diſputamus certiori proficiendi ſpe, quādo publica alijs incumbunt: in nobis cum Deo ſitum eſt noſtros ſermones cōmodiores facere, ac noua cenſura caſtigare. Placet ea ratio vterque ait. è multis ſelige argumentum loco & tempori accommodatum. tu diſputantis

personam sustineto: nos si minùs verbis ne sępè interrumpatur disputatio, auribus certè dicentem & attentione sequemur. Obsequar votis vestris, materiam ipse sed vestro consensu designabo, disputatio communis erit, ne solus quasi conuiua silente videar, si nulla sit altercatio. Itaque de modestia disceptare promptum est, quæ mater virtutum cæterarum est & fundamentum stabile. De patientia ad mala toleranda, quibus vita vniuersa obnoxia est. De fortitudine atque constantia, qua pectus armatur aduersus ingruentia mala & quotidiana pericula, ne officio terga vertamus. De munificentia aduersus pauperes & opes congerendi cupiditatem. De castitate, pietate, religionis cultu. Si mauultis de historia aliaue quapiam eruditionis parte colloquamur. Vestrum erit inter has omnes virtutes vnam adoptare, quando de omnibus dici non potest. Id in tuo arbitrio potius relinquimus, ait Decanus, vt pro me & socio respondeam. Neque enim quæstionem in conuentu poscis more sophistarum, vt ex tempore de re quacumque proposita dicas: id enim superbum, neque tuæ modestiæ. Nos etiam de qua re proximis diebus fueris commentatus, diuinare non possumus. Tum ego: si verum fateri debeo in hoc secessu de mortis contemptu & immortalitate multa à priscis theologis & philosophis præclarè dicta in aduersaria collegi. nam de commeatu vt cogitem serio, ætas admonet, multaque quotidie in oculos amicorum funera incurrentia nostræ mortalitatis certissimi nuntij. Ea præsenti memoria teneo: de ijsque disputare promptum, neque vt ego arbitror, iniucundum. *Scire mori sors prima viris.* Apage sis, Castellonius ait, disputatio, neque cum loco, neque cum temporis celebritate consentiens; num eo reuolueris, quod in nobis modo accusabas? Verùm Garsiæ Loaysæ tuo Decane auunculo non ita pridem extincto quasi in ferias dare hac disputatione quid vetaret? Vxoris Castellione tuę & filiæ, quas mors nuper importuna rapuit, exequias & iusta vna celebrare! Mortis facies tristis & horrida est, sed prauis; quod si pigmenta accedant arguto pictoris penicillo, fortassis molestia omnis lætitia & suauitate mutabitur. Vos quid velitis statuite, ego obsequar vt debeo. Sed quod repetam, de nullo argumento faciliùs & libentius disputarem. Mihi quidem idem, quod Castellonio iudicium erat, inquit Decanus. Sed optionem quam tibi dedimus retractare non iuuat. Neque erit nobis molestum de vitę exitu re tum familiari, tum necessaria audire te præsertim disceptatore, qui verborum elegantia, accommodatis sententijs & exemplis soles demulcere aures, ex triuialibus facere eximia. Pro ea de nobis opinione gratias habeo, inquam, qua inflari aura & afflari possem, nisi meæ tenuitatis mihimet ipse conscius, quam exiguos profectus habeam in omni eruditionis parte nossem, meo me modulo metior, neque nos super extendimus, ad quod statura non pertingit, vt Pauli Apostoli verbis vtar. Verùm priusquam in disputationem ingredior, epigramma Græcum diebus superioribus, quoniam tuum grauem casum exprimit, & in tuam gratiam Castellione Latinè redditum, præmittere placet, tu nostra seueriori lima castigato, potes namque.

Occidit heu ex partu coniux: sed nata superstes
Tantisper lachrymas tersit ab ore meas.
Mox etiam spe illa sors me heu spoliauit acerba;
Sic dolor æternus gaudium inane fuit.
Tantis te in lachrymis vnum hoc, Proserpina, matris
Extinctæ iaceat, fac rogo gnata sinu.

Atrocis casus memoria exulcerasti animum, Castellonius ait, menti offudisti tenebras, non sedatur carmine dolor tam grauis. Sed rationis, inquam, luce eas tenebras discute, mentem excita, & à vulgi sensu secerne cogitationem. Miserabili, inquit, genere Leti perijt mater in ætatis flore, filia vix nata ijsdem vestigijs est subsecuta, hoc felix quod suam orbitatem meam solitudinem non cognouit, neque aduersis solamen, neque gaudiorum particeps. Noui inquam, & geminum luctum planè misereor. Quid tamen miserabile, si inanibus detersis ad veritatis te lumen conuertas? An non ad vitæ metam multæ viæ, alia aspera & longior, alia expedita & plana: eodem tamen omnes perueniunt ad quietem & pacem, felicem illum portum. Mors enim mala non est certè nisi malis. Scilicet id genus mortis in mulieres non cadit? non prægnantium communis metus? Aures aduerte, de eo periculo crebro inter se colloquentes audias. Nos stulti nostros casus & calamitates quasi nouas & insolentes vituperamus, dolori fucum quærimus, vt videatur honestior excusatio. Circunspice non dico totum orbem, sed vrbem hanc & vicina loca: in acerbiores quotidie incides casus. An non vides paulò ante domestica tua funera, Regem potentissimum Philippum, quo tibicine hoc imperium stabat, multos annos cum doloribus & morbis luctatum, vitam tandem conclusisse? Breui post ipsum Garsiam Loaysam subsecutum vix degustato delati Pontificatus Toletani fructu, in quo acquiescebant spes bonorum fermè omnium, posse per eum restitui seculum aureum compressa prauitate. Sed neque mirum sexaginta quinque natum annos nihilominus diem obijsse, præsertim laboribus & molestijs victo corpore, quas in magna rerum varietate, atque heri morte imperio & gratia in alios translata grauissimas pertulit, sub vitæ finem maiores. Erat ille quidem longiori æuo dignissimus, propter excellentes animi & corporis dotes, quas quasi secum ipsa certans natura congessit. Verùm Deo præscribere nemo potest, qui singulis vitæ certos fines descripsit nulla exorabiles arte, à prima die pendet extrema. Illi potiùs nostrarum rerum arbitrium permittamus: neque conqueramur si quis nostrum ad vltimam non processit ætatem. Quæ imprudentia magna nostræ felicitatis labes est. Pollicemur nobis, quod præstare nemo possit. Et sanè quid vita, quid mors est? Vita calamitatum cumulus, procellis iactatum mare, per quod vix quisquam sine offensione nauigat, hic ad scopulos alliditur, ille in breuia incidit, aut tempestate iactatur, cuncti laborant tædio & nausea. Inde angustiæ & querelæ rebus etiam tranquillis. Quid mors? finis miseriarum, laborum meta, tranquillus portus, ab omni ventorum flatu secura nauium statio. Incalescebat oratio, cum Decanus, videris iam in disputationem ingredi. Apertiora tamen omnia erunt, si quæ dicenda sunt in partes diuidas & capita, vt intelligantur singula melius, & tenacius memoriæ adhæreant. Mihi quoque id consilium placebat, aio, sed nescio quomodo à commemoratione funerum ad præcepta prolapsa repentè oratio est. Equidem funera alia illustrium virorum referre cupiebam, qui proximè rebus mutatis de fastigio deiecti vitam etiam breui amiserunt. In eo numero Petrus Portocarrerius generalis Inquisitor, & Rodericus Vasquius Castellæ Præses primi occurrebant, viri præstantes: [redacted]. Et vterque tamen ad multam ætatem vitam propagârat. Senectus molestijs & dolori est impar & quasi graui onere premitur. Verùm

hæc missa faciamus & ad disputationem aggrediamur, digestam vt A vultis, in capita & libros. In primo libro de ***mortis contemptu*** agendum est, in altero ***de animorum immortalitate***, diuina prouidentia. Postremus ***Christianæ religionis benè fundatas spes ex diuinis potissimum libris & oraculis explicabit.*** Affulge de cælo alma lux, vota nostra & præclaros conatus promoue, principijs susceptæ disputationis secundos B successus & finem optatum dato.

CAP. I.

De Origine erroris.

INter mala omnia, quibus vita nostra premitur magnis & perpetuis haud dubi- C um, illud quidem est grauissimum quod pauci ratione & veritate ducuntur, multo plures opinionibus circumagimur, rotæ instar volubilis inconstantis.

Voluitur Ixion & se sequiturque fugitque.

Ex ijs opinionibus quędam proficuę sunt sine quibus vita nō traducitur, D aliæ noxiæ vitiorum omnium fomentum, pleræque omnes fallaces, quippè à sensibus ortæ qui non parum sæpè falluntur & fallunt. Baculum in aqua vides, fractū putas: globum ex interuallo, multò suâ mole minorem iudicas: vitrum coloratum interpositum, eodem fuco infecta alia nunciat falsò. At ij errores & fallaciæ facilè corriguntur si ad- E uertas animum, neque si non corrigantur, tanti est. Decipiunt aliæ opiniones, quoniam veritas latet, spectris & imaginibus ludimur. Verùm sine ea deceptione vita non agitur non constat. Nemo se aut filium erudiendum tradat, nisi de cuius peritia integra opinio sit maior sæpè vero: In aduersa valetudine cum afflicta salute decumbis, medicum aduocas; de cuius doctrina & prudentia multa & mirabilia prædicantur. Inter mercatores commercio locus non esset, quo publicæ & priuatæ opes continentur, sublata inter eos fide, quæ ad faciendum nomina vel maximè necessaria est. Quid de re militari dicam? Eximij sæpè duces copiarum mentiendo, & simulando votis & veritati contraria magnam à prudentia laudem sunt consecuti, fregere aduersarios validiores. An regia maiestas, quæ salutis tutela est, vlla re magis quā opinione de Principis opibus & viribus stat, ex satellitum numero & reliquo apparatu concitata sæpè falsò? Nihil rerum mortalium tam instabile & fluxum, quam regia potentia detracta quasi larua fortunæ mole Regem propius inspice: nil esse aliud inuenies quam deauratam foris statuam, situ & blattis intus putrem, hominem delicijs emollitum, purpuræ splendore magna tegentem vlcera quasi imposito malagmate metus, molestiasque graues. Si ministeria detrahas, eo infirmiorem, quod molli otio corruptus imperare didicit, non facere. Si reuerentia abscedat animis, de gradu facilè deijciatur. Vitam ergò sine opinionibus vides non traduci, mendacium quod per se est fœdum, mente tamen suscipi vtile reb' humanis & necessarium. Illud miserrimum, quod opiniones pleræq; nō fallaces, sed exitiales etiam sunt, eas tenebras veritatis & rationis luce discutere arduum. Inde verò multiplicis dementiæ occasio. Hic vitiorum omnium fons & origo, hic malorum omnium cardo vertitur. Nūquam opes, aut inanem nominis famam expeteremus cum salutis & vitæ periculo; præposteris voluptatibus toto pectore indulgeremus, nisi prauæ hos opiniones in præceps transuersos agerent. Potiora & illustriora, quàm sint, singula hæc cogitamus, quæ adepti continuò cōtemnimus errorem vsu experti. Imaginibus ludimur, frustraque conturbamur, vt diuinus vates ait. Ijs similes

sumus planè quos pulueris nebula temere à pecoribus excitati, exuit castris, vertit in fugam quasi hostes magno numero instent. Idem in morte accidit, terribilis est non vi sua sed propter circumfusas opinionum tenebras & spectra absona ab atrabile commota. Inter noctis tenebras omnia terribilia apparent, arbores, lapides, iumenta, ipsi amici & propinqui, monstra quædam immania videntur, lucem expecta, ne loco mouearis, hisce laruis ne cedas. Puerorum instar cognatos & familiares timemus, si laruatos eosdem psona deposita amplectimur. Quid verò si ferro tegantur, telum distringant, ad matres cum clamore & eiulatu confugimus, auertimus oculos & faciem ab aspectu terribili. An soli pueri & non etiam viri armatam opinione metuunt inopiam, infamiam, acerbitates alias, ipsam denique mortem. Nō personis sed rebus etiam imponuntur laruæ, adduntur arma: nos ipsi decipimus, tela aduersarijs damus, vt nos feriant, quæ si sapis detrahe. Sic syncerius iudicabis. Mari te vasto committere nō audes, fluminis aquam non exhorres. An credis referre immodica an multa aqua mergaris & pereas? Si terra mouit repente concitus fugis, ne domus tota in te ruat, exiguus lapis sit satis vt capite comminuto vitam eripiat. In tempestate si fulguribus corruscet triste cęlum, nubes tonitruis perstrepant, ventorum turbo impellat, toto corpore exhorrescis, quasi finis instet, contorto è cælo fulmine percundum tibi sit. Melones, pepones, ficus non times, quibus & alijs voluptatibus multo plures homines occidunt, quam de cælo tangantur. Nimirum armatam mortē times, qualis in tempestatē contingit. Voluptatum illecebræ fallunt propter suauitatem, quam fronte gerunt, latronibus Aegyptijs persimiles, quos Philistas ex eo dixēre, quod amplecterentur quos iugulabant. Ergo hac disputatione mortem opinionum inuolucris nudare contendimus: quibus detractis integumentis nihil erit in eius natura reliquū, quod sit magnopere formidandum. En satellites feroces, en gladij fulgentes. Quid facient? strepitus terret & vanæ rerum imagines. Occidēt? quid id nisi mors à corpore longinqua migratio. Vniuersus ille apparatus, adde si placet, cruciatus omnes. Quid id nisi dolor est, quem contemnunt neruis ægri, puellæ in partu amant, certè facient nil aliud quam febris, quam frigidæ potus, quam aura afflans. Imò minor molestia, quando vnus ictus absumet, morbi longo tempore solent vexare, lecto ægros diu affligere. Absonis opinionibus exarmare mortem pergimus, vt si minus amica, reddatur certè tractabilis. Quoniam ex amore vitæ mollicies existit, cum ea vitiorum omnium lues. Sicut è contrario contemptus mortis fortissimos milites industrios viros in omni vitæ parte, in studio sapientiæ vigilantes facit contempta salute. Ex hoc fonte Athenis Codrus, Thebis Menæceus, Romæ Curtius & duo Decij extiterunt. Inter Christianos Laurentius, Vincentius, alij sanctissimi martyres magno numero vitæ pro religione prodigi pro patria. Communis erroris fontem designato, Castellonius ait num res ipsæ mentita specie decipiūt ex occulto grassantes? Nos, inquam, nobis ipsis assentamur. nam res palam sua imbecillitate nostræ nos mortalitatis apertè admonent. Funera palam ducuntur quotidie, ætatis flos decutitur, iuuentus senectute mutatur, herbæ floresque arescunt, arbores quotannis foliorum honore spoliantur, prosperis aduersa succedunt. Inter tantas mutationes & varietates perpetuitatem nobis certè diuturnam vitam pollicemur, quæ præcipua amentia est, vitæ finis grauis est, mortis acerba recordatio, furor est, profecto furor, nihil in oculos magis incurrit quā mors, nullius rei maior obliuio. Attentè

à socijs

à focijs audiebatur oratio, vera magis quam probabilia afferre videbar, A cum Decanus interpellauit hoc argumento. Rectè tu quidem & elegāter mortem mendacijs vestitam terrere tetro aspectu: Sed an ita nudari poterit aduētitijs vestib⁹, vt vi sua nō spoliet omnibus, quę in hac vita pro bonis habentur, & prima ad felicitatem sunt copijs, amicis, propinquis, vxore & filijs, corpore & cæteris quę corpore percipiuntur iucunditatibus, B ipso cæli & terræ aspectu. Quod si ex his vnum aliquod cum amittitur & cadit, vt diuitię, vt honores luctum perpetuum conciliat, quid faciant vno ictu, vnoque momento omnia detracta! An hæc etiam ad opiniones falsas ablegabis? niti mendacio quę sunt verissima. Acuta, inquā, ratio, sed responsio nō difficilis. Non iucunditates modo considerare debes, C sed & acerbitates, vtraque inter ipsa conferre. Num per mortem bonis tantum nudari homines credis an etiam malis? num iucunditatibus & non molestijs? Quod si verum est vtraque abire, vtra maiora in hac vita sint, debes dispicere. Si benè noui ingenium tuum, fateberis quod verum est, mala mole & numero superare. D Vix horam in præsenti solicitudine molestia vacuam; multas & graues ærumnas vniuersam vitam vallare omni ex parte. Quas si excernere à bonis possemus, bene nobiscum ageretur; sin autem frumentum sine lolio sineque zizanijs maiori numero & mole non datur, si à noxijs herbis secernere salutares, vtraque potiùs conuellantur & pereant, E ne noxia salutaribus misceamus. Quid prætereà quod quæ in bonis habentur, & ad felicitatem prima nominis splendore fallunt; si attente aspiciantur, falsæque opiniones & iudicia vulgi detrahantur prępostera haud quaquam bonorum nomen merentur. Auri fulgor perstringit, sed vilia etiam metalla deaurantur, æs colore mētitur aurum. Verùm de re tanta nouo ex principio disputabitur si vultis & si placet. Et verò cupimus oppido vterq; ait.

CAP. II.

Non esse bona quæ vulgus putat.

Vincere, inquam, timorem mortis validis argumentis non circunscribere cogitabam. Vide Castellonius inquit, ne præstando non sis cōtra affectum maximè naturalem pugnabis, multis munitum pręsidijs. Præstabis tamen si quæ in vita bona ducimus, omnia vno impetu euertis, alienis superbire titulis persuades. Diuitias, honores, pulchritudinem vires & valetudinem, voluptates, vxorem, liberos, propinquos amicorum clientum & famulorum turbam, splendere omnia, sed aliena luce & fraude. In magnam irrues phalangem, neque inermem, sed fauore populari & communi gentium sensu armatam. Longum, inquam, esset ire per singula. ad capita quædā reuoca, & quasi ducibus adscribe milites, quę quique signa sequantur. Ac primum de diuitijs agamus, quo nomine aurum & argentum, ædes, fœnus, prædia, vestem pretiosam ac reliquam domesticam suppellectilem comprehendimus. Magnam animi confidentiam, inquit, his omnibus velle bonorum nomen eripere, quibus inter alias vitæ commoditates gentium consensus solis bonorum nomen dat, eos qui possident beatos vocat: quasi nihil ijs desit ad felicitatem, quibus diuitiæ suppetunt aurum & argentum, quibus reliqua omnia vitæ ornamenta, delitiæ, commoditates comparantur obediunt. Tritum illud est & vulgare.

Et genus & formam regina pecunia donat

Cuncta sibi obnoxia aurum reddit. Viris pecuniosis seruiunt, milites fortes, nobiles viri genere, artifices industrij; ne pulchritudo ne

ſapientia quidem hoc eximitur iure. Omnia in ære pecuniæ ſunt, non è contrario. Eleganter Lucretius vt multa.

Diuitioris enim ſectam plerumque ſequuntur.
Quamlibet & fortes, & pulchro corpore creti.

Tum illud acuti poëtæ votum eſt notum, inter deos omnes quorum obſequijs alij mancipantur, Veneri voluptuoſi ſeruiunt, Mercurio mercatores fureſque, Marti milites, aliorũ in tutela ſunt alij, Plutum diuitiarum præſidem adoptantis. Cui ſi in penetrali daretur ſacellum extruere ſigno poſito mactatiſq; hoſtijs, propitius ſolus daret omnia vni, quæ alij dij inter ſuos clientes diuidũt ſingula & per partes. Sed & illud dicere ſum ſolitus, Deum in cælo dominari, in terra pecuniam. Nihil eſt tantis munitum præſidijs, quo non penetret aurum. Et quis iure pecuniam vituperet, quæ reip. ſtabilimentum eſt? deme publicum ærarium, Regib⁹ aurum detrahe, ſumma imis cõfundes. Quis enim hoſti laceſſenti ibit obuiam? An ſine ſtipendio exercitus cõflabitur, commeatus, annona, arma? Magna, inquam, ſunt diuitiarũ præſidia, magnæ vires pecuniæ, non negabo. Neque nos in vniuerſum de pecunia diſputamus, non ea mente ſumus, vt regibus aut reip. detrahi velimus, ſine quib. neruis conſtare non poſſunt imperia. De ſingulis hominibus ſermo eſt, nõ eſſe cur magnopere expetantur, ijs carere non eſſe ponendum in malis. Si detur optio, magnis diuitijs præferẽdam auream mediocritatem tenuitatẽq;. Multis haud inuiti caremus ornamentis vitæ, multis iucunditatibus, quia niſi magno non comparãtur. phaſiano, attagine, cupedijs alijs pauci menſas onerant, quia caris. Diuitiæ quanto labore parantur, quanta ſolicitudine retinẽtur? lubricæ & incertæ ſunt, nunquam vno loco quieſcunt. prædia extra vrbem cõſidera ſigillatim & domos ſingulas vrbanas? intra paucos annos quam multos dominos mutarunt? Moleſtias inſpice ab externis, ab amicis, à propinquis. Omnes concurrunt, vt quaſi ex agro cõmuni decerpãt aliquid ſuo iure. Niſi dederis, iurgia, ſi dederis ſequetur inopia; ſi mutuas, lites haud dubiæ, vtraque ex parte inimicitię, quęrimoniæ. Quid exitij metũ dicam, qui herum non aliunde circunſtat? ſępè aurum malum attulit non à latronib⁹ tantum, & ſicarijs, ſed ab impatienti hærede: patris longæuam ætatem ſæpè filij ægro tulerunt animo, certè externi, quibus ex teſtamento relicta hæreditas erat, pro beneficio ingrati ſublatum miſerum ſenem cupiunt. Felicitatem ſequitur inuidia, hanc certa peſtis. Vt neceſſe ſit noſtra ipſa præſidia quæ optauimus timeamus, & votis noſtris laboremus. Quî autẽ à ficto verum amicum ſecernat diues? cum præſto omnes ſint, palpent omnes, eo maiori ſtudio beneuolentiam ſimulantes, quo obſequia magis ſunt falſa. Quis autem fructus vitæ eſſe poteſt vera amicitia deſtitutę, circumuentæ mendacio? Eleganter Græcum epigramma.

Χρυσὲ πάτερ κολάκων καὶ φροντίδος υἱέ,
Καὶ τὸ ἔχειν σε φόβος, καὶ μὴ ἔχειν σε ὀδύνη.

Aduerſa fortuna id in ſe commodi affert, quod veros à falſis & fictis amicos ſecernit, confuſos & ignotos antea. Vere quidam

Scilicet vt fuluum ſpectatur in ignibus aurum:
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

Sed quid multis opus eſt, cęleſti voce diuitias vituperari cernimus: ſemel ſpinas vocat. an bene homini eſſe poſſit inter ſpinas? neq; enim minus pungant aureæ, neque minus moleſtæ ſint quã ſpõte è terra natæ. *Mammona* alibi *iniquitatis* voce Syriaca diuitias dixit, quod plurimum per iniuſtitiam parantur, & ſcelerum fomentũ poſſidentibus ſunt. Luc. 16. 13. Difficili⁹ eſt ſecundam fortunam ferre quam aduerſam. nam miſeriæ tolerantur, felici-

felicitate corrumpimur. in magna licentia peccandi, qualem opes certè suppeditant, se continere miraculi instar. Itaq; ab omni memoria paucos inuenias inopia perijsse, multos opulentia. Vitijs & diuitijs affine nomen est, communis labes. Id in diuitijs pessimum est, quod amētem ferro armant. Improuida mens nostra, vt se satis muniat aduersus tanta pericula. An possit vlla iucunditas auri fulgorve talem pestem cōpensare? Satis multa de diuitijs dicta sunt, Castellonius ait: Quod volebas, effecisse te vel his postremis Euangelij verbis fatemur. Non dissimulabo tamen, ex te auditum aliquādo, *Mammona iniquitatis* vocari non in commune diuitias, sed dona quibus iudices datis corrumpuntur. Quæ explicatio mirificè conuenit cum verbis Seruatoris inopes conciliare præcipientis muneribus datis quasi arbitros cælestes, quis ad eas sedes debeat admitti, Chaldaicæ linguæ dialecto *consentanea dona* vocantis, *Mammon iniquum*, quibus locis in diuinis libris dona iudices accipere vetatur. Non negabo eam sententiam legitimam esse, sed neque priorem repudiârim, quippe cum ingenio auri cōsentientem, neque ab Euangelij verbis discrepantem certè locis, quibus nulla de pauperibus mentione, *Mammona* iniquitatis meminit. Præclara hæc omnia, Decanus ait, ad alia tamē genera trāsi. Ad voluptatem, inquam, quę duplex est incorporea in animo sita ex virtutib. & naturæ cognitione promanans. Quam hoc loco non abdicamus, quoniam in eam morti nihil iuris est, ac poti⁹ assumpto corpore sincerior redditur, vti alio loco explicabitur, nondum .n. de immortalitate disputamus. Nihil cum virtutib. fato, vt quidam ait. Sensuū voluptates vituperam⁹, quæ homini ferè cum bestijs cōmunes, indignę sunt nostra nobilitate & præstātia. Malorum omniū nutrimentum esse dixit Plato voluptates: ijsq; homines etiā excelsi animi cereos reddi & molles,

Luc.16.13.

A vt vitijs & prauitati cedant, non secus atq; ignis vapore cera liquata in quamcūq; volucris formā mutatur. Neq; aliunde maius periculum mēti vrget, quam à circumfusis vndiq; voluptatibus. Quid Salomonem ea sapientia trāsuersum egit? quid Annibalem Pœnū vertēti fortunæ tribuit? quid Romanos rerum dominos de culmine euertit? nōne intempestiuæ voluptates? sub imperio voluptatū

B nullus virtutibus locus est, temperantiæ, fortitudini, magnanimitati. Sūt enim vitiosæ & mortiferæ, armaque illius, cuius vnum opus est mētes expugnare vitiorū fœdare sordib⁹. Nimirum virtus est in arduo posita, vitia in præcipiti: aspera ad illā & ardua via fert: malorum imagines ad exitū ducunt per bona fallacia. Cauenda

C sunt igitur & abdicanda oblectamēta omnia, sensuum voluptates abdicādæ tanquā laquei, ne capti ea mollicie & debilitati in ditionem veræ mortis redigamur. Nō est ergo quod ex hoc capite mortem vituperemus, quod voluptatibus spoliet, agendæ potius gratiæ quod ab hoste infensissimo liberat in omni vitæ parte insidias tendente, nectente fraudes & la-

D queos. Quod si nullum vrgeret periculum, si cætera essent salua, an non fastidiū pariat ipsa frequentia & voluptatum repetitio quotidiana? Quo vsq; enim edere, bibere, dormire, salutare amicos, ludere, spatiari, spectaculis interesse, ac cętera in quibus iumentorū instar circū haustra haurientiū aquā apertis oculis versamur, circulo rotamur, neq; vltra procedi-

E mus, intra breue spatiū circūagimur tota vita. Hinc irrepit nobis ignaris satietas, patriæ, amicorū, propinquorū; cæli & prouinciarū stimulat cupida multis mutatio, si quomodo nos nobis varietas restituat, ne vertigine motis sensib. concidamus, in orbem vertuntur omnia, dies noctē premit, diem nox, æstatē autūnus vrget, hūc hyems, quę in ver desinit & æstatem. Turpes voluptates acri satis oratione ꝓfligasti, Castelloni⁹ ait, an hone-

stas etiam impugnabis procreationem filiorum, cum ijs & vxore sua- A uem côuictum. Non turpes inquam, accusaui oblectationes sed quotidianas etiam, omnesque sensuum voluptates quibus emollitur, profectò animus satiatur corpus. Propriè tamen de coniugio, cum eoque coniunctis voluptatibus disputabo, quoniam vehementiores cæteris sunt, & ipsa honestate fucum faciunt. Quid B enim coniugium est, nisi solicitudinum & molestiarum perennis & copiosus fons, quæ dies & noctes conficiunt? Quid vxor aliud quàm indomitũ animal suis cupiditatibus semper obnoxia? quibus si vir repugnet, rixæ existent, familia diuisa in partes, si annuat certa fundi & modestiæ calamitas. Si venusta superba custodiæ difficilis, si turpis supplicium pro C solatio. amplissima patrimonia vxorum intemperantia, virorum obsequium breui exhausit, inopia graui opulentia mutatur. Inde pleraque alia incommoda. At quædam modestæ existunt, votum id & rara felicitas. Quid denique filij sunt, sumptuum & laborum cumulus ingens, quanti constat nutritio, institutioq;, quam raro fruges sementi respõdet. Si bona indole, metus imbecillitatis D & mortis, si praua parẽtum sæui carnifices accedentibus annis, pestes domus, rei familiaris. Multi nuptiali face rogum accedunt, præsertim si maiori, si immatura ætate implicantur nuptijs. Acutè quidam primum & postremum diem nuptiarum optandum dixit, cæteros repudiandos. Sed & senario quodam coniugij mo- E lestias complexus est poëta alter.

Ουκ ἐστι γήμας ὅςις ου χειμάζεται.

Quod verò plerique tamen nuptias ambiunt, humanæ imprudentiæ tribuatur, diuinæ prouidentiæ cõditoris, qui ne deficerent genera incẽsam cupiditatem corporibus immiscuit, vt se inuicem appeterẽt mares & fœminæ, & mutua cõiunctione gauderẽt, eo maiorem indidit voluptatem quo coniugij societas difficilior erat necessitas seruãdi genera per propagationem maior. Alioqui quis vnquam in eos se fluctus sæuissimi maris prudẽs daret? aut quæ mulier perpetuam seruitutem auro cõpararet dote sępè ampla? Nota sunt & vulgata, quæ Christi Apostolus Paulus de nuptijs, deque virginitate, de scripto testata reliquit: neq; hoc loco inculcanda. 1. Cor. 7. Ac nefas quidẽ diutius vestra patientia abuti, ad honores potius transeamus, quoniam periculum est ne eo obiecto oculis splendore decipiamur. Honores tum celebritatem nominis intelligimus, tum magistratus & dignitates. De vtrisque dicendum est. Et quidẽ nominis celebritas & gloria à virtutib. nata contẽnenda non est, contra in præcipuis vitæ bonis ponenda, quæ præclara ingenia acuit, & in officio reddit homines vigilantes. Præclarè Maro vt omnia. *Sed famam extendere factis, Hoc virtutis opus.* Quoties enim quisq; se pro patria & religione discriminis offerret, cõmunem vtilitatẽ propriæ anteponeret contemptis vitæ iucunditatibus in sapientię studia incumberet, alias ingenuas artes coleret, nisi prius ad spem immortalitatis incitatus? Repete veteres annales, euolue antiquitatis memoriam atq; explica, fortissimos duces, prudentes, legislatores, præstantes philosophos ex hoc fonte inuenies extitisse gloriæ cupiditate. Et quantũ est nomen inserere famæ & æternitati, post fata omniũ seculorum & gentium prædicatione celebrari? Hęc constans & solida gloria est, quæ morte nõ aufertur, maior è cineribus surgit, quo minus mors propterea timenda est. Inanis gloria quę populari fauore & amentia concitatur, ea porrò contemnenda est. Neq; enim sapientis est habere ex aura populari suspensas vitæ rationes & multitudinis iudiciũ sequi leuissimæ & incõstãtis, quæ dolo & fraude sæpè circumuenta summis laudibus celebrat, quos constat flagitijs & improbitate fędos. Sic Iouem, Venerem, Martẽ cęteros deos delusa antiquitas

quitas cōſecrauit. Hæc poſt mortem plerumque cadit, & quaſi nebula diſſipatur ad veritatis lumen, cadente errore populari, qui tantiſper laude celebres erant quaſi viri præſtantes atque præclari, non à ſapientibus modo, ſed ab vniuerſa multitudine vituperantur. Neque enim tam benè cum noſtra natura agitur, vt quæ recta ſunt, omnibus placeant, flagitia cunctis diſpliceant; neque tam malè, vt prauum iudicium ſit diuturnum. Sæpè multitudo amore pulchritudinis allicitur, vitia deteſtantur, quorum tanta eſt turpitudo, vt ea vel ſectatores auerſentur. Verùm inani gloria profligata ad honores & magiſtratus veniamus. Purpuræ ſplendor multorum animos allicit. Magnum putant in faſtigio collocari, ex vnius arbitrio multorum rationes pendere, turba clientum & ſalutantium impleri atria. Cùm procedunt, omnium ora in ipſos conuerti, à cūctis ordinibus ſalutari, & quaſi delapſos de cælo heroas haberi maiores conditione mortali. Præclara hæc ſunt, & quæ inexpertos facilè fallant primo aſpectu. Si propius accedas, ſub fulgore auri ferri rubiginē latere videbis. Multa illis non licent quæ popularibus. Somnum extēdere non vacat, ne fatigato quidem corpore: In ſeceſſum ſe condere, ruſticari, amico otio tantiſper frui: multo minus peregrinari, ac quicquam aliud ſuo arbitrio facere. Nullum ſecretum liberum eſt, in omnium luce facta, dicta, cogitata etiā verſantur. Magna ſeruitus magnus eſt honos. Quàm miſerum nihil poſſe arbitrio ſuo facere? Audienda ſunt multa hominum millia, alienis negotijs vacādum. Ex quo ſe quis aliorum cōmodis addixit, ſibi tranquillitatem eripuit. Siderum inſtar quæ irrequieta curſus ſuos perpetuo peragunt, neq; quieſcere poſſunt, neque ſibi vacant. Gemunt illi quidem ſub onere, oculos mentis in amicam quietem conijciunt, neque poſſunt tamen innexi cōpedib. & catena, aureis quidē non min⁹ tamē moleſtis. Multi honores vituperant, repudiant pauci. Pleroſque ambitio tenet, ſæuum atque impotens malum, alios vitæ & fortunarum periculum terret ab infenſis ſi exuāt poteſtatem. Omnibus enim in magiſtratu quî poſſent placere? Interea animus varijs & contrarijs iactatur motibus, nunquam ſibi conſentiens. Itaque Auguſtum inuenio, cùm imperium deponere cuperet, neque liceret eam vigiliam tuto cuiquam tradere, ſe tamen otij cogitatione, quaſi intereſſet onere depoſito, ſolitum oblectare. Quis ergò amplius mortem accuſet, quaſi ſpoliet poteſtate, cuius expertes admirantur fuco decepti, qui experti ſunt, quaſi moleſtiarum cumulum deteſtantur. Quid metus perpetuos dicam, animum cruciantes anxietates? Vident ſanè

Summis eſſe negatum
Stare diu nimioq; graues ſub pondere lapſus

Faſtigio iunctum præcipitium videt. Vnde voces illæ quas ſolicitudo expreſſit?

Quid me potens fortuna fallaci mihi
Blandita vultu ſorte cōtentum mea
Alte extuliſti? grauius vt ruerem edita
Receptus arce, totq; proſpicerem metus.

Prudēter quidam ſi ſub regio diademate, qui labores, quæ curæ lateant, videre mortales poſſent, in medio abiectum & expoſitum, tolleret tamen nemo. Effeciſti quod erat propoſitum, Caſtellonius ait, vitæ commoditates non eſſe tanti, vt mors propter eas ſit magnopere vitanda. Quę magnas vires coniunctæ habere videbantur, aduerſus ſingulas pręclarè pugnaſti. Sic multa in hac vita terribilia poſita ſub vnum conſpectum ſunt, quæ ſeiuncta contemnantur.

An quid aliud dicendum ſupereſt? & multa quidem, inquam.

CAP.

CAP. III.

Quotidie morimur.

VEteres tum philosophi tū theologi geminos ab ortu Genios singulos homines comitari sensêre bonum & malum, illum in salutem & tutelam, alterum, qui prauas species menti ingerat, nosque impellat in exitium prauus & inuidus. Falsò, inquit Castellonius, id affirmatum audio, neque diuinis libris consentaneè. Non contendo, inquam, illud certè negare iure nemo poterit, ab ortu & die natali instare singulis mortem quasi malum à tergo genium, ossibus & neruis imposito cranio pennis volucrem propter celeritatem runcina præacuta armatam, qua demetit vitam à primo die exorsa, neque cessans ad exitum. Feræ & inexorabiles sorores lanificæ parcunt nulli. Infantiam pueritia trudit, hanc adolescentia iuuentaque. Imò dies diem aufert, & in horas singulas aliquid de vita decerpitur. Hanc ipsam, qua viuimus, horam cum morte partimur. Quo minus mirari debeam, quod exhauritur semper, decrescere, finiri, ac consumi tandem. Neque enim clepsidra, cùm postremo stillauit, ne marsupium quidem exinanitur postremo obolo detracto, sed toto tempore quo decolauit humor, impensa pecunia est. Cunctorum quæ in fluxu sunt ea est conditio, vt non vno impetu pereant, sed longo tempore. Ita si verè loqui volumus, vita continua mors dici debet, falso in speciosum vitæ nomen inuasit; ac quæ mors vocatur non mors, sed finis potius moriendi est. Quocirca non omnino imprudenter gens illa quæ editos in lucem fœtus lachrymis prosequebantur, in suorum morte quasi labore finito instaurabant ludos, tripudia atque conuiuia.

Thraces.

His consona Theognis Siculus & Euripides Tragicus, *optimum fore hominem non nasci, natum certe redire continuo ad inferos*. Græca non affero, quoniam ea Theodoritus posuit de curandis Græcanicis affectionibus libro quinto. Quid mirum tamen, eo peruenisse nos quo ab initio festinamus, tempore quasi quadrigis abrepti, quo velocius est nihil. Romam contendis, quid doles Romam peruenisse? nisi fortè sicarius & latro exhorres patibulum meritis & vitæ consentaneam sortem. Alioqui deme culpam & inferos, naturam tantum specta, nihil est quod ad exitum accedere magnoperè debeat esse molestum. Fluit tempus & præcipitat, ante desinit esse quàm venit, & verò quid instans tempus est, nisi indiuiduum momentum. Nam præteritum abijt, futurum nondum tenemus. Acute Græcū epigramma, nos in horas & momenta nasci ait.

Νυκτὸς ἀπερχομένης γενώμεθα ἦμαρ ἐπ' ἦμαρ,
Τῦ προτέρου βιότου μηδὲν ἔχοντες ἔτι.

Velocissima res tempus est, non magis moram patitur quàm sidera conuersione perpetua circum terram rotata, neque vnquam consistentia ijsdem vestigijs. Quid cunctamur, quid cessamus? Nisi occuparis fugit, dum occuparis fugit. Cum celeritate temporis vtendi celeritate certandum est. Ex rapido torrente ac mox desituro hauriendum est, in eandem aquam bis descendere nunquam licet. In tanta temporum fuga quid securi longa nobis vitæ spacia stulta cogitatione promittimus? Plerique prius ad extremam metam peruenerunt, quàm se sentiant è carceribus egressos. Quod non temporis culpa & festinatione contingit, sed etiam multiplici negotiorū mole: quod ipsum viatoribus vsu venit gratis fabulis fallentibus iter molestiamque, citius opinione peruenisse sibi videntur ad hospitium, ad vrbem. Ipsi etiam vitam profundimus. Quid.n. vita nisi quo viuimus tēpus? in ludicris illud otij sæpè impatiētia

iocis

iocis & ludis, in amicorum gratiam consumimus pecuniæ auari, quam A largiri æquum potius erat, temporis prodigi quasi de alieno liberales. Quoties noctes, diesque esse prolixos accusamus? hyeme ver expetimus, in æstate autumnum. Quid longam vitam expetimus de vitæ partibus re aut voto semper decerpentes aliquid? Et alioqui Deus nobis vrgentis quotidie mortis sensum eripuit, ne languesceret industria, & concideret penitus. B Eleganter quidam:

Agnoscere solis
Permissum est quos iam tangit vicinia fati,
Victurosque dij celant, vt viuere durent,
Felix esse mori.

Sic incogitantibus nobis obrepit C mors sub vitæ nomine fallax. Attentionem nos ita debemus excitare, vt stimulet ea memoria ad peragendum gnauiter cursum vitæ præclaris factis viuentium officio functi & mortis laqueis, quoad fieri poterit, exempti nominis immortalitatem consequamur, qui secũdum diuina vitæ maxim⁹ fructus est. Nulla re maior inuidia morti fit quàm D tanti tyranni contemptu; præclaris operibus memoriam æternitati consecrare magnum. Et verò quid non contemnamus quod naturale est omnibus? ex ortu obitus pendet. Sapienter qui nunciata filij morte Anaxagoras: Sciebam, inquit, me genuisse mortalem, ex quo natus est, semper de interitu cogitaui. Quid mirum frangi vitrum, florem marcescere? E Illud potius mirabile, si decorem multos dies cõtinuaret. Quid non contemnamus quod est tam familiare? Quotidie in oculos incurrũt funera nostrorũ, alienorũ. Nulla est domus luctu vacua, ne regia quidem, quæ dementia est, domesticorũ ad interitum turbari animo fortunę insolentiam accusare? Mitto vetera Augusti & Tiberij aulas, in quas non minus diua illa cæca quàm in priuatos, neq; minus sæpè desæuijt. Ferdinandum Catholicum Regem intuere, in magna felicitate filium Principem amisit in ipsa fermè lætitia nuptiarum, filiam paulò post natu maximam ex partu, quæ proximè ad spem regni vocabatur, emota mente mortuæ quàm viuenti propiorem filiam tertiam in Anglia nuptã perpetuis ærumnis ad mortem vexatã, vnam ob viri improbitatẽ & amentiam. Philippum etiam secundum Hispaniæ Regem recenti memoria quatuor vxores sepelijsse vidisti, magno numero filios sublatos, inter alios stirpis maximum Carolum Principem in spem paterni regni natum educatumque. Quæ Regibus nõ parcit, eam in casas & gurgustia irruere miraris? Non tantũ vrget & aliquid quotidie aufert, sed & afflatu quodam diro & quasi veneno cuncta inficit & nobis facit, vt sint mortifera. quod amplius mirere, ipsa quoq; vitæ præsidia, voluptates sine quib. vita non traducitur, otium, negotia, cibus & potus, ludos, exercitationes, quibus corpus vegetatur, lethalia cũcta mors facit. Sæpè morborum & mortis causæ existunt. Ab epulis cruditas existit, crapula neruos frangit, libido corpus simul & animã. Si condas corpus intra thecam cedrinã, sua se tamen mole conficit, & insita tabe computrescit. Quid sanè mirum, si finis cum origine consentit? eo festinamus, vnde sumus in hãc lucem egressi. Ante cẽtum annos in tenebris iacebamus nondũ editi, nondũ concepti, magnum est, si in easdem tenebras reuoluimur, quod spectat quidẽ ad corpus, nam de animo alio loco dicendum est. Innumeros annos in eo quasi naturæ vtero delituimus sine vlla nostra aut nostrorũ querela, sine vllo malorum & acerbitatũ sensu, sine vllis iucunditatibus. Quid malum si natura quasi pertæsa nostrę imbecillitatis, in eundem nos statum, eandem conditionem reponit? Argila inter figuli manus sum⁹, fingit refingit, mutat, transmutat,

vt visum fuerit, in varias formas, ac tandem ad informe lutum quasi operis pertæsus reuocat. Quid primo conditori præscribimus? sapere satius est, & diuinæ manus sequi ductum. Leuamen in calamitate magnum non reniti: quod necessario ferendum est, libenter etiam ferre. Sic contumelia fit necessitati, & de naturæ lege triumphatur. At graue est non peruenire, quo alij ad extremam ætatem, in ipso cursu siue iucunditatum, siue honorum extingui. Ad priorem amentiam recurris, neque à consuetis auocas animum. Nimirum populari opinione deceptus vitam putas, quæ mors potius continuata haberi debet, longum tempus, quod volucre & momentaneum, vitæ huius sinceras esse iucunditates, quæ amaritudinis plurimum admixtum habent. At in media ætate rapior. Si tecum amice natura voluit partes facere, quid quereris? cum potentiore ex æquo diuidere molestum non est. Age potius gratias quod reliquit aliquid, qui suo iure totum sibi arrogare potuit. Multo plures sunt qui ad istam ætatem non peruenerunt, ijs qui superarunt. An velis præ cæteris eximius esse, tibi vitæ ornamenta omnia arrogare, opes, nobilitatem, pulchritudinem, valetudinem firmam, innumeros etiam annos? magna quamuis importunitate & querelis, nihil impetres tamen, nisi vt te amplius conficias. Fatum seu vis maior inexorabilis est. In aurea potius mediocritate consiste: istam animi vastitatem, quæ te excruciat, rationis fræno compesce.

(.·.)

CAP. IV.

De vitæ breuitate.

PErgebam plura concitata oratione in eandem sententiam congerere, cùm Decanus tacto molliter brachio, dicentem inhibuit, præclarè inquiens, & acutè de vitæ conditione disputasti, de mortis iure seu tyrannide in mortales omnes, sed quæ multitudini probare non possis. Ad sapientum prudentiam à multorum imperitia prouocas? Sed ne philosophis quidem probabilia ista sunt. Mortem cuncti exhorrent, vitam cupiũt propagare docti, indocti etiam miseri, & quibus angusta domi res est, ea cunctis votorũ summa. Communem omnium sensum velle conuellere arduum est, neque proficias tamen. Ad hæc ego, video & fateor cum horrendo monstro esse luctam vulgo multorum capitum bellua. Non chimera non Briaræus centimanus, non sphinges conferantur aspectus fœditate & feritate. Multi etiam ex eorum numero, qui prudentes habentur, inducti persuasione vulgari falluntur & fallunt. Hos à tenebris ad lucem, à mendacio ad veram viam traducere quàm est arduum? Non est tamen desperandum, fortasse non canimus surdis, neque cæcis præferimus facem. Si multi repugnent, non deerunt sanæ mentes qui veritatem sequantur errore repudiato. Quod si votis & spei par successus non contingat, vos ipsi instar pleni theatri nobis eritis, vobis & musis canam. Sequitur de vitæ breuitate disputatio eò pertinens, ne magnum aliquid morte detrahi conqueramur. Velocius cursore tempus transuolat, vt diuini libri testantur, sagitta celerius magno nisu ab arcu excussa. In has angustias nos Deus seu natura coniecit. Vix cepimus, cùm finis vrget importunus exactor. Vix

deliba-

delibauimus prima iuuentæ gaudia, & senectus horrido aspectu, odiosaque in foribus adest. Considera longissimam vitam centum annorum spatio certè descriptam. Diuide in partes & caput retro refer ad præterita spatia: quam breui annus circũagitur, imò dicto citius abeũt decem anni. An credis multos tibi similes annorum numeros superesse? aut verò qui supersunt anni, longiores exactis fore? imò breuiores apparebũt, ex quanto æqua spatia descensu facilius quàm ascensu peraguntur. Postremæ ætatis annos velociores quã prioris iudicamus. Iudicij eius causam explicare non est necesse, res ipsa indicat. Quid verò si cum æternitate præsens æuum conferas. Decem annorum millia instar puncti Simonides esse dixit relata ad æternitatem. Sic Plutarchus, quid vita nostra? certè ne centesima quidem indiuidui puncti: stultum magnum putare quod præ exiguitate vix mente percipitur. Quod si quantum temporis datum est breue, quamuis & angustum spatijs, id totum in officijs vitæ poneretur, haud paulò longior vita nostra esset, nunc pars multo maxima in inertia desidiaque transigitur nullo fructu. Institue rectè rationes, temporis partes & ætatis ad calculos reuoca, mẽtior nisi dimidio amplius detrahi nobis incogitantibus inuenies. Neque enim somni horas vitæ dabis, qui imago potius est mortis: quo tempore sine prudentia, sine sensu iacemus lapidum instar. Curationi corporis tempus datum adiunge, quo vix à brutis animantibus discrepamus voluptatibus, epulis, potu otioque mersi. Infantiæ & pueritiæ annos deme, quando ratio & prudentia, qua sumus homines, in illis locum non habet. Quod in rebus ludicris amicorum negotijs ponimus, in hoc numero colloca. Nemo enim qui sibi, qui rebus serijs & homine dignis non vacat, viuere dicẽdus est. Horum omnium capitum subducta ratione, vix quarta ætatis pars nobis relinquitur, quæ vitę adscribatur meritò. Illum creditis viuere, qui totos dies residet in theatro, dies noctib. inani voluptate continuans, qui spectator puerorum rixantium, pugnãtium taurorum, qui in vino & epulis, qui in concinandis vasis, inspiciendis depictis tabulis vitam & pecuniam consumit? Aegritudo ea animi est, quæ quiescere non sinit, torquet in omnes strati partes febris ardor, non vita. Vna extendendæ vitæ ratio, & via à magnis viris ostensa, à paucis arrepta, si acriter in honestatis studia incumbamus. Labenti patriæ succurrere, eruditionis & prudentiæ opes cõstruere magno atque perpetuo nisu, nullam nobis in hoc stadio dare requiem, id viuere est. Vita profectò actio est aut cum actione coniuncta: inertia cum morte computanda. Vince voluptates, diuitias sine auaritia, honores sine ambitione quęre, cum prauis animi affectibus pugna. Vnum quemque diem agmen claudere & vitam puta. Lætus nocte & quietus dic. *Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi.* Crastinus si accesserit in lucro pone, lætus accipe, nouam diligentiam excita. Quacumque ætate hæc perfecisti, diu vixisti: etiam si moriaris iuuenis, ad vltimam senectutem processisti. Si contra, vt vita sit longissima in primo limine deficis. Nauis diu ob reflantes ventos circa eadem loca & scopulos circum acta non multum nauigauit, sed multum iactata est. Sic imprudentes sæpè homines cum multa moueant, parum promouent, multiplici quamuis negotio iactati, questus tamen labori non respondet. Non est ex se vita breuis, nos angustã facimus tẽpus insumẽtes malè. Diuitiæ homini frugi copiosæ & redũdantes prodigẽti nõ sufficiunt. Sic neque homini inepto vita quamuis longa, quasi imprudentiæ seruire debeat, & non potius necessitati, vt in corpore stomachus alimẽto sufficiens, voluptate labefactatur. Vides in tua manu situm, vt

vitam extendas, quam volueris longissimè, & quæ nullius ad arbitrium A preceſſque mouetur ſæua & impotẽs mors, virtuti tamen & diligentiæ concedere. Sic nihil refert, vt vita ſit longa, quantum temporis detur, ſed quantũ in honeſtate & actione præclara proficiatur. Alioqui præſens tempus breuiſſimum eſt, vſque eo vt pleriſque nullum videatur: ſemper in curſu eſt, & per momenta tranſigitur. Fluit rapiturque in præceps, ante B deſinit eſſe quàm venit. Quæ ergò magna iactura, ſi aufertur quod diſcrepat parum a nihilo? Opinio nos agit tranſuetſos, quæ ſunt vilia quaſi pretioſa magno æſtimamus. Animalcula quædam in Põto naſci perhibent ephimera ex eo dicta, quod vltra diem vnum non viuant. Exorta cum ſole, eo cadente occidunt. C Flores quin etiam cęruleos liliorum ad inſtar nouimus molliculos & venuſtos, exorti ſolis vix tres horas vaporem etiam in vmbra ferre. Finge illis ſenſum ineſſe animalculis, non minus lamentarentur & dolerent, ſi quod ſuorum in meridie deficeret, quam nos lugemus mortem noſtrorum, cùm in media rapiuntur ætate, tantundem in floribus dicito. Num D foret magna iactura dignaq; lachrymis? non planè, ſed praua æſtimatio deciperet. Sic nos quod parum eſt, magnum putamus, ea nobis perſuaſio præpoſtera imponit. Sed & inſectis animalculis, muſcis, culicibus, vnius æſtatis vita eſt, canibus, equis, iumentis, annorum viginti. Vix nos adoleſcentiam egreſſi ſumus, cùm ea animalia præ ſenio ſunt inutilia. E Malè facerent ſi naturam accuſarẽt quaſi anguſtiores illis quàm hominẽ viuendi fines deſcripſiſſet. Neq; minus ſtultè querantur homines, ꝙ cerui & cornices diutiùs quàm ipſi vitam omninò ad trecentos annos propagent. Nobilior leone ceruus nõ eſt, aquila cornix, tametſi ad plures annos vitam omnino producãt. Quod dictũ eſt de generibus, ad ſingulos refer, imprudẽter conquerun-tur quibus vita breuior alijs contingit. Sua cuiq; ætas eſt à primo ortus deſtinata die nec mutari à quoquam poteſt, nec extendi à quoquã à cælo deſcriptum tempus. Quid nos prauæ opiniones ſolicitant? Eleganter quidam:

Fatis agimur, cedite fatis
Non ſolicitæ poſſunt curæ,
Mutare rati ſtamina fuſi.

Fata, inquit Caſtellonius, diuinam ſententiam Chriſtianorum in morem intelligis. Stoicorum ab ſtellis, & nexu cauſarum perpetuo inuectã neceſſitatẽ certè reijcis. Breuem eſſe vitam dilucide confirmaſti, num in ſua breuitate eſt conſtans tamen & fixa. Verbum, inquam, ex ore eripuiſti, de ea re diſputare volebam. Atq; explicare quod quotidianis vitæ experimentis notum eſt, in ea breuitate tamen & anguſtia cõſtantiæ nihil eſſe. Alios mors rapit in cunis nulla neq; vitæ neq; mortis laude, minori ſuorum deſiderio & luctu. Minus .n. deſideramus, vnde parum gaudij lætitiæq; extitit. A matris vtero in naturæ ventrem, vbi tandiu delituerãt, & tenebras non exiſtentium rerũ citato curſu recurrũt. Multos abſumit adoleſcentia iuuentuſve, vigor ætatis & imprudentia facit, vt minor ſit cautio facilè ſe in pericula conijciãt. Sic multi in ea ætate pereunt, vt pro magno ſit ad maiorem ætatem euaſiſſe. Si benè computes, ratione inita vix è centum natis vnus ad ſenectutem procedit. Spei caducæ & incertæ quis fidat? quis iniuriam factam ſibi magnã putet, ſi pauci & incerti dies, quot cadebant in eam ætatem, præciſi ſunt? Fructus prædij futuri, quod ſpes ſæpè fallat incertiq; ſint, minoris ęſtimantur, quàm qui peruenerũt ad frugem. Iura in hæreditate quãuis ampla ſuccedendi, quia incerta eſt, magnæ circũſtant labes, non magni fiunt. Viuendi fines incerti ſunt, ancipites, dubij. Sed & vita ipſa quanta fragilitate imbecillitateque? Frigidæ potus multis animam eripuit, tenui aura al[i]j afflati perierunt, quæ iucun-

dillima

dissima erant, plurimis conciliarunt mortem, cibi, ludi, conuiuia, voluptates sæpè exitiales extiterunt, nō dolor, sed lætitia aliquādo intempestiua & repentè irruens, quasi ferro hostis spiritum expressit. Placidus alioqui affectus nō minus quàm prædones in vitā aliquando grassatur. Duæ matres Romanę post cladē ad Thrasimenum in complexu filiorū, quos mortuos credebant, expirârunt, gaudium excussit animam. Mitto idem passos complures alios. Verè Gręcus & meritò.

φεῦ προφάσεων οὐκ ἀπορεῖ θάνατος.

Non vitrum æque fragile atque nos sumus. illud nisi ictum non corrumpitur, si condas, si cautio sit, diu seruatur. Corpus quamuis diligentiam adhibeas, sua se interna tabe cōficit, & proprio pōdere fatiscit. Plus habēt pōderis ad ruinam, quæ sunt cæteris valentiora. Quis ergò vitæ fidat? quis in morte magnam putet fieri iacturam? solida & constantia miramur, spernimus quamuis specie eximia caduca. Inspice gemmas, specie venustiori sunt multa, certè rosæ, violæ, lilia vincūt odore, & salutari virtute. Contemnūtur tamen præ illis, quod cito flaccescūt & pereunt. Inter gemmas ipsas opalus seu pæderos maiori pulchritudine propter colorum gratam oculis varietatem, paruo tamen emitur, quod sit friabilis natura, constantes aliæ & perpetuæ. Verè qui dixit: *Non est magnum re, quod tempore est paruū.* Diuturna flaxis semper pręferuntur bona.

CAP. V.

Vita precario datur.

QVidquid in præsenti fulget, opes, honores, potētia, liberi, cliētes, fœnus, prædia, seruitia, forma ipsa & nominis claritas ex incerta & mobili cuncta sorte pendent: neque diu eodem loco persistūt. Quasi congestis aliunde & collatitijs aulæis & peristromatis nuptialis dom⁹ ornatur. Auro illusam acuq; pictam vestē paulo post repetet dominus, nisi cōtinuò reddis, conuitio. sola virtus datur mancipio & propria est, neq; nisi possidentis culpa detrahitur. Cætera vitæ ornamenta, atq; adeò vita ipsa precario datur, nullo definito possessioni die, vsus tantùm noster est, nunquam dominium. Malus est debitor qui cūctatione excusationeve soluendi quod debet, creditori molestiam exhibet: neq; se spoliari reb. commodatis permittit, nisi de tribunali citatus. At illud certè proteruia meretur, vt auferat alia omnia Dominus quæ dedit commodato, neq; amplius quidquam credat ingrato. si quæ possidemus quasi aliena identidem aspicimus, & in memoriam debitum reuocamus, ea cōditione data vt reddamus, neq; ad nostrū arbitriū sed ex volūtate mutuantis, min⁹ molesta exactio & redditio erit. Admissus precario in hanc vitam quasi in alienam domum, quid recusas exire ingrat⁹ iuxta & proteruus? quid quereris, quid recalcitras? Tua culpa est, quod inconsulto domino in aliena area domicilium proprium constituere voluisti superba extructa domo. Festinādum potius, vt quæ facto opus est cōtinuo peragantur. Sic vitæ quamuis breuis fructus sit maior. Nullus dies, nulla hora secura est. vrget mors à tergo factura aliquando, quod quotidie minatur, importunus exactor est, sed suo iure, neq; vlla mouetur prece. Quo minimè vellemus tempore, nec cogitam⁹ quidem, appellat, extorquet. Hac lege nati sum⁹, hac geniti. Mortales nascimur fato obnoxij, alius incendio perit, fluctibus mergitur alius, hūc perpetua valetudo, illum conficit ægritudo, quā multos bellum, ferrum, pestisq; aliæ sexcentæ, vnus est aditus quo in hūc mundum ingredimur, innumeri exitus. Alij in prima ætate, alij in media, pauci in extrema, omnes citius opinione atq; voluntate, nō ex censu, non ex ætate citamur, vna omnes lege. Breuitate vitæ id fit, & quoniā stulte nullo præstante lōga nobis vi-

vides

uendi spatia pollicemur. Quæ si concedantur, nihilominus molesta erit hora fatalis. An senes decrepitos nō vrgēte fine paucos dies expetere, vitæ commodiorem formam promittere, catenus nō vixisse fatentes? Qui tamen si conualescăt, nihilo meliorem vitam instituant. Praua consuetudo rapit altis stabilita radicibus. Circunspice toto orbe singulas domos & familias, multo plura immatura funera, quam sera deprehendes. In regijs qui nascuntur in spem magnæ fortunæ plurimi in minori ætate discedunt, pauci perueniūt ad frugem, siue propter aulæ delicias, mollesq; fœtus, eoq; morbis obnoxios & iniurijs temporum; siue quia in fastigio aduersi casus notantur, priuatorum funera sæpè latent. Quin potius integras vrbes in Hispania & per vniuersum orbem perijsse constat, vt ne vestigium extet; quasdam breuiori tempore, diutius alias stetisse, prostratas tamen omnes vetustate, aut aliqua alia iniuria. Vbi nam Numātia gentis Martiæ terror, vbi Corinthus, Athenæ, vbi Carthago imperij Romani æmula? Instaurare ædificia non contingat, nisi euersis prioribus. Sic Deus quasi orbis faciē nouis structuris illustrare vellet, nunquam cessat arces oppida euertere, pro euersis substituere alias. Hæc est enim lætitia viæ eius, vt rursus è terra alij germinentur. Hyemis horrore pereūt herbæ, arbores foliorum nudantur honore, niuibus & pruina agri rigent. quid id? vt verè recurrēte maiori gratia terræ facies reparetur. dextra læuaque vrbes integræ & regna iacent, nos homunculi tragœdias cōcitabimus, si quis nostrū præter spem, præterq; votum abreptus est? Quæ videbantur æterna, conciderūt; qui ex argilla cōpacti sumus & luto, volumus esse immortales? Quin nos homines natos esse recordamur, humani à nobis nihil alienum, morbos, calamitates, mortem quacunq; ętate. Hac ipsa hora, qua hæc dicimus, quot locis & quàm multa efferūtur funera? extinctos prosequuntur fictis lamētis neniæ, veris amici & propinqui lachrymis. Iūge cogitatio, quæ locis sunt dissita minori, credo, cum multis anxietate occumbes. Mali societas, pereuntium turba cladem singulorum leuiorem facit. Leuat dolorem communis quasi legis & humanæ conditionis recordatio. Nemo se eximiū præ alijs putet, & quasi è sublimi loco irruentem in socios cladem aspicere. Tributum à natura ipsa impositum libēter pendito, minor erit molestia si solutio voluntaria, nulli est immunitas; ex æquo omnes fatalis necessitas premit. Scite quidam:

It cuique ratus prece non vlla
Mobilis ordo: multis ipsum
Timuisse nocet: multi ad fatum
Venēre suum dum fata timent

Agnosco debitum, ait ille, tributum nō nego neq; retracto nomina, vellem tamen seriùs aliquanto. Ab alijs incipiat exactor, appellet alios. Non in tuo i l arbitrio situm est, necessitas tantum obtemperādi incumbit, quid tibi alienas partes arrogas? si tuæ voluntati solutio permittatur, nūquam erit tempus opportunum. Senes ob imbecillitatem sensus molestius quàm iuuenes cedunt è vita. Quin etiam ex ætate lōgæua multos mentiendo detrahunt annos, quasi habituri solatium de mēdacio. Cùm fallūt socios, a n mortem etiam possint fallere? Tuum non est viuendi fines describere. Obtemperato tātùm præcipienti. Si sponte benè & prudēter, si coactus, ægritudo maior erit, neq; resistas tamen. Mutuo data vita est, nullo ad dantem redituro fœnore, non queraris quod repetitur, id enim ingrati animi est; age potius gratias quod tandiu possidere cōcessum est. At vellem in ortu denūciari mihi, qua lege nascerer. Fortassis nasci in eam vitam ijs miserijs obnoxiam recusarem optione data. Stulta ea cogitatio est. Præstat habuisse aliquando, quam diuino semper dono carere, quod mutuo, quod commodato datur donum vsu iucundū est, quamuis

uis reddendũ danti ex eius voluntate. Quod si tibi ea lex denunciata in ortu non est, quod sensum non haberes; qui tuas vices gerebant, parentes eam non poterant ignorare, liberos se habituros mortales, morti & morbis obnoxios nullo circũscripto fine. Non ergo naturam accusa, non necessitatem, parẽtes potius qui cognita nascendi cõditione cupidissimè tamen & iungi connubio, & liberos tales gignere voluerunt, atque ita vt vitam omnem iniucũdam putarent, nisi suscepta sobole in spem quidem longæuæ ætatis & vitę fallacem tamen sæpius quàm veram.

CAP. VI.

Multis diu vixisse nocuit.

INter hæc sermo producebatur. Socij, qui in villa remanserant, mirati nostram absentiam ludis relictis se nobis aliquanto numero adiũxerunt auidi sciendi, de quo argumento tam prolixa cõfabulatio esset. Tũ ego: oratio nostra temporis lætitiæ conueniens non erat. Sed ne nihil ageremus, de morte cœpimus disputare, quam subire omnib. necessum est, & de qua his dieb. multa eram in hoc secessu commentatus. Atq; illud postremo confirmabam, vitam non mancipio datam cuipiã, sed precario omnibus, eoq; malè facere qui præproperè aduẽtare finem queruntur, soluereq; naturæ debitum recusant quasi mala nomina. Non pauca erãt tamen reliqua, quæ si placet in aliud tempus sustentemus. Imo perge subdit Decanus. Ad solis occasum vna ampliꝰ hora superest, multæ si essent, in qua alia re melius collocarentur? Cui sermo molestus erit, ad alia is diuertat, per syluam, per hortos expatiatum. Nos quod cœpimus, in eo ad finem pergamus. Post Decani verba aliquot tamen confectis passibus ad putei marginem haud multum dissiti processimus aqua ad summũ marginem pleni, vt redundaret & riuum

A efficeret. Assedimus mox in proximi prati herba viridi vario colore floribus picti. Tum ego quando ita vobis omnibus placet, exequar quę reliqua sunt. Multæ quamuis vitam nostram circunstent ærumnę, maiora sanè pericula & metus exagitant, alij ex alijs nexi & apti. Felices sæpè & beati paulo antè, conuersis rebus de fastigio deiecti in egestate & sordibus vitam agũt. Supremum infelicitatis genus

B id est, miseris, fuisse felices aliquãdo. Alij probitate conspicui & virtutum ornatu, procedente ætate in multas deuoluũtur fœditates, implicantur vitijs, quæ nemo putârat, celebritas nominis benefactis parta, tandem ignominia mutatur. Quid nisi longa ætas Salomonem ea sapiẽtia Regem ijs opibus de gradu deiecit, in eam a-

C mẽtiam adegit, vt se impio deorum cultu extrema ætate contaminaret? Magnum est suo quemque tempore ex hac vita quasi ex hospitio migrare, neque expectare dum trudamur, dum lętitia dolore & calamitate mutetur. Osium Cordubensem Catholicæ profectò diu religionis columẽ, ætatis senilis imbecillitas peruertit, atque ita vt se Arianis coniungeret, Catholicos insectaretur: quo merito

D ad tribunalia, ad quæ cum Gregorio Illiberritano Episcopo de religione disceptabat, repentè collapsus, & inter famulorum manus domum relatus breui expirauit. Miserum est de tanti viri salute dubitari, cuius in Ecclesiam vniuersam extiterãt præclara & immortalia merita. Paucorum annorũ detractiõe eam nominis re-

E demisset infamiã, vt cęlestia pręmia mittantur. Finis non sit commemorandi viros præclaros, qui primis vltima non habuerunt consentanea, Pompeium Magnum, eius æmulum & socerum Iulium Cæsarem, Catonem, Scipionem à deuicta Carthagine cognomento Africanum. Miraculi instar, vitæ iter si longum, sine offensione percurrere, mare diu sulcantem nullis iactari procellis. Omnia vitæ bona lubrica & incerta

Osius Cordub.

sunt. ipsa magnę felicitatis tutela solicita. In hoc inquieto mari alternis æstibus reciproco stabili loco consistere non datur. Fluctuamur & illidimur inuicem, naufragium sæpè patimur. In tanta atrocitate & periculis portum aliquem occupare, prius quàm venti reflantes nauim obruant, præclarum optandumque votis omnibus. Porrò statio tuta nisi in morte hoc mare nauigantibus nulla est. Et verò à multiplici calumnia, ab hostium insidijs, à nominis infamia alijsque malis, quibus vita est obnoxia, quæ cautio nos tutos præstet. In inopia, carceribus, exilio, quot viri præstantes cóclusêre æuum, quidam sontes, quia mores tempus commutauit, innocentes alij mendacio & calumnia victi? Adde pestes alias & morbos varios, qui in omnem ætatem, sed in senes præsertim agmine facto incurrunt, neruorum dolor, pituitæ defluxio, stranguria, disuria, calculus, sexcentæ aliæ pestes: quibus cùm adsunt, vita, qua non morte acerbior & tristior redditur? senectus enim & morbus ipsa est, & ad eam quasi ad portum naues, mala vt quidam dixit, & vt alius ad aram sontes confugiunt tranquillitate & impunitate inuitata nullis qui prohibeât, aut repellant remedijs. Quis decus formæ & dignitatem, qua multi superbiunt, ac mulieres præsertim, ad vltimam conseruauit ætatem. Breui rosa in rubum vna æstate certè, hædus in fœtentem hircum mutatur. Eleganter quidam:

> Τὸ ῥόδον ἀκμάζει βαιὸν χρόνον, ἢν δὲ παρέλθῃ,
> Ζητῶν εὑρήσεις οὐ ῥόδον ἀλλὰ βάτον.

Et rursus:

> Ἐν θέρει ἐξ ἐρίφου τρηχὺν ἔθηκε τράγον.

Fortunæ sæpè obsequia & multiplices voluptates breui deturpant corpus & faciē, vt prioris dignitatis ne vestigium quidē relinquatur. Quasi flos turbine decusus, cùm primos honores & gratiam ostentabat. Nihil est tam fallax & insidiosum quàm vita humana. Si daretur optiô non natis, vt quidam ait, non nasci satius esset, certè quamprimum in naturæ sinum quasi communis matris morte restitui. In media felicitate mori optimum, priusquā ex summo præcipitet. inconstans & varia est, neq; diu in eodem vestigio manet. Illud Diagoræ Rhodij notum ad nūcium duos filios in Olympicis vicisse vno tempore, dicentis, morere Diagora, ne nebula aliqua eam lætitiam obscuraret, scilicet verebatur. Eodem Simeō senex respexisse videtur, cùm viso cælesti infante dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine. Consentanea de Pompeij Magni casu Lucanus:

> *— Sic longius æuum.*
> *Destruit ingentes animos, & vita superstes*
> *Imperio, nisi summa dies cum fine bonorum*
> *Affuit: & celeri prauertit tristia leto*

Vt in fabulis postremus actus, sic in vita pars extrema debet esse pulcherrima, longior an breuior contingat nulla cura. Scitè & prudenter Solon Atheniensium legislator Cræso Lydorum Regi ditissimo roganti ecquem felicem hominem nosset, Tellum ciuem suum respondit, qui filijs optimè institutis pro patria tandem pugnans occubuisset. Ecquem alium? Cleobim & Bitonem dixit, qui matre ad Cereris, quod deessent iumenta, humeris delata magno nisu carpento attracto, ea pro pietate filijs quod optimum esset deam precante, in stratis mortui ipsa nocte reperti sunt. Miratus Cræsus, quod se ea potentia ijs opibus in nullo felicium numero poneret, causamque sciscitanti. O Cræse inquit, vita hominum est vniuersa calamitas. Quod paulo post est confessus, à Cyro spoliatus regno, captus & in ignem coniectus. Nihil felicius quàm in medio cursu felicitatis extingui, sui potius desiderium relinquere, quàm parere longa ætate

Solon.

ſatietatem. Nam quod negotia quidam cauſantur quibus tenentur implicati, & quæ impedita relinquere dolent, vanum eſt. Nouæ quotidie telæ nectuntur, prioribus non explicatis. Inſtar artificum mendacium ſartorum, pictorũ, quo amplius procedimus, & præſcriptũ tempus propius eſt, plura conducimus opera: vt quocũq; tempore neceſſe ſit multo plura quam perfecta inchoata & informata relinqui. Benè nobiſcũ ageretur, ſi per ætates negotia diſtribuerentur, neque plura viribus & vitæ ſpatijs peragenda à nobis ſuſciperemus, neq; rerum tumultu nos obrui pateremur. Nunc contra accidit, maiora onera & molẽ infirmiori ætati imponimus: quæ magna imprudentia eſt. At remittente iuuentæ feruore mores in meli⁹ noua cenſura mutantur annis accedentibus. Improbam adoleſcentiam ſequitur modeſta ætas & grauis. Miracula narras. Rariſſimi cum ætate mores commutant niſi fortaſſe in peius. Non facilè eluuntur colores, quibus lanæ primum infectæ ſunt: retinetque teſta diu odorem, quo primum eſt delibuta. Contingat ſæpè deprauari, qui in minoribus annis modeſti erãt, arreptos naturæ impetu ex ſe ad mala procliuis. Qui prauis à prima ætate moribus maiores facti mutarint pauciſſimos numeres. Non eadem quidem vitia vigent in omnibus ætatibus: inſcitia pueritiam exercet, adoleſcentes libido vexat, iuuenes temeritas exagitat, in ſenibus auaritia & ignauia dominantur. non deſinunt ergo vitia accedentibus annis, ſed mutantur ſæpè in deteriora. Quod ſi ea cura vitam emendandi ſolicitat tantùm ne mori velis, & non potiùs ſimulatio eſt, qua ſe animus ipſe fallit: quid non ſtatim noua cenſura vitia caſtigas, & quod ſtulte tempus effecturum putas, non ipſe (quando cum Deo potes) diligentia & induſtria præſtas? ne ſit opus ſemper noua ſpatia viuendi poſtulare, & quaſi comperendinare litem malam? Sed nimirum merum id ludibrium eſt. Aliud agimus, ſimulamus aliud. Vitam relinquere quocumque tempore eſt graue. & vitia accuſamus quæ deponere nunquam profecto inducemus in animũ. Rationis & prudentiæ vires minores quotidiè erunt, vitia altiores radices agent. Si difficultas in præſenti terret, indies illa exiſtet maior. Quin continuò arrepta runcina mala ex animo extirpas, ſpinas euellis, ſilueſcẽtem an[i]m[u]m interlucas, vna opera melior euades, fatalem horam timendi præpoſteras occaſiones amputabis.

A B C D E

CAP. VII.

Vitæ moleſtiæ.

SED & vita hæc quamuis ad votũ res fluant, quid niſi ſuppliciũ eſt? in cruciatibus perpetuis manere velle quantus furor? Magni vndiq; angores. nulla vitæ pars aut dolore libera, aut metu vacua eſt, aut exempta curis & anxietate. Pueritiã, adoleſcẽtiam, iuuentutem circunſpice, omnia plena malis. ſenectutẽ accuſare non attinet. morborum & moleſtiarum promptuariũ eſt. In eam inſilit agmine facto morborum omne genus, ſenes quaſi inutiliter terram occupent, per vim velint morbi coitiõe facta è vita deturbare. Varij extrinſecus metus vrgent à domeſticis, ab externis, ab amicis & infenſis: multæ moleſtiæ ab inopia, ab aëris intẽperie, à multiplici negotio, à cælo, terra, mari. Sæpè nullo vento reflante ſæui in animo fluctus exurgũt ſæuiſſimæ procellę: & cadente externo malorum impetu acerbior moleſtiarũ tempeſtas intus exurgit. Ipſa ſibi mens carnificina eſt, ſe nulla extrinſecus cauſa excruciat. Nec mirũ Originis vitium luimus, diræque exercent, primo noſtri generis parenti denũciatæ, niſi pareret diuino mãdato fore vt continuò in mortis laque-

incurreret. Non ergo morti obnoxij, quod miserrimum erat, sed continuo corpore & animo mortui sumus. funus ducitur ab ipso ortus die. Videmur quidem respirare tantisper & palpitare; si vita tamen præsens, cum beatiori illa, in qua sumus conditi, comparetur, mors potius quam vita dicenda est. Quid enim mors est nisi commoditatum omnium expoliatio? quid vero reliquum est, si vtrumque tempus rectè expendamus præ ijs bonis quæ fuerant initio benigna Dei manu concessa? Sic Paulus corpus nostrum, *corpus mortis* quodam in loco vocauit, in alio *corpus mortuum*, ait, est propter peccatum. Quæ verò iucunditas ei contingeret, qui perpetuo cadauer complexu gestaret, non diebus, non noctibus onus incommodum fœtorêque deponeret? Itaque mirari nō debemus semper molestias extare, sed posse tantisper in tanto & tam continuo malo sustentare, miraculi instar est. Mittamus Paulum. Orpheus in corpore animū puniri affirmauit. pœna culpam sequitur: quo merito in hæc mala præcipitauimus. Adiecit Aristoteles animi & corporis copulam ei supplicio similem esse, quo Hetrusci olim piratæ captos in mari cadaueribus cōstrictos os ori, manibus manus, pedib⁹ pedes, crudeli planè mortis genere perimebant. Sic sanè de Mezentio Hetrusco tyranno nobilis poëta cecinit consentanea.

Rom. 7. 24
Rom. 8. 10.

Vbi Lydia quondam
Gens bello præclara iugis consedit Hetruscis.
Hanc multos florentem annos Rex deinde superbo
Imperio, & sæuis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infādas cædes? quid facta tyranni
Effera? dij capiti ipsius generique reseruent.
Mortua quin etiam iungebat corpora viuis
Componens manibusque manus atque oribus ora.
(Tormenti genus) & sanie taboque fluentes
Complexu in misero longa sic morte necabat.

Hic molestiarū iugis fons. vt cætera ex voto prospere fluāt, nobis ipsi sumus graues. Quod si iterum odorem aliquando nō sentimus, consuetudini tribuatur, qua stipati sensus fœtorē non percipiunt, nō minus tamen noxium, cum per os & nares cōtagio tetra suscipiatur, visceribus noxia tabes. Sic quæ fore iucundissima inani opinione videbātur, breui deflorata nouitatis gratia amara redduntur. amici iuxta ac inimici molesti sunt, neq; otiū, neq; negotia patimur. instar eorū qui febri ardenti laborant, in omnes nos partes strati versamus ad exiguū ac momentaneū angustiæ alleuamētum. Tetri intus humores vexant, nos ad externa remedia vertimus animos, quasi mutatione frequēti habituri solamē. Quod nusquā erit nisi graui deposita sarcina. *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* exclamat Paulus: *gratia Dei per Iesum Christum.* Rectè: sed & in diuinis beneficijs poni debet, quod tātis malis deus finem morte imposuit. Quam misera conditio nascendi est, & vitæ, in qua vix vlla lætitia est certè syncera, vix vlla respiratio. Diuide in classes genus humanū, vix vnū inuenias sua sorte contentum. Quæ hæc miseria, quæ labes? Diues suorum & externorum perfidiam accusat, litibus fatigatur continuis, in metu perpetuo ac solitudine viuit, ad omnem vmbram pauet quasi latrones & sicarij in eum irruant. beatos rusticos vocat qui ab strepitu vrbano & calumnijs remoti innoxijs & paratis cibis victitant proprio quæsitis labore. Contra inops angust iam rei familiaris vituperat, ex eo sudores diurnos, hyemis & æstatis iniurias. Quotidie ad operis diurni molestias excitari. Aegre labore improbo parare vnde se & miseram familiam alat, contemni à potentioribus, spoliari, bonis omnibus euerti nullo vindice.

Rom. 7. 24
Ioan. 1. 17.

Quid

Quid plebem dicam, artifices, mercatores, operarios? quid nobiles, Senatores, magistratus? quid sacratum ordinem? viros deditos litterarum studijs & pietati? Singulos angit proprius dolor: proprios patimur quisque manes. cuncti suæ vitæ conditionem accusant. multo melius agi cũ alijs quam secum

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Ea labes vitæ nostræ maxima est, quod fere aliena nostris, absentia præsentibus commodiora cogitamus, quæ magna vanitas est. Quod nobis deest ad felicitatem id sentimus, expetimus quod alijs suppetit, eorũ quæ possidemus immemores diuinique adeò beneficij, & quæ alios vrgent ignari. Ita si daretur commutatio, tam cito ad priora recurrent vota mortales, quam leuiter alienam sortem exoptarunt. Temporum iniurias, dispice hyeme frigus, pruina, niues, pluuiæ, venti fatigant, æstate solis ardores, ex terræ ariditate puluis, totius corporis langor, frequens vigilia fugato somno, noxia & importuna animalcula. Nullæ induciæ nullo interuallo contraria nectuntur. vix æstu sedato frigus occupat, vestium in hyeme pondus fatigat, ignis vapor molestus est, ęstate frigida abiecta stragula, arborum poma sæpè nocent morbosque conciliant. non minus remedijs vexamur quam malis. Proh vitæ nostræ rationem profligatam & turpem. Quid verò quod iucunditates, quæ vocantur, vim suam & nomen perdunt, nisi quasi ex condicto molestiæ præcedant. Tolle famem & sitim potus & epulæ, quamuis opiparæ gratiam amittent, & in contrarium vertentur, vt non ampliùs grata sint, sed tormenti instar. ægrotos intuere, eorum nauseam. Ignis oblectat postquam præ frigore riguerunt membra. Plato Deum ait ita bona dispensasse, vt cum ijs mala serie quadam sint connexa & complicata. Neque enim præcedunt tantùm molestiæ, quasi anteambulones, sed subsequuntur etiam quasi famuli alij. Pindarus in Pythijs eleganter, vni bono bina mala tributa à dijs ait:

Ἐν παρ ἐσλὸν πήματα σύνδυο δαίονται
βροτοῖς ἀθάνατοι.

Auidè quis se cibo post famem, poculis post sitim inuitauit, continuo caput & stomachus grauantur; nisi post horas aliquot ad res serias animum applicare non licet. Ergo mala præcedunt iucunditates, easque condiunt, subsequũtur quasi importuni impensæ in cœna factę exactores. Rosa spinis sepitur vt sine dolore & aculeo nõ decerpatur, molestijs vallatur voluptas. Rectè quidam:

Armat spina rosas, mella tegunt apes,
Crescunt difficili gaudia iurgio.

Miseram & profligatam vitæ nostræ conditionem. Ad hæc rixas & iurgia inspice quibus v[...] omnis scatet, lites perpetuas (nullius felicitas sine riuali) multos inimicos, quis enim omnibus placere possit? amicos fallaces, insidias in beneuolentiæ simulatione comparatas, quæ multo nocentiores sunt quam apertę simultates. Eleganter alius.

Ira quæ tegitur nocet:
Professa perdunt odia vindictæ locũ.

[redacted]

[redacted] Vitam omnem mari persimilem dixit Seneca, nunquam quiescit, tumētes semper fluctus concitat, ventorum tantum flatus ex alia atque alia orbis plaga circumacti commutantur. Sic tempora & gentes suas quæque patiūtur labes, non easdem quidem, haud minores tamen. Quod ad miseriam extremum est, inter sceleratos vitam agimus. stupra, adulteria, libidinum licentiam vides, fraudes, rapinas, periuria in foro, p domos, in agris. Fortassis Aethnæ Vulcaniquc incendia præ his flammis leuia duces. Quę verò quies, quæ lætitia & pax in fornace incēsa esse potest? Malo illecebras addunt, molles vestes, varios ornat⁹, cōmessationes, promiscuos virorū & mulierum cætus sæpè pietatis specie, tripudia, venationes taurorum, theatri corruptelis omnis ætas sexusque corrumpitur, adolescentes præsertim & puellæ reip. scilicet seminarium, quos vitijs intempestiuis infici exitiale est. Iam illud quātum quod rebus maximè noxijs maiorē natura inspersit suauitatem? Vincit officiū linguæ magnitudo mali. Stupra omne genus, libidines, spectacula, comessationes, ludi, incredibilem afferunt voluptatem: vt mirum non sit tam multos in mortis laqueos induci. Quod miserrimum planè est, non inter sceleratos modo versamur, sed ipsi etiā, sine multiplici peccato non viuimus. Verùm est enim illud; qui dixerit sine peccato esse mendax est. Fugiunt aliqui grauiora delicta, in leuibus autem volutamur omnes. ipsa etiam naturæ & originis corruptione ad malum impellimur solicitamurq; identidem. Non dies non noctes ab ea importunitate liberamur. qd socij, quid familiares? an non & ipsi inuitant ad malū quasi de aliena ruina habituri solatium? Miseram ac profligatam vitæ nostræ conditionem. Ferenda igitur vita præsens vt importunus hospes, non aduocandus vltro: qui tamē si manet non eijcio, si abit, per vim, nō retento, non resisto.

CAP. VIII.

Mortis laudes.

PRoducebatur lōgius disputatio, qui se de nouo nobis adiunxerāt, alius alia de causa dilapsi iam erant audiendo fessi, siue vt per syluam & inter arbores deambularent. Sol etiam ad occasum inclinabat. Tū Decanus, perge inquit, priusquam abeundi tēpus adsit, quæ sunt reliqua summa explica. Faciam inquam. quod præcipis, multis, quæ dici poterant, præcisis dicendi finem faciam. Ignaras hominum mentes, cogitationes præposteras, quādo quod optimū in natura est, vituperamus detestamurque, mortem: quæ siue felicitati modum imponit, siue repellit calamitatem, siue senectutis molestias finit, siue pueritiam in flore priusquā marcescat rapit, ex æquo laudanda est. laborum finis, malorum remedium, à plerisq; expetita votis, nullius gratia & diligentia placata, sui semper arbitrij, neq; imperio cuiusquā obnoxia. Iudex integer nullis precibus mouetur, non ambitu, non pecunia corrūpitur, quin recta procedat cunctisq; ius suū reddat. Natura cūctos homines exæquauit. vna est omnib. conditio nascendi. fortunæ seu potentiorum tyrānide factum est, vt ex communi quasi cumulo multa occuparint alijs nudatis, qui pari conditione erant nati. Multis probitas & innocentia indigentiam conciliauit. Misera quin etiam vita est. non omnibus sufficit. quod quibusdam larga manu concedit, detrahit alijs prodiga eadem & auara: Sic pleriq; miserā vitam agunt præsidijs omnibus destitutam. Mors exęquat omnia, reuocatq; ad sua omnes principia, naturę insti-

instituta. Hæc seruos in libertatem restituit inuitis quãuis Dominis, neque dato redemptionis pretio. Hæc vinctos & æternis tenebris addictos, compedibus eximit & cathenis, carceris vectes & ferri robora frangit salutari prorsus manu. qua enim morte non foret illa vita acerbior lõgius producta? Mors est quæ exulibus & patria pulsis non referre persuadet, qua quis terræ parte deficiat, vndiq; ad inferos, siue ad cælum parem viã, patriam prudentibus vniuersum orbem esse. Mors est in qua à nobili nõ distat plebeius, nemo in ea opes suas, nemo ignobilitatem sentit, diuitib⁹ inopes pares facit. Apparatu funeris, sepulchri superba structura à populo discrepare satagũt illi quidem, adde annalium memoria. Sed quãtulum id est, quam leue solamen si compararetur cum ijs quæ necessario demuntur diuitibus & potẽtibus, vt fortunæ iniquitate sublata cum aliorum tenuitate exæquentur? Meta laborum mors est, & requies, quo maior tranquillitas, melior. In perpetuo cursu sumus dum viuimus. de velocitate cum ipsa cæli agitatione certamus, neque quiescere vnquam possumus donec ad metam ventum est. Illa operarijs & diurno labore fractis sudorem detergit: de manibus ligonẽ, stiuam, falcem, rũcinam extorquet, neq; ampliùs finit cum luce ad molestũ opus redire. Ad triremes damnatis & remos detrahit & ferri vincula grauia. illuuie perpetua & æternis sordibus corpus squalidum abluit. nautæ tetro odore nares, flagris tergum vibicibus fœdum liberat. nõ ampliùs, neque naucleri, neque piratarum sæuitiam ac ne maris quidem procellas nymbos & pluuias timent, ne malaciæ quidem & æstus longissima tædia, corruptam aquam & fœtidam, insuaues iuxta & insalubres cibos. Quid de militibus dicam? perpetuis periculis, vulneribus, vigilijs, terroribus eximit. pax in morte manet immota, nulla importunitate turbata. lites præterea & commercia cessant magna humanæ felicitatis labes. Quid alia commemorem, quibus fatigantur homines & quorum molestia mors liberat? Sordes in quibus viuimus internis viscerum, externis oppidorum. Vt fera auis aperta cauea sponte euolat, quid ni nos in apertum purumque cælum? sontes quidam intrepide carnificis manum & gladium expectant: nos illis molliores ad fatalis horæ memoriam corpore toto & animo contremiscimus; quæ hæc est & quam pudenda ignauia? Longum esset singula referre. genera, attingere satis habui. Ita mors quies laborum est, neque quies tantùm, sed somnus. nihil somno similius morti. Quod diebus omnibus agimus vt tertiam vitę partem siue sensu iaceamus mortuis propiores quam viuentibus, quid insolens si in eo statu semper perseueremus? Id secuti veteres diuinorum librorum scriptores, *dormire cum patribus* dicebant, qui expirabant. Id etiam secutus Christus seruator *dormire Lazarum* affirmabat qui mortuus erat, Ioan. 11.11.
quamuis in eo alia suberat causa quod ad vitam rediturus breui esset, id enim dormientium est, vt post parum excitentur. Sed sanè morti simillimus somnus est. Eleganter Homerus mortem *somnum æneum* vocauit

ὡς ὁ μὲν αὖθι πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον. Iliad. λ. 241.

Quod Virgilius imitatus, *ferreũ somnum* dixit. Vulgatum & illud. 10. Aenei. vers. 745.

Ὕπνος τὰ μικρὰ τοῦ θανάτου μυςήρια.

Diogenes etiam Cynicus cum fini vicinus somno opprimeretur, excitantibus amicis *Sinite*, inquit, *frater sororem præcedit*. Somnus quo quietior dulcior, nullę post mortem imagines rerum vexant relictę à cogitationibus, quæ interdiu occurrunt; neque stomachum crapula, neque capitis grauedo, tussisue inquietat. Cuncta tranquilla sunt & quieta. Ad finem oratio festinat, neq; abuti ampliùs vestra patientia æquum est:

est: illud si addidero & ipse quiescam. Munitissimæ instar arcis mors, nulla eo iniuria accedit, non exactor solicitat, non creditor importunus. Forense ministerium procul apparitores, lictores, accensi, nulla egestas fatigat nulla penuria. Diuino similis numini mors est, de quo dicitur. *Altissimum posuisti refugium tuum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Nullæ eo calumniæ penetrant, non libidinis ardor, alienæ felicitatis inuidia, nullus conuitio locus, ne infamiæ quidem, verè ἀλεξίκακον in malis præsidium. Ipsæ sepulcrorum insanæ substructiones indicant exemptos omni labe, & iniuria, quos ea mœnia septaque tenent, quod quidam de vita rustica dixit:

Psal. 90.

Horat.

Non excitatur classico miles truci,
Nec horret iratum mare:
Forumque vitat, & superba ciuium
Potentiorum limina.

Si bellicæ machinę, ballistę, catapultæ, ænea tormenta ignitos euomentia cum fragore globos cōferantur, vel pinnam vnam ex ijs mœnibus non deijciant. Non aurum & argentum, quorum ad subruenda mœnia præcipua vis, ad eam arcem penetrarunt vnquam. Superbi Reges minantur, quasi de sublimi loco contemne. Fortunæ quin etiam & molestijs conuitium facito, securus de cætero, vt in te vllum ius habeat. Imò duces inuictos, armatos milites ac vero vniuersos, qui in præsenti terrent, vi sua cū erit visum prosternet, eos etiam suis vinculis constringet, & de eorum superbia fastuque triūphabit. Ne iuncti rebellent, carptim, & singulos imperio suo subdet. Mors omnes expectat quasi lictor, alium alio tempore duci iubet supremus iudex & arbiter. Deniq; mater indulgentissima terra est, quos ex vtero eiecit, eos tandem amplexu fouet. feræ, pisces, homines sub quo cælo nati sunt, in ijs regionibus melius habent quam in lōginquis. Nullum præsentius remedium ægris diuturna tabe consumptis, quàm si natiuo restituantur cælo. Omnes morimur, & quasi aquæ in terram dilabimur, quæ non reuertuntur. Flumina vides magno impetu præcipitare cursum, quo? ad mare. quo fructu? vt in eius complexu & nomen, & aquas perdant, & quasi intereant. Tanti est ad primam originem etiam cum iactura se se referre. E terra ergo egressi, libenter cum Deus vocabit, cum tempus appetet, ad originem redeamus. Materna indulgentia inuitati in eius complexu molestias deponamus, & lachrymas tergamus ab oculis. nulli ampliùs singultus, gemitus nulli. pax alma optata quies. His dictis assurreximus vnâ. Sol præceps in occasum se intra montes condebat, & noctis tenebræ erant vicinæ. Iumenta ab agasonibus parata, carpentum cum auriga. Tum ego: multa cum sint dicta, plura dicenda tamen supererant. Si placet die proximo redite ad prandium, sed soli, aut cum paucis: quod nostra impensa parabitur quasi morituris. Nempè lautum Castellonius ait, Megarenses recordare ædificantes, quasi perpetuo victuri, opipare identidem conuiuantes, vt quotidie morituri, tum Pacuuium Syriæ præfectum vino sibi & funereis epulis noctibus omnibus parentantem. Ebrium famuli in lectum deferebant ad symphoniam βεβίωκε βεβίωκε, *vixit, vixit*, concinentes, quasi cursu peracto nil iam in vita superesset. Risimus argutiam. Erit ergo, inquam, quasi victuris, mensa frugalis. Sic conditione accepta cum socijs illi carpento & iumentis impositi è sylua egressi iam se intendentibus tenebris vrbem læti repetierunt. ipse vale abeūtibus dicto, ex longo sermone oppido fessus cùm socio eiusdem ordinis & villico vt pernoctarem in villa restiti.

IOAN. MARIANAE.

DE MORTE ET Immortalitate liber secundus.

PRAEFATIO.

MVLTA minora prædia Toletana nostri ordinis sylua suo cõplexu continet, à possessorib⁹ non vno omnia tempore redempta haud magno, & in vnum quasi corp⁹ collata integerrimis sublatis vna ac perpetua cinctum maceria. Cuiq; fundo sua inerat villa neq; elegans, neque ampla, quippè paruo ęre constituta & vsui magis quam ostẽtationi deseruiens. Ex ijs euersis vetustate cæteris, duæ tantùm supersunt. Militari viæ altera imminet structuræ humilis & imbecillæ nullis sublata tabulatis, villici sedes. In ea iumentis stabulum, glocientes in sua corte gallinę, canes custodia peruigili & latratu arcentes furta, prætereа instrumẽtum rusticum aratra, ligones, falces, runcinæ. Cubicula aliquanto numero angusta, porticus epulis destinata cũ maiori numero domestici ex vrbe cõueniunt, nisi ventorũ procella, aut æstus maior cogat alio migrare. Coniunctum sacellum Ioannis Baptistæ nomine sacrum rei diuinæ ꝓcurandę. Villa altera in media sylua atque in podio saxeo constructa est procul ab omni tumultu & strepitu tum vrbano, tum rustico, gratũ nobis domicilium ab amica musis tranquillitate, nullis q interpellent quoties in cũ secessum egredimur. Perflant suauissimæ auræ nullis infectæ nebulis, quæ è vicino flumine inferiora loca aliquãdo fatigant. In ea villa post Decani & sociorũ discessum noctem transegimus. quietus somn⁹ fuit nullis imaginibus intercisus rerum, quæ per diem inciderant multæ. Surgens aurora sua luce & luteis radijs ac decore fugatis cum caligine noctis stellis se per fenestræ rimas insinuãs torporem excussit. auiculæ consono cantu quasi de victoria certare lucis aduentantis honore lætæ, carduelcs, chlores, philomelæ. ante omnes cuculus è villæ fastigio raucum cantum edens & funebre contẽdere de peritia cum cæteris auiculis videbatur, prouocare ad certamẽ homine iudice superbus sibique nimium confidens. Sic est nemo orator; poëta, cãtor se alium meliorem putat, neq; de peritia cuiquam concedit. Hoc etiã malis contingit. Fauces, quas noctis tristitia occluserat, recurrentis lucis lætitia ad consuetos modos canendi munus in hoc diuino augustoque templo impositũ reuocabat. Sic luce & harmonia multiplici inuitatus, me è strato corripiens diuinis laudibus celebrandis socium ijs auiculis adiunxi. Ad quod prouocabat pręterea cęli lucidissimi aspectus senescentis lunæ exorientis solis totius agri & arborum aspectus gratissimus florum & herbarũ suauis odor toto aëre diffusus vitalis haud dubium cum voluptate. In ea commendatione vnius horæ spatio consumpto, surgente iam sole è villa egressus cœpi per subiectã errare syluam. Inambulatione matutina vegetatur corp⁹, excitatur animus ad meliores cogitationes. Simul roscidos flores & herbas legebã, rosam, irim, lilium, rosmarinum satiuum, thymbram, chamæpytim, thymum cuius est maior copia, attingere non audebam. Acutus odor neque tempore conueniens terrebat, ne capiti noceret. Herbis odoratis & florib⁹ impleueram ad summum calathum, cum fundi portas magno impetu pulsari audio, clamores item exaudiebãtur, quasi ægrè moram ferentium, atque cupientium irrumpere. Accurrere diuersi villicus & socius, ecquid rei esset visuri. profecto hospites aduentare expectatione maturius. Accessi & ipse, et aliquanto interuallo. Decanum & Castellonium carpẽto ve-

hi ac iam accedere vidimus. Maturius, inquam quam omnino expectaram. quid rei hoc? Hesterna cunctatione admoniti, inquit Decanus, solē occupauim⁹; & alioqui nihil erat quod magnopere in vrbe detineret. Diei huius lætitia & hesterni memoria præterea vt festinaremus inuitauit. Felix inquam & faustus aduētus vester sit, quocumq; tempore iucundus omnibus nobis. Simul dimissis cum curru famulis iussisq; sub solis occasum redire, aliquanto circuitu facto ad inferiorem villam ire perreximus. Matutinæ auræ leniter herbarumq; & florum odorem & nares afflabant suauissimè. Rosas mox & lilia periclimenonq; legentes quarū erat magna copia ex aliquāto interuallo ad villam & sacellum peruenimus. ibi nixi genibus ante diuorum signa eorum numina salutauimus, vt eum diem sospitarent, neque vlla cōturbaret nebula aut tristior casus orantes. Post preces, ipse inquā, diuina hostia sacrificabo vti facere sum solitus omnibus diebus; vos aut gustate aliquid dum prādium paratur: nō deerunt dulcia, aut si magis acria placent, Murcia aduecta aurea mala. certè syluā repetite, fontem inuisite, priusquā accedens cum sole æstus egressum impediat. Imò sacrificio interesse volum⁹, quod in vrbe procurare discedendi festinatio prohibuit. Neq; si id esset factum, graue foret secūdo idem agere. Ita indutus sacris vestib⁹ dimidiatæ horæ spatio sacrum peregi. Paulò post è sacello egressis atque è villa syluam repetere visum est. Medio inter vtramque villam interuallo recta euntibus puteus altus occurrit neque minus amplius spatijs in haustri formā rigandis oleribus superiorib. annis, haud leui impēsa excauatus. inanis labor fuit prorsus nulla aut tenui aquæ vena inuenta. Aquileges deceperunt gen⁹ hominum fallax quod semper vituperabitur, & semper vigebit. Aquæ iugis cupiditas plerosque transuersos agit, vt neque alieno periculo deterreantur, neque sumptus inanes exhorrescant. Impletur tamen is puteus ad summum aqua cum pluuiæ copiosæ sunt & per arenas transmeantes inania & caua quæ inueniunt implent omnia: quod eo anno contigerat. Aqua collecta diu conseruatur in piscinæ vsum nō satis commodæ piscibus, ꝓpter aquæ in æstate præsertim frigiditatem solis radijs procul. Ad eum puteum circū marginē assedimus aquæ copiosæ & pisciū aspectu oculos oblectantes. Proximę arbores malus cotonea, pruni, ficus, oliuæ propter vicinum putei humorem haustū radicibus præ cæteris opacæ frugiferæq;. Alia ex parte sternitur vinea è gemmis tunc primum teneros emittens pampinos. Lustrauim⁹ oculis omnia sigillatim gratoque aspectu oculos mentemque pauimus. Tum Decanus, ne nihil agatur, dum paratur prandium, de hesterno argumento quæ superfuerunt continuare iucundum erit. Superato, inquam, proximo cliuo ad villam alteram musæum nostrum priùs inuisite, cum musis honorem habentes. Ibi obsequar vestris votis. In nouam disputationem ingrediar hesterna nihilo breuiorem. Minor tamen molestia erit, si non vno impetu peragatur, bifariam potius diuidatur, in tēpus præsens pomeridianumque. Quid tu, Castelloni⁹ ait, num integram Iliada commentaris. quæ præclara sunt, eadem ne satietatem afferant, curandum. Quæ sunt dulcissima, vides cito afferre tædium. Nempè inquam, consilium placet. *De immortalitate* tamen disputatio prior erit, *de diuina prouidentia* posterior, eo vtraque pertinens, ne graue mori videatur, quib⁹ extinctis immortalis vita præsto est, præmiaque pro vitæ conditione meritis exæquata. Inter hæc ad villam est ventum. Angustum conclaue Zetæ ad instar, modica supellex erat, pauci sed selecti libri. Supra musæum contignatio, vnde latissimus in omnes partes ꝓspectus erat,

ad tres cæli plagas totidem fenestræ. Vicinæ vrbis maior pars subiecta oculis. Tagi fluminis aquæ, viridantium riparum amoenus vestitus. Detinuit oculos aliquamdiu gratus aspectus. Mox in podio lateritio cum assedissemus, me ad nouam disputationem comparaui.

C A P. I.

Persuasio de immortalitate quanti sit.

SAtis multa superiori disputatione de huius vitæ conditione dicta sunt, de miserijs quibus ad mortem vexamur. Vt molestum esse non debeat è tali hospitio migrare, finem imponere tantis calamitatibus. Sequitur vt confirmemus animos esse perpetuos atque immortales, neque cum corporibus interire. Sed potiùs superesse à rogo meliorem nostri partem. vitam non adimi sed permutari per mortem. Quæ persuasio magnam vim habet ad stabiliendas virtutes & singula vitæ officia. Si enim diuturna vita nos manet, non difficilè videatur, tantisper frænare cupiditates, voluptates abdicare, cum synceris & incorruptis commutare. Contra, si cum corpore animus in auras extenuatus euanescit, stultas cogitationes, inanem sine fructu spem, labores superuacaneos, si vnus est interitus hominum & iumētorum & æqua vtrique conditione viuimus, cur non dicamus religiones omnes esse somnia vigilantium; aut quod impiorum verbis Salomon prior expressit, deindè Paulus Apostolus moribus vitaque explicare; *comedamus & bibamus*, omnibus nos voluptatibus cras morituri ingurgitemus: nullum sit pratum, vnde iucunditatis flores non decerpamus; locis omnibus expressa libidinū exēpla vestigiaq; imponamus, quasi breui vita festinātes, ne frustra amissam occasionem, elapsumque

1.Co.15.32 & Esa.22.13.

sine fructu tempus postea sit dolen-
A dum. Consona Anacreon scurra non in vrbanus effutiuit:

Ως τω γέροντι μᾶλλον
Πρέπει τὰ τερπνὰ παίζειν,
Οσω πέλας τὰ μοίρης.

Vides ergo virtutum omnium officia, sine quibus quid esset hęc vita nisi vastum miseriarum mare? religionis studium rebus humanis tantopere necessarium pendere vel maxi-
B mè ex immortalitatis persuasione. Quid enim frænemus cupiditates, fraudibus & iniuriæ pręferamus honestatem, si post huius vitæ tumultus & peruersiones, vbi sursum deorsum vertuntur omnia, post cineres, æuum alterum non manet, vbi puniantur iniqui, vindicetur prauitas eorum qui iniustè agunt? Quid De-
C um colamus, qui neque in præsenti cultores defendat ab iniuria, neque in futuro præmia pro meritis largiatur? Nihil erit ea suscepta opinione, neque tanta religione munitum, neque tam sancto iure vallatum, quod non perrumpat & disturbet prauitas & audacia viribus præsertim & potentia armata. Nulla res magis homines castret, mollesque
D reddat, & voluptuarios, quā si ex ꝓfana Epicuri sententia sibi persuadeant extingui cum corpore animos. Id prouidentes legislatores, cæteriq; omnes quicumque de constituenda rep. libris editis disputarunt, obedientiam legibus & obsequium, qua felicitas tum publica, tum priuata cōtinetur, constare non posse sublata immortalitate, id persuadere impri-
E mis conati sunt. Inde scipionis somnium à Cicerone cōfictum in libris de republica. Apud Platonem Erus à morte reuocatus. Inde Minois cum Ioue, Numæ cū Aegeria arcani congressus prodierunt. Fictis, inquit Castellonius, vera confirmas, quam aptè tu videris. Suspicetur aliquis nihil habere certi & constantis, quod mendacio confirmatur. Turpe carere idoneo virtutem præsidio nisi ad aliena castra confugiat. Humilem

profecto virtutis conditionem videaris inducere & seruilem, quando A suis viribus non stat, mendacio dignitatem tuetur. Apage, inquam, non ea nobis mens erat. Illud contendo omnium nationum & sapientum communem consensum esse, superesse aliquid à rogo, neque cum corpore interire omnia. nisi ita esset, virtutes omnes, sine quib⁹ quid vita esset? penitus debilitari, concidere. Est autem communis hominum B sensus, naturæ vox nostris insonans auribus à vero falsum secernens. Et quantum esset, tantum in natura præsidium deesse ad tuendas virtutes, quibus sublatis confundantur omnia imis suprema. Sed & Mosem cōsidera legislatorum omnium principem præclarum, initio suarū legum immortalitatem tacitè confirmasse, quando cæteris animanti- C bus, pecudibus, piscibus, auibus simplicem formationē attribuit, quod vnicam tantum vitam habeant, homini duplicem. Formatum enim in corpus de limo terræ, Deum ait mentem inspirando insinuasse. Sed quid diuinos libros & oracula in medium affero: quæ à capite ad calcem immortalitatem commendant. in eo veluti cardine sapientia diuina vni- D uersa versatur, vt menti humanæ diuina se claritas de immortalitate nostra insinuet, illi fundamento moles vniuersa diuini ædificij imponatur. Inde enim cætera pendent, quo conuulso vniuersa structura concidat. Verùm nos non diuinis testimonijs pugnabimus, quæ impius ficta & commentitia fortassis putabit. Ratione & argumentis ab ipsis naturæ principijs petitis agemus, ne lector, si quis in hæc inciderit, toto obiecto lumine caliget. Nam & infans solidi cibi vim capere non potest ob stomachi teneritudinem, sed liquore lactis ac mollitudine alitur, donec firmatis viribus vesci escis fortioribus possit.

CAP. II.

Anima se ipsam mouet.

E multis argumentis quę pro animæ immortalitate afferuntur, vulgare est & ab omnibus vsurpatū, quod ab agitatione animæ sumitur. Profecto vita actio est & cum actione coniuncta. Si ergo anima proprium in se & à se motum habet, nulla cum corpore cōmunē, quemadmodum à se spoliari non potest, ne vita quidem nudari poterit. Soluta à corpore, motum suum atq; adeo vitam retinebit. Ea est argumenti vis quo Plato primus est vsus. Secutus est eū Cicero lōgo interuallo, tum Aristotelis ratio eo pertinet cū in libris de anima sub conditione affirmauit, si intelligendi actio sine phantasmate non est, hoc est, si pendet à corpore, si cum eo cōmunicatur, neq; animæ propria est, separari animam & seiungi à corpore non posse. Huius argumenti vim Lactantius assecutus non est, quando mutis animantibus æternitatem ea ratione dari arguit, quæ se mouent: nisi, inquit, adiectione sapientiæ eius imbecillitas fulciatur. Nos equidem non negamus pro immortalitate magnum à sapientia alijsque artibus ab humano ingenio excogitatis extare præsidium. Sed sine appēdice ex motu proprio animę colligi æternitatē eius & euinci contendimus. Cuius argumēti vim subiecta exempla declarant. In ventre matris, quia fœtus propria actione mouetur, vtique colligimus, non vt membra manus pedes cōmuni vita totius corporis vigere, sed propriam habere vitam. Eòq; defuncta matre cum cætera membra cadunt, fœtus quia propriam vitam habet, à morte matris superstes remanet aliquādo. Adde rotā exiguam intra maiorem globum circumagi, supra suū axem verti, atq; ita vt in contrariam partē vergat sicut in cælo minores orbes: haud dubium quin is motus propri⁹

sit,

sit, neque minor sphæra in eo à maioris motu pendeat. quod si motus A
ille esset vitalis, haud dubium vitam
propriam & secretam minor orbis
haberet. idē de auicula in cauea inclusa, de homine naui vecto dici poterat. Sed multa sunt resecāda. Vera
hæc Castellonius ait, sed in quo cardo vertitur, cōfirmare debes animā
motum habere aliquem in quo cum
corpore non communicet. Sine quo
labor omnis & opera sit inanis. Si id
efficis palmā damus de morte triūphas: neque opus sit vltra procedere. B
Id ago, inquam, quam apte vestrum
iudicium erit. Ac primum anima secum ipsa disputat, quasi aliquis intus
lateat hospes. Cupiditatib⁹ corporis
repugnat, quasi tenēt principatum.
Deindè anima in se ipsa conuertitur,
suamque ipsius naturam rimatur &
de ea inquirit. An horum aliquid in
cæteris animantibus reperiatur, quæ
à terra ortæ defixos penitus in terra C
sensus habent: neq; vltra assurgunt?
At anima sicuti est, Castellonius arguit, intelligere se ipsam non potest.
Semper eam corporeis simulacris
vestit, neque vt est in corporea omnique exuta forma & labe terrena
cognoscit. Fateor, inquam, etsi dispu
tare poteram animum aliquādo assurgere ad incorporea quando alienatur à sensibus. quod certum est è D
certo melius atque quod in confesso
sit, quam è dubio colligamus. ea certè ratio Aristotelem tantum philosophū impulit, vt nobis detraheret
immortalitatem, & animos nostros
quasi dānaret capite. Fateor, inquā,
cognitionem nostram nūquam incorpoream penitus esse, sed spectris
illusam corporeis. Id tamen non animæ culpa contingit, sed domicilij E
quo sepitur quasi velo integumentoque, vt non possit libero sensu intueri singula sicuti sunt. In hac veluti custodia & carcere constituta, non
alia accipit nisi quę per ianuas quinque terrestres sensus inferuntur &
permeant. quæ magna miseria est.
Inter rusticos versans à primo ortu
non est mirum, si insitæ ingenuitatis
oblita agreste aliquid in morib. atq;
cognitiōe ex ipsa educatione repræsentat. Nā & fœtus in vtero, tametsi
vitam propriam habet, & sensus, videre audireq; nihil potest, dum in ijs
tenebris detinetur, quasi quibusdam
septis inclusus & munitione. Num
Ionas in vētre cœti aliquid videbat,
audiebatue? nō planè, cum vitam &
sensus haberet, sed propter impedimentum & latebras otiosos inutiles.
Quod de Iona & fœtu fateri op⁹ est:
quid prohibeat idem ad animam referre, eiusq; æternitatem arguere ex
ijs actionibus multis & varijs quibus
assurgere certè conatur, se inspicere,
secū loqui? quæ in ipsum cadūt, neq;
in vllum aliud genus animantium,
ad indicium certissimum præstantioris & immortalis naturæ.

CAP. III.

Ingenij subtilitas.

E cælo nos & diuina natura exortos, non è fœce terrestri statura
corporis indicat erecti, sublimis, oculi in fronte quasi ex specula cælū cæterasq; omnes partes cōtemplantes.
Prona alia animalia & ventri obedientia terram communem originem
defixis in eam oculis continenter aspiciunt: neq; sensibus vtūtur nisi ad
vitæ vsum alimenta quærēda, vitam
tuendam aduersus nociua; contra
hominis mens ad cæli contemplationem assurgit, supera infera omnia
subtili cogitatione perscrutatur, seq;
veritate quasi suauissimis epulis pascit, q̄ incorporea & æterna est. Gaudet vnumquodq; sibi cognatis. Ex
hoc fonte artes multiplices extiterūt
siue quæ necessariæ hominibus sunt,
siue quibus humana vita ornatur &
illustratur. Sciētiæ omnifariā tum q̄
ad actiones vitæ, tum quæ ad cōtemplationem naturæ referuntur. Quis
linum, lanam, bombycem, pectere,
nere, texere docuit atq; in varia indumēta mutare? Domare ferrum in

fornace, cõficere ex eo omne genus ferramenta, arma telaq; conflare ad vitæ tutelam, ad perniciem humani generis? Effodere metalla eoq; terræ viscera perscrutari, liquare ea, in vasa ornamentaq; formare quanta industria? sublimia & magnifica palatia vastis columnis & cœmentis magnisq; molibus ad culmen vsq; quis quibus ferramẽtis quib⁹ viribus perduxit? dæmon ꝑfecto aliquis nostro insinuatus corpori. Vnde natum arbitror, vt pontes & tẽpla quæ ab amplitudine & vetustate miramur, vulgus altiori vi quã humana facta iactet. Falsò Castelloni⁹ait. Quis id negat? in commento tamen lux veritatis emicat, non terrestri ope, sed altiori & diuina illustria opera perfici. Nũ simile aliquid in mutis animantibus perspicimus? ne vestigiũ quidẽ. Aedificant aues nidos, feræ lustra, latibula alia animalcula in plures exitus disparentia, quæ magna solertia est. Vilia tamen putentur omnia & crassa, si cum humanis artificijs conferantur. Ciborum & potum genera quam sunt varia, condimenta, cupediæ, dulciaria, vinum ex vuis expressum, Zithus, sicera, noua sæpè neq; à veterib. inuenta. Ad pellendos morbos quot medicamenta necessaria sunt? quanta remedia dies & vsus, & maior rerũ cognitio inuexit? herbarum virtutes admirandas, aquarum, gemmarũ, quis inuestigauit & inuenit, nisi ipse q fecit in terris versans, cælestis portio & vis humanis corporibus cõfusa? Magna hæc omnia sunt & præclara, vulgaria tamen putẽtur & vilia, si cum sequentibus conferatis. Sonos vocis infinitos, innumeras voces paucis litteris quis & qua industria est complexus? notis totidẽ absentes inter se colloqui, cõsilia cõmunicare quis inuenit? Moses is fuit magnificus legislator: quo nomine diuinitate est consecratus ab Aegyptijs Thot dictus, à Græcis Mercurius vt Cicero scripsit. AEreas formas ad scribendi celeritatẽ inuectas scim⁹ ante vnum & alterum seculum tantã, vt vno die plus scribatur à paucis operis, quam à multis librarijs integro anno. Vitrum ex arena & herbis in petræ duritiem qui concrescit de pulchritudine cũ crystallo haud dubium contendens: Aenea tormenta ad exitiũ generis humani sulphure & igneo vomitu armantur arte. Solis, Lunæ aliarumq; stellarum cursus varios atque mirabiles, attente & accurate notatos in sphæram vnam Archimedes primus colligauit: eumq; secuti nostra ætate nobiles alij artifices, motibus plurium rotarum libratis prudẽter ad imitationem cælestis machinæ. Quod si ex cæli contẽplatione & siderum cõuersionib. omni tempore ratis ad Dei conditoris cognitionẽ assurgim⁹; cur nõ ex nouis his cælis diuinã vim in terra errantẽ cõplicatamq; ingenio nostro fateamur? Mitto fingendi pingẽdiq; artes nobiles & præclaras: terræ culturam, deriuationes fluuiorũ castigationesque, portus humana industria factos vastis in mare molibus iactis, mercaturam, cõmercia omne genus: neq; enim dici omnia possunt. Ad philosophiã & ingenuas artes transeam⁹: quæ cæteris diuiniores sunt. Nullus iucundior mẽti cibus est, quam cognitio veritatis æternæ, incorporeæ, vsq; eò vt Geometricæ formæ cũ extra corpora nõ existant, tũc maximè veræ sint, cũ cogitatione à corporib. separantur. Fertur nimirũ ad simile animus, in eoque conquiescit. Quod tanta propensione facit, vt imagine sæpè veritatis delectari satis habeat. qualia sunt pleraq; philosophorum placita, & scholasticæ cõcertationes vmbræ quædam veritatis quam toto pectore consectamur. Similes in eo procis Penelopis, q cũ ab hera excluderentur, se cupidè ancillis cõmiscebant in aulæ atrio. Sed & ex ardenti cupiditate insita corpori gen⁹ propagãdi, quidã cõiugio legitimo relicto ad scorta se cõuertunt in eoque cœno volutãtur. Ergo infinita qdã inest animis nostris sitis veritatis. Ex eo fonte vtraque philosophia prodijt, quæ

Moses legislator.

Ars Typographica.

quæ de moribꝰ & quæ de natura disſerit innumeris libris explicatæ, tum metaphyſica ſubtilior, mathematicæ certiſſimæ omnium artes vſu præcipuæ. Quantum eſt enim per Aſtrologiã defectus ſolis & lunę ante multos annos ſine errore prædici ab ijs, qui aſtrorum motiões numeris perſequuntur? Sed & numerandi ſcientia, quam arithmeticã dicimus, quã dilucida neceſſariaq; reb. humanis? Plato negat ad remp. admitti debere qui numerandi inſcius ſit. Pythagoras vna arithmetica comprehẽdebat cæteras omnes artes. Nimirum cuncta Deus fecit in numero, pondere & menſura, qui cuiuſq; naturæ numerum comprehenderet, qua proportione cum corpore anima comparetur, membra inter ſe ſocientur, exactam is rerum cognitionẽ aſſequeretur, noſtra imbecillitate factum, vt diuerſa philoſophandi ratio ſit in ſcholas inuecta. Veriſſimi ſunt Boethij in conſolatione verſus ſubiecti:

Tu numeris elementa ligas, vt frigora flammis
Arida conueniant liquidis: ne purior ignis
Euolet, aut merſas deducant pondera terras.

Nimirũ elementa ſymbola vna qualitate ligantur, non ſecus quàm inter duos proximos inter ſe numeros quadratos medius eſt numerus cum vtroque extremo pari proportione comparatus. Inter duos cubicos numeros duo alij numeri ſunt inter ſe, & cũ extremis eodẽ modo relati, in quo diſſymbola elementa repræſentant, duabus diſcrepantia qualitatib. Numeris ergo elemẽta ligantur. An hoc clarum eſt? Clarius inquit Decanus, aut perpetuis in tenebris caligamus. Explico, inquã, quæ mathematicis tamẽ explorata ſunt. Quadratꝰ numerus eſt q ex alio minori numero per ſe ipſum ductꝰ exiſtit, vt ex binario quaternarius, ꝙ ſi bis eum numerum replices, is eſt numerus cubicus, ſic ex binario octonarius exurgit bis in ſe replicato. Primi numeri quadrati ſunt, quaternarius ex binario exurgens, ex ternario nouem. Inter quatuor & nouem ſenarius numerꝰ ſeſqui altera, proportione minorem numerum & maiorẽ reſpiciens. Proximi numeri cubici ſunt, octo ex binario, & viginti ſeptem ex ternario bis in ſe replicatis exurgentes. Inter hos numeros duodecim & octodecim medij ſunt, qua ratione inter ſe comparati, nẽpe ſeſquialtera eadem cum vtroque extremo. An ſatis hoc clarum? Vix etiam per caliginem, ꝙ dicis, aſſequimur, ait Decanus, exactiorem cognitionẽ ad peritos eius artis ablegamus. Et ego, quod in elementis explicatur, numeris cõnecti, idẽ ipſum in alijs naturis contingere credendũ eſt, & ſanè corporis decor numeris conſtat quod pictura declarat aberrans longè, niſi ſeruetur proportio. Numeris interna corporis conſtare arteriæ pulſus indicat, formatio fœtus & partus, dies critici, aliaq; multa. Sic oratio miſſa per numeros & lege carminis explicata mirificè oblectat, aureſque incredibili demulcet ſuauitate, inſtar aëris per anguſtias tibiæ permeantis mentis ſenſus numeris explicantur cum voluptate. Nõ minor muſicæ ſuauitas, ex acuto & graui ſono medijs interuallis aptiſſima ratione cõflatus cõcentus, ſiue tibię & cithara accedant, ſiue ſolæ voces ad modos muſicos reuocentur, mirabilis voluptas exiſtit. Qui iſta excogitauit animꝰ quantus putari debet, an ex terrena labe concretus, an potius è cælo deriuari? Eo antiqui ſpectabant, cum artium inuentores, quaſi beneficos in genus humanum cælo adſcribebant. Hinc Mercurius prodijt ob inuentas litteras, vti dicebam paulò ante, Apollo & AEſculapius propter medendi artem, Ceres, Bacchus, ſexcentaq; alia ficta numina. In ipſa tamen mendacij vanitate indicatur humanos animos, qui talia & tanta excogitârint è cælo dilapſos eſſe, maiores conditione mortali.

CAP. IV.

De virtutibus.

LOngior fuit disputatio de artib. quam putaram. Verùm de multis pauca dici non poterant, ea præsertim dignitate subtilitateq; ad indicium non ab alio quàm à diuino ingenio esse artes excogitatas ad salutem, ad tutelam, ad ornamentum humani generis. Nunc de virtutibus dicendum est, atque ex illis confirmãdum nostros animos esse perpetuos. Ac primum hominem constat non simplici natura, vt res aliæ, sed gemina atq; contraria esse cõflatum corpore & animo. Corpus è terra genitum est, animũ è cælo libauimus. Cõmunis vitæ vsus hæc inter se discrepare satis indicat, quod nobiscũ quasi cum alio quodã disputamus, & in cogitationum dissidio nobiscũ quid faciendum sit taciti deliberamus magno sæpè mentis motu. Huc Paulus Apostolus respexit, cũ internum hominem ab externo secreuit. Tum vetus illud Socratis scitum admodum ex iuuene cogitabundo atque secreto deambulante, ecquid ageret rogantis: ac respondente illo, *mecum loquor, vide* ait, *ne cum viro malo loquaris*. Corpus è terra genitis alitur, corporeis voluptatibus indulget hujus vitæ commoda consectatur, quippe à terra. Contra animus è cælo haustus ad suam originem recurrit, veritate alitur, superiora petit, ab omni concretione mortali mentes liberas contemplatur ea suauitate, quæ in cæteras animantes non cadit ne vestigium quidem. Sic quidam hominem mundi copulam seu hymenæum dixêre, quod mirabili conjugio & societate summa imis cælestia terrenis constringat, admirabili amicitiæ vinculo dissidentia inter se connectat. Atque ita vt nulli coniuges inter se ardentius ament, quàm corpus & animus. Neque mirum est corpus, vnde vitam habet, & quo recedente in sordes & terram soluitur, gaudere animæ societate. Animum A nemo satis miretur ab insita erga corpus beneuolentia tantis quamuis incommodis & molestijs vexatum non adduci, vt dirempto coniugio cælestes sedes, vnde difluxerit libenter morte repetat. Ingenuum est susceptas semel amicitias ægrè diuellere. Itaque homo mundi copula est, qui cælum terræ constringat. Idem B ab alijs mundi miraculum naturæ prodigium vocatur non minus prudenter, quod mirabili ingenio dissidentes inter se naturas, ac perpetuo rixantes in pace contineat. Corpus oblectatur caducis, sensuum iucunditates insectatur, neque ad maiora consurgit. Animo nullus cibus suauior quàm cogitatione in cçlo & inter mentes immortales versari, naturæ arcana perscrutari etiam cum C rei familiaris & valetudinis dispendio. E corpore varij affectus promanant, amor, inuidia, odium, ira, tristitia, desperatio aliæq; pestes, quib. pectus laceratur, & quasi intestinis hostibus tumultuatur. Animi studia honesta sunt, cogitationes tranquillæ, ad pacem omnia consilia spectãtia. Miraculum planè in tãta actionum D contrarietate fœdera tamẽ pacis stare, corpus inter & mentem. Ex perpetua tamen rixa animi anxietas existit reb. etiam tranquillis quasi neq; euolare velit victus amore corporis, neq; eius importunitates quasi coniugis litigiosæ ferre possit. An has rixas in aliquo animante deprehendimus? non planè, nam modo suppetat pabulũ, de cætero nulla cura solicitat, inter animã & corpus mille lites E exurgũt, quæ dies noctesq; solicitãt. Ex hac pugna virtutes existunt oẽs, si caro rationi subijciatur, voluptates vincantur, cum quibus rationi quasi cum domesticis hostibus perpetua pugna est, prudentia in intellectu, in voluntate iustitia, religio, ac aliæ omnes iustitiæ partes, in irascibili fortitudo, concupiscibilem munit castitas & continentia, ne suauitate delinitus feratur in præceps.

Quod

Quod si in pugna caro vincat, ex eo genus omne vitiorum existit, quibus A sordibus fœdatur mens, & brutis animantibus similis redditur. Si repugnamus prauæ cupiditati ex eo virtutum ornamenta nostræ dignitatis & immortalitatis indicia. Cæteræ animantes quia honestatis sensum nullum habent, neque pudore mouentur, in eis decor virtutũ quæ sunt honestæ & pulchræ locum non habet. At quædam ex cõuictu hominũ B Castellonius ait, tractabiles & mansuetæ redduntur, leones & vrsi cicurantur, atque elephantes. Iumenta pleraque & pecudes obediũt ductori & ad eius vocem nutumq; mouentur. De canũ sagacitate & fide multa passim commemorantur. Verum vbi honestatis sensus non est, inquam neq; virtus vera esse potest. Vestigia quædã illa virtutum sunt ex vsu fre C quenti & conuictu hominum & naturali ingenio sine vlla ratione relicta. Nam & furca arbores sine sensu quamuis, in aliam & diuersam partem arte inflectimus. Sic naturam quorundam animantium in cõtrarium vertimus insitę naturę. Magna enim cõsuetudinis est potestas, quando in brutis etiam naturam & inge D nium commutat. Virtutes quæ honestæ per se sunt, & sine vlla extrinsecus vi sponte suscipiuntur, in Deo & substantijs incorporeis natura insunt, & sine labore quasi rationis, quæ in illis est rectissima, fœtus certissimus. A nobis, quoniam nudi ornamẽtis omnibus in hanc vitã quasi ex naufragio prodiuimus, labore multo & industria comparantur. Ea E conditio nostræ mortalitatis est. Sed ex qua facultate rectè efficitur cognationem nobis inesse cum Deo, à cælo animos hausisse, vt quidam prudenter cecinit:

Hic clausit membris animos
Celsa sede petitos.

Eodem Promethei fabula spectat, in corpus è limo formatum ignem insinuasse de cælo furto sublatum, Luisse furti pœnas alligatum saxo aquila depascente viscera ad supplicium perpetuo excrescentia. Nimirũ quod animus à sua sede sit pulsus, & quasi detineatur compedibus perpetua anxietate vexatur reb. quamuis ad votum fluentibus. Neque quiescit priusquam vinculis solutus se ad astra recipiat vnde venit. Id poëtæ significârunt, cum heroibus sedem inter astra dederunt noua fingentes sidera defunctorum nominibus, quos cælo volebãt adscribere. Vnde septẽ planetarũ nomina, Casiopeia, Andromeda, Perseus, Orion, aliæq; sexcentæ astrórum appellationes prodierunt. Stultè ait Decanus omnia & superstitiosè. Fateor, quis id non videt? sed in errore quis omnium gentium fuerit sensus aduertitis, quæ naturæ communis vox: animos virorũ insignium certè quorũ præclara merita in remp. extabant, in cælum post fata vnde venerant recipi.

CAP. V.

De cura futuri.

EX animi nobilitate in nobis erectum quiddam & sublime existit dignitatis imperij famæq; appetens, nullos labores modo gloriosi sint, nulla vitæ pericula rei familiaris detrimenta perhorrescẽs dum emineat alijs, nomen suum famæ & immortalitati inserat. Nulla est gens, nulla conditio, nulla ætas, quæ nõ inflammetur ea cupiditate. A pueritia ad senectutem progredere, hos stimulos sentire omnes homines fatebere is. Mirum est, pueri infantesque quantopere laude excitentur, quo quisque præstantiori est indole, ita maximè à primis annis huius cupiditatis indicia præbet. Ad iuuenes virosque transi. Nemo pro reipub. salute, pro patria & dignitate sese discrimini offerret, nemo publicam vtilitatem priuatis commodis anteponeret, nemo contẽptis iucunditatib. alijs sapiẽtiæ studia, certè paucissimi, nisi eos dignitatis amor

& famæ incitaret menti insitus. Senes sedatis aliis propter ætatem cupiditatibus, dignitatis tamen & laudis studio inflammantur. Rectè quidam laudis amorē dixit esse postremam tunicam quam exuimus. Quid hoc nisi quædam diuinitatis participatio, in qua cum hominibus brutæ animantes nullo pacto communicant. Quo tamen pleriq; affectu abutentes in multa vitia & errores præcipites abeunt. Quidam occupare tyrannidem, ciuium libertatem opprimere satagunt: quia nimirum diuinæ maiestatis præstantia in imperio maximè cernitur tacito quodam naturæ sensu ad eam similitudinem proximè accedere contendunt. Alij apertius in ipsum diuinitatis nomē inuadunt, aut mortuos suos consecrantes, illisque delubra & sacerdotes constituentes, nonnulli etiam eo amentiæ sunt progressi, vt viuis sibi diuinos honores haberi vellēt, quod Tiberio Augusto & Liuiæ matri accidit, vt in Asia templa ipsorum concessu superstitibus ponerentur. Idem Caio & Domitiano Principibus factum. Pudenda vanitas, sed tanti ea excellentię cupiditas erat, vt ordinarijs humanisq; honoribus non contenti quasi vilibus cælo caput inferrent, & gigantum instar Ioui bellum indicerent. Plerique modestius tropheis erectis, statuisq; magno locatis, fornicibus triumphalibus, superbis de suo numine structuris immortalitatem captârunt frustra, quia nihil est humana opera & industria factum, quod edax vetustas non cōsumat. Orta occidūt, senescunt nostris viribus inchoata. Prudētius alij præclaris in genus humanum meritis famam aucupantur nullo interituram tempore, virtuti enim cedit vetustas quasi exemptæ iure suo, mortis leges non sentit. Bellica quidam virtute, deuictisque hostibus, defensâ patria, imperio propagato, alij sapiētiæ studijs artium inuentione laudem sunt consecuti diuinæ proximā, non pauci partas opes, aut à maiorib. relictas ad multorum beneficentiam contulerunt. Stulti omnes si nihil post fata superest. Stultus Plato cùm Academiā elegit à cęli grauitate infamem, vt corpore debilitato mens ad sapiētiæ studia facilius assurgeret. Stulti duo Decij, Regulus, alijq; innumeri, cùm pro patria, pro fide se morti deuouerunt. Quid de ijs dicam, qui pro religione patria sanguinem vitamq; profuderunt? An non ij oēs amentes qui se fructu præsenti abdicarunt, pro inani laude, quæ ad ipsos non pertinet, si cum corpore animi pereunt. At magnum est post sexcentos annos celebrari, volitare per ora virûm cū laude gloriosum. Verum si à morte supersunt animi & suis laudibus pascuntur: sin minus vanissimum. Et est natura fixum, vt ita benefaciamus alijs, si aliquid inde vtilitatis ad nos redit. Virtutis formam inducis humilē arguit Castellonius, si ad suum commodum refert quæcumq; agit. Imò sublimem erectam, quæ nullo præsenti commodo mouetur, sed ad immortalitatem aspitat quadam diuinitatis æmulatione, ingenij nostri naturam explico ex amore erga se deriuantem, quæ alijs facit. Mercenarius est quidem qui pecunias cōmodave alia ex virtutibus consectatur. Solidam autem laudem & ex ea petere fructum solidum accusare nemo debet. Pergamus ad alia, vt caput hoc concludatur. Ab excellentiæ cupiditate ad posteritatis curam transeamus, qui affectus connexi sunt, & parum inter se discrepant. Videmus infamiam cunctos horrere, ne nomen aliqua turpitudinis macula deformatum transmittatur ad posteros. Quid ad extinctum & in fauillam redactum posteri? quid infamia? lucos, syluas, ferasque arbores serunt homines in senectute, è quibus nullam sperant se viuis vtilitatem & fructum, memoria tantum posteritatis, & vt venturis prospiciant. Insanas fabricas inchoant, delubra superba, arces munitissimas,

nitissimas, palatia in cælum erigere certant, quæ nisi longissimo tempo- A re ad culmen non peruenient. Impensa in præsenti grauis, vna cōpensatur bonæ posteritatis memoria. Hæc cura à conditore indita pectoribus, vt præclara opera suscipiantur maiora nostris viribus ætateq; , cùm in solo homine cernatur, argumento esse debet, non minus ad nos futura quàm præsens seculum pertinere. Ita Epicurus immortalitatis no- B stræ atque totius diuinitatis irrisor maximus, testamento tamen cauit diem suum naturalem ab hęredibus quotannis celebrari mense Gamelione, atque epulum suis sectatoribus quolibet mense dari luna vicesima. Megarenses ita instruentes mensas, ac si quotidie sibi iusta facerent, ædificabant tamen, quasi vitam in C multa secula deberēt propagare. Vides homines voluptuarios, & qui ad pręsentem vitam cuncta referebant, eos sensu quodā immortalitatis imprudentes tangi solitos. Vides operum magnorum molitiones, virtutum cultum ex ea opinione nobis insita à natura vel maximè confirmari, ea conuulsa concidere omnia.

CAP. VI.

Animus à corpore non pendet.

DE cupiditate laudis, cura posteritatis multa sunt dicta, Decanus ait, ex eo animos immortales esse, qui probes non assequimur, planè tenuem quandam lucē quasi per caliginem intueri nos fatemur, quoniam ij affectus in alias animantes non cadunt. Solidiora tamen argumenta expectamus, quibus repugnantes reuincas. Adeste inquam animis. Attentione opus est, vt vis priorum argumētorum percipiatur, quæ est maxima. Sed & nouo ex principio animum à corpore non pendere vobis confirmabo quàm potero dilucidè. Sanè rerum interitus quatuor fermè modis contingit: actione contrarij, vti elementa elementorumque affectiones.

Calida pugnabant frigidis, & humentia siccis.

Deinde partium diuulsione pereunt animantes omnes. Absentia causæ lumen & vox, ac cætera quæ per se nisi coniuncta suæ causæ non subsistunt vti fonti riuus. Postremo subiecto labefactato pereunt accidentia, quæ in eo fulciuntur atq; incumbunt. Ac de animo quidem actione contrarij, quæ inter corpora est non interire planum, quoniam intellectus nisi omni corporea natura nudatus non esset, cognoscere corpora omnia non posset, sicuti neque pupilla oculi si colore aliquo esset delibuta de alijs coloribus syncerè non posset iudicare. Apertius ista Castellonius ait ex scholæ penetrali, vt videtur petita. Faciam, inquam. Vitrum coloratū oculo admoue, quæ obijcientur eodem infecta fuco oculus renunciabit. An hoc satis dilucidè? idem in alijs sensib. exequi licet, D nudatos singulos obiecti quod percipiunt natura. Neq; enim palatum bile infectum, quod in ægris accidit, benè de ciborum suauitate iudicat; est ergò mens corporeæ naturæ expers, vt corpora capiat. Ac proinde non interit animus actione contrarij. Partium diuulsione multo minus qui indiuiduus est. Alioqui quod in lacertis experimur, diuulsæ & se- E iunctæ partes mouerentur sentirentque aliquid quod contra accidit. Ac ne absentia causæ, quo interitus genere cæteræ quoque animantes sunt exemptæ post mortem eorum quæ genuerunt superstites, num humanos animos peiori conditione credamus? iniqui iudices aduersus nos sumus, præsertim cùm animus Deum solum auctorem habeat, qui fingit sigillatim corda hominum, vti diuina perhibēt oracula.

Reli-

Reliquum est, vt cum subiecto corpore intereat, aut sine hoc quidem modo, vt fateamur animos esse interitus expertes. Quæ enim à subiecto pendent, ita cum illo connectuntur, vt cadente occidant, impedito turbentur, debilitato extenuentur, ac deniq; deficiente pereãt. At animam experimur, in vegeto & firmo corpore ab intentione & rerum cognitione auocari: cũ ætatis accessu corporis vigor minuitur, vigere mentem magis quàm antea, quasi sedato corporis motu clarius incipiat inspicere veritatem. Sic senes ad consilium adhibere receptum est. Romani supremum consilium *Senatum* vocârunt, inter Lacædemones, qui amplissimos gerebant magistratus, & erant & dicebantur senes: inter nos *presbyteri*, id est senes, qui diuina procurant. Vires corporis in iuuentute vigent, prudentia senectutis propriũ munus est. Morti propinqui qui sunt, nisi dolor acer prohibeat, quasi ex obscuro loco emergere incipiant, multo prudẽtius quàm antea de rebus solent iudicare, præterita recordantur, instantia ordinant; quin & futura mente cõiectant aliquando, de ijsque sine errore pronunciant, quasi in superno numine quo appropinquant, legant descripta quæ dicunt. Socratem scripsit Plato vicinum morti multa vaticinatũ. Theramenem in carcere veneni parum, quod bibere cogebatur, in vase relictum Critiæ aduersario per iocum propinasse, quasi ad similem mortem inuitaret; neque prædictioni euentus defuit. Rhodium iuuenem testatur Romanæ eloquentiæ parẽs, sub mortem sex æquales nominasse, quis primus, quis secũdus, qui deinceps, & quo ordine essent morituri, neque aberrasse in vllo. Simile de Eudemo Cypro Pheras Thessaliæ vrbem appulso & grauiter ægrotante narrat apud Ciceronem Aristoteles, prædixisse ipsum cõualiturum, Alexandrum Pheræum eius vrbis tyrannum intra paucos dies migraturum è vita. Vtrumque subsecutum.

Cicero lib. de diuinat.

Finis non sit si velim recensere, quæ vetus & recens historia in hoc genere innumera exempla suppeditat. Quæ si negantur, comburantur annales, conuellantur omnia, quiduis potius quàm ab errore nos dimoueri patiamur. Corpore per quietem resoluto sopitis sensibus insomnia contingunt. Quo tempore mens libera ab strepitu tumultuque externo multo perspicacius quàm in vigilia contemplatur. testes sunt diuini vates, quorum se mentibus per somnium lux diuina sæpè insinuat: testis experientia multorum, quibus in quiete imagines iã obscuræ, aliquando perspicuæ rerum instantium sunt ostensæ. Quo in genere recentia insomnia referre possem multa & illustria prænuncia certissima rerum, quæ subindè euenerunt. Sed modestiæ fines tenendi sunt, an mentiuntur omnes, fallũt, falluntur que non arbitror, non credam. E multis gemina exempla eaque vetusta proferre satis habeam testimonio & auctoritate Augustini, qualis ac quanti viri fidei haud dubię. Gennadium scribit medicum sibi notum, in paucis nobilem de animæ immortalitate dubitasse. Exemptum tamen ea anxietate gemino somnio. In priori iuuenem vidit pulcherrima specie sibi ducem extitisse ad beatorum sedes, neque tamen ex animo exemptam eo somnio dubietatem. In altero ab eodem iuuene increpitum hoc argumento. Vbi, inquit, tuum corpus iacet? *In strato* respondit *sensibus ligatis, clausis oculis.* Quibus ergò oculis nunc vides quæ ostenduntur; & illo internis respondente. Ergo morte extinctis sensib⁹ manet quod viuat, & quo possis operari. Eo argumento neque tunc respondisse Gennadium, neque in posterum dubitasse esse in nobis quod viuat extincto corpore. Video quid ad hoc philosophi acuti obijcere possint. Quid ad exemplum alterum? In pago Tuliensi Hipponi proximo

August. epist. 10. ad Euodium.

Lib. de cura pro mortuis. Cap. 12. Tom. 4

accidit, vt Curma quidam alienatis ſenſibus, ac mortuo ſimilis iaceret A diebus aliquot. Leuis tantũ palpitatio ſentiebatur in pectore. Id ne ſepeliretur effecit. Vbi ad ſe redijt, ad Curmæ Ferrarij ædes ire iuſſit, quid rerũ ageretur renuntiari. Illum paulò ante egiſſe animam inuenerunt. Rogatus qui pro mortuo iacuerat quid ſibi in eo vellet, ſubiecit, ad locum mortuorum mẽte delatum audiſſe nõ Curmam Curialem, ſed Curmam Ferrarium peti. Se in ſe reuerſum, illum raptũ morte ad vmbrarũ B locum. Quid hic dicant noſtræ immortalitatis aduerſarij: an ficta quæ à ſe viſa vir ſanctiſſimus & doctiſſimus teſtatur. An animam ſi cum corpore extingueretur, poſſe quæ occulta ſunt, quæ remota, quæ futura certè prędicere, renunciare alijs. Maneat ergo fixum, animum, qui debilitato impeditoque corpore mirabilia operatur, vegetiorque euadit, ipſo cadente nõ perire. Viciſti, Caſtellonius ait, viciſti. Io triumphe. non arbitror eſſe quod tantę perſpicuitati opponatur. Sed an caput aliud ſupereſt ſcire aueo. De libertate, inquam noſtra, de ratione, de pudore poteram diſputare, quæ hominum propriæ dotes ſunt, neque cùm alijs animantibus, ne per ſomnium quidem communicantur. Verùm de his reticere conſilium eſt, quoniam in prouidentiæ diuinæ diſputatione commodiorem ſedem habebunt, in eum locum ſuſtentate. Nempe dum de immortalitate diſputas, nos excidit eſſe mortales Caſtellonius addit. Quin ad prandium imus. Sol ad cæli mediũ feſtinãs temporis admonet. Sed &ære Franciſcani, Decanus ait, è regione vt videtis poſiti trans flumen ad triclinium & prandium vocantur. His dictis ad inferiorem villam verſis veſtigijs inter varias fabulas ire perreximus.

CAP. VII.

Tempeſtatis deſcriptio.

VEhementior ſolito erat ſol, ac qualis inter graues humore nubes. Ita citato aliquantum gradu feſtinauimus, ardor ne noceret veriti. Vbi ad villam ventum eſt, menſam ſtratã inuenimus multa roſa & herbis odoratis floridam. Prima ſpecies grata eſt oculis, Caſtellonius ait, ſi primis reſpondent reliqua, nil erit amplius optandum. Modeſtam, inquam, menſam parauimus, qualem virtus apponit, opiparam, vt ſcitis, fortuna. His dictis aſſedimus. Vuæ C penſiles & pruna Damaſcena primũ impetum ſuſtinuêre. Excepêre pulli cortales, pepones domeſtici, è grege carnes arietinæ. Oryza, ſaccaro & cynamomo inſperſa, pingueſque oliuæ Oropeſia aduectæ de bonitate cum Bæticis certantes clauſêre agmen. Inemptæ dapes & ruſticæ, non minus tamen gratæ quàm vrbanæ & lautiores, pietatis cultum profeſſis conſentaneæ menſæ eſſe debent vti veſtes, neque mutari ad cuiuſquã aduentum. Sic Baſilius docet. Matuti- D na exercitatio iuuit imprimis, quæ cibis quamuis vulgaribus addit gratiam condimenti inſtar. Tum inter prandendum varij ſermones ſerij & iocoſi, vinum generoſum ex Martini fano celebri fama. Póculis cũ modeſtia vbi ſatis certatũ eſt, lageniſq; quies data, familiares fabulæ exceperunt, ex interuallo ſomnus tantiſper & requies. Sol vltra mediam cæ- E li plagam poſt meridiem vna & altera hora tranſacta ad occaſum inclinare cœperat. Ad fontem qui in medio fundo ſcatet, ire pergebamus, cũ repentè nubibus cælum obducitur, caligine lux inuoluitur tetra ac minaci vi. Inter ortũ & Aquilonem vehemens ventus cum fulgetris & cæli fragore violento ac repentino flatu aſpirabat: quem Cæciam dixêre Gręci, à Luca in Actis Apoſtolicis Euro- *Act. 20. 9.*

elydon, hoc est, *Eurus tempestuosus*, seu *Euro aquilo* vocatur, quod nubes ad se trahat procellosus atq; typhonicus vorticibus in mari factis infamis. Increbescēte vento, & magnam voluente pulueris vim deiecti nubibus imbres & turbo immista grandine, concepti nubibus ignes & flammæ erumpunt cum horrendo strepitu latè eiaculati innoxij tamen. Plus terroris quàm damni. Eo terrore & ne è nimbo madidi rediremus, conuersi retro in sacello, dum procella sedatur, aliquandiu restitimus:

Interea magno misceri murmure cælum
Incipit, insequitur immista grandine nimbus,

Ruebat de cælo pluuia, conflictu rūpebantur nubes aliæ super alias, è montibus riui cum impetu sonantes præcipitabant. Nos in preces cōuersi antè Virginis matris signum diuinam clementiam, veniam, & pacem orabamus, verterent in hostes iræ. Post horæ spatium sedata procella pulsis nubibus & caligine diem sol restituit. E metu recreati intra villā silentio assedimus læti. Tum Decanus, quod reliquum est diei, aut in ludis transigendum, aut ad disputationem priorem recurrendum. Nam in syluam prodire qui possimus herbis arboribus humore dilapso madidis? Nimirum Castellonius ait, horis pomeridianis à labore & molestia omni cessandum. Quod Græci horologici signa nos docēt, vti elegans epigramma duobus his versibus indicat:

Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται. αἱ δὲ μετ' αὐτάς
Γράμμασι δεικνύμεναι, ζῆθι λέγουσι βροτοῖς.

Verùm qua, inquam, in re iucundius tempus collocabitur, quam in sermone de Deo & diuina prouidētia, quæ disputationis pars consulto in hoc tempus seruata est. Age ergò Decanus ait, omni inertia sepoſita, cuius etiam quædam dulcedo est, actutum rumpe moras, ad disputationem redi. *Deum esse*, versarique in rebus primum inquam, cōstituendum est, & firmis argumentis confirmandum, non quod sit cuiquam id dubium, quid enim manifestius? sed vt reliquæ structuræ hoc veluti fundamentum ponatur quod nulli cedat ponderi, Hoc posito reliqua ad satietatē superstruentur, multa iucunda auditu dictuque, quædam difficilia, de quibus hoc tempore in scholis vel maxima digladiatio est, lites grauissimæ inter theologos nostræ ætatis Romæ & in Hispania.

CAP. VIII.

Deum esse.

DEum intelligimus summū quid æternum sine initio, sine fine mentem solutam & liberam ab omni concretione mortali, & quidem de Deo quædam sunt perspicua, occulta alia supra rationem & intelligentiam humanam. De vtrisque disputare temerarium prorsus & vanū. Quanta .n. temeritas est ea perscrutari, quæ Deus subducta ab oculis voluit? Quàm inane & periculosum disputando facere dubia, quæ sunt omnibus testata? Perditorū hominum audacia & ipse disputationis ordo cogit contrectare disceptatione, quę immota melius starent. Nulla sanè gens est, neq; tanta humanitate culta, neque tam fera & barbara, quę tametsi nesciat qualis Deus sit, non intelligat & fateatur esse aliquem supremum mundi pręsidem, qui naturæ præstantia cæteris emineat. Oculos ad cælum tolle, magnitudo eius motus, constantia facilè indicat, quę mirabili ratione constant, maiori consilio gubernari. Hominem viuere vides non visa quamuis anima, ex membrorum compage & actionibus ad vnum finem directis: & erit tam cæcus qui ex admirabili rerū in hoc mundo concentu non intelligat, nō videat mentem aliquam in rerū vniuersitate versari? Ita ex nostra ipsorū contēplatione Dei notio exurgit,

git,& cùm ea implicata eſt. Id veteres indicabāt, cùm in templo Apollinis duo verba aureis litteris inciderūt. *Tu es*,& *noſce teipſum*,quaſi priori verbo Deum ſalutarent ingrediētes: Deus poſteriori reſponderet ad ſui ipſorum cognitionem prouocans,vt in ſua natura melius naturam diuinam diſpicerent quaſi in ſpeculo,atque in imagine ad Dei conditoris ſimilitudinem expreſſa,vt diuinæ perhibent litteræ atque oracula. Ergo ex hominis contemplatione ad Deum aſſurgimus,idque trifariam. Homo conſtat corpore & anima, quæ duo natura vel maximè diſcrepant: corpus ad terrena rapitur, animus aſſurgit ad incorporea.In mundi fabrica quis negabit vtraſq; item ſubſtantias verſari,corporeas & incorporeas? inter incorporeas quæ cæteris præſtat,id Deum vocamus.Eſt homo vt quædam ſtatua non iners, vt quas ab ſtatuarijs perfectas admiramur,ſed ingrediens ad Dei ſimilitudinem conformata,& regijs inſignibus munita,vt quaſi eius vicaria,eius nomine cæteris animantibus præſit, & quemadmodum Deus cælicolis, ita homo terrenis dominetur.Quod ſi in ſtatua inerti artem miramur ſtatuarij, quid hominis ſpectaculo ad eum opificem non aſſurgimus, eiuſque ingenium in opificio celebramus? Neque enim natura recipit, vt quod rationis eſt expers, generet animantem intelligētia inſtructum. Si ficus citharas ſonantes aut tibias ferret, non dubitaremus quin muſica in ea arbore ineſſet,& quædam modulandi ars. In mundo rationem verſari dubitabimus, cuius partes mirabili ratione nexæ ſunt ſupremis infimæ, cum vtriſque mediæ concentu perpetuo ſociatę?Etenim cauſæ pręſtantiores effectis ſunt, infimis cæleſtia nobiliora.& vnde in nos mētis ſublimitas,niſi ex diuinis illis ignibus & intelligentijs in noſtra confuſis corpora? Ergo ex coniunctione animæ & corporis ex rationis præſtātia eſſe diuinū numen in rebus confecimus:

A ex humani corporis ſtructura idem colligamus. Membra noſtra multa numero,poteſtate actioneq; contraria, videmus ad vnum reuocari animi vinculis & poteſtate conſtricta: eo recedente collabi in partes, & in elementa diſſipari. Collidant neceſſe eſt & ſoluātur, quorum eſt natura contraria,niſi vi aliqua maiori contineantur in pace,& mundum negabimus ex actionibus & partibus contrarijs prorſus & pugnantibus cōflatum maiori atque diuina poteſtate contineri! frænari ſingula quaſi indomita animalia & ferocia,ne interitus pulcherrimi quaſi animantis conſequatur? Huc Moſes mihi quidem ſpectaſſe videtur, cùm poſt deſignatum vaſtum & tenebricoſum chaos,quod aquas dixit,ſpiritum Domini illud fouere & vegetare affirmauit, ne incredibile nimirum quis iudicaret talem fabricam diu cōſtare fundamentis vacillantibus & fluxis impoſitam; neque verendum vt aliquando ſingulæ naturę ſoluantur in diuerſa euntes, quod diuini ſpiritus virtute ſubſiſtant. Verum ab hominis contemplatione ad cælos abeamus, non minora diuinitatis argumenta ſuppeditabunt. Eorum formam pulcherrimam & motus mirabili ratione & velocitate incitatos conſidera:id ſpectaculum priſcis hominibus Dei notitiam commouit, Iliada Homeri caſu fortuito litterarum conflatam fit ſtultum affirmare,aut palatium magnis molibus & cæmentis ad culmen perductū terræ deſidentis hiatu montis caſu glebis temerè, & ruderibus in eam formam coëuntibus effictum nemo dicat; & mundum audeat quis dicere abſq; vlla ſapientia temerè fabricatum?In omnes eius partes verte oculos, terram in ima mole vides conglobari, aquam in eius ſinus cauos dilapſam,vtraque domicilia præbere animantibus varijs. Aërem ſuperfundi,replere omnia,facilem ſe cunctorum vſibus prębere,alites ſuſpendere,nubibus,mōtes rigare,quo fon-

tes & flumina aqua non pertingunt. Inde ad cęlos consurge. Speciem nota motus in omni æternitate ratos, ad terrestrium commoditatem directas astrorum conuersiones. Solis & lunæ ac reliquarum planetarum errores ordinatissimos, quasi cælestis exercitus duces coire aliquãdo quasi ad communicanda consilia, digredi deinde, astraq; singula percurrere, eo congressu rerum omniũ in terris sementem facere. Archimedis horologium septem stellarum cõuersiones mirabili artificio complexum, si scytha aliquis aut barbarus videret, minimè dubitaret, quin ea sphæra esset pfecta ratione, qua exprimitur quidquid dies & noctes in cælis agatur: & erit inter nos aliquis qui cælos ipsos & astra, vnde hæc sunt sumpta, contendat nulla ratione constare? ex acuto & graui sono medijs interuallis aptissima ratione coniunctis cõcentum nemo neget aliquo præcinente constare & magistro. Quid cælorum mirabilem rationẽ, quam armoniã Pythagoras se aliquando audisse affirmabat, vt ego interpretor, diuinã sapientiã in ea fabrica personãtem? *Quis enarrabit cælorum rationem*, inquit Iob, *& concentũ cæli quis dormire faciet?* Vt mihi quod ante tetigi, non ratione colligi, sed oculis vsurpari diuinitas in reb. versans atq; expressa videatur. Aristoteles ex cælorum motibus alia ratione ad Dei cognitionẽ assurgit. Neq; quidquã se posse mouere asserit, in mouentib. & motis alicubi sisti, neque in infinitũ procedi. Hoc posterius manifestũ est: neque enim effectus aliquis ab infinitis causis pendere & perfici potest. Prius illud sic intelligatur. Se ipsum mouere est in se ipsum operari: agens idem & patiens vt sit secundum eandem partem natura nõ recipit, quia agit quod formam habet, ex qua vis operandi existit, patitur quod forma caret, vt illã accipiat. Ita nulla se res calefacit, se ve gignit. Quæ mouẽtur ergo, ab externa causa impelluntur, à cælo animãtes, cæli à prima sphæra rapiuntur diurno motu. Nihil se ipsum mouere est positũ, neq; pcedit infinitũ in motorib⁹; resistendũ ergo in aliquo, quod primam sphærã torqueat immotum ipsum & æternum. hoc Deum dicimus. Multa sunt rescanda, ne in ipso disputationis aditu diutius hęreamus. Sed ex fine cõmuni actionum omnium idem colligere licet. Est enim natura comparatũ, vt quo nobilior agẽs est, eo præstantiorem finem & communiorem respiciat. In ædificijs fabri partes singulas respiciunt, architectus ad toti⁹ fabricæ summam dirigit aliorum opera, vt cum forma mente proposita partes cõsentiant. Id ipsum in re nauali, & in re militari cõtingit. Quod ergo res singulæ præter fines priuatos ad vniuersi cõseruationem & tutelam referuntur, subest causa altior, quæ ad eum finẽ cæteras dirigat, occulta quidem, sed præstãtior ijs quæ videntur. Deinde vt Cleanthes disputabat, siquidem inter rerum naturas ordo est, vt hæc sit illa omninò præstantior, in aliqua resistẽdum quæ sit præstantissima omnium, id Deus est profecto. Calida ad perfecti caloris fontem, nempe ignem reuocantur, lucida ad solem, atq; ita per genera singula. Quid ergo in rerum perfectione? nonne ad naturam perfectissimam veniendum est? quid in beatitudine? resistendum profectò in aliquo quod non ab alio, sed à se felicitem habeat solidam, neq; vlla parte defectam. Quid diuinationes dicam, miracula, insomnia cęlitus immissa, quæ sine superiori virtute & re condita fieri omnia non possunt? & satis declarant, supra ea quæ videntur, subductas ab oculis latere substãtias incorporeas æternas, quarum virtute præter naturæ cursum hæc & similia eueniunt. Quod si cætera deessent, superior tempestas, nimbus, eiaculati ignes satis indicant Dei magnitudinem. Iris illa gemina futuræ tranquillitatis nuncia in nube roscida multiplici colore quasi circino tornata solis radijs ex aduerso inciden-

Iob 38. 37.

tibus atque reflexis ad oculos, mutata propterea vera nubis specie & colore in alias colorum imagines, satis Dei conditoris tum sapientiam tum pulchritudinem commendat. cæcus est qui diuinam claritatem sese sensibus ingerentem non perspicit. Siue ergo cum Pythagora dixeris Deum esse mundi animam, siue cum Anaxagora mētem se ipsam æterno motu agitantem. Siue vt Chrysippus naturalem vim diuinamq; necessitatē, siue vt Zeno diuinam legem atq; naturam per omnia artificiosè permeantem eam necessitatem, naturam, legem, mentem, mundi animam, Deum intelligimus, neque offendat appellationum diuersitas, quādo ad vnum reuoluuntur omnia.

CAP. IX.

De sapientia diuina.

DE *Deo* quæ dixisti plana sunt omnia, de iride plura libenter audiremus, Castellonius ait, quid portendebat bonum ne an malum, veri sint ij colores an imaginarij, quibus nulla Indica pigmenta comparentur; eccur in minori arcu, cæruleus color, ruber mox, ac tandem viridis cernatur, in superiori cōuerso prorsus ordine. Turpe sit peregrinari in ijs quæ oculis identidem vsurpamus. Disputatio, inquam, difficilis & spinosa, & in qua vt in multis humani acies ingenij hebetatur. Conabor tamen vestris votis satisfacere, sed paucis ne longius à proposito nobis finè digrediamur; vos ex paucis reliqua colligite. Ergo in nube caua matutinis ferè aut vespertinis horis sole citra vltrave mediā cæli plagam cælestis arcus apparet obiecti solis radijs effictus, eoque circuli perfecti forma qualis solis est, maior humili sole minor sublimi. radij repercussa acie, vt fortiores illi sunt aut inualidiores, varias colorum species mentiuntur. Ac primū qui solis medio sunt viciniores ob suam violentiam in nubem obiectam, & rocidam incidentes eā penetrata imbecilliores radios ad oculos reflectunt. Sic coloris species existit atro vicinior, quales res procul aut lumine deficiente videntur, nempe cæruleus. Sequitur ruber radijs, qui reflectuntur validioribus, ac tandem è validissimo repercussu viridis color lucido cæteris propior dempto flauo cuius rubrum inter & viridem imago quoque ex ea duorum colorum cōiunctione existit, nō vera species. Vlteriores radij, quia satis sunt validi, nubem, vt est oculis, mōstrāt obscuram aut candidā: cessat tantisper mendaciū. Ex interuallo tamen rursus ij radij reflexi ad oculos quandoque quoniam à medio solis puncto procul recedunt debilitantur, minus inferiores quàm qui supereminent. Ita primo loco conuerso ordine viridis color existit luci vicinior similiorque, deinde coccineus, postremo cyaneus. Si vlterius procedas repercussi radij penitus debilitantur, vt amplius mētiri eos colores nō possint, sed potius nubis ipsa imago incidēs, oculis veram eius speciem refert detersa omni fuco. De præsagio nil dico, matutino tempore & ante pluuiam, sicut & rubor cæli, futurū imbrem indicat. Vespertinus præsertim si post pluuiam incidat, cælum sudū, nihil cum certa fide tamen. An hæc satis clara? Imò illuni nocte obscuriora Castellonius ait. Nihil inquam mirum, quæ ex philosophiæ & artis perspectiuæ arcanis peti debet, ea videri obscura. Vos per otium quæ dicta sunt accuratè cōsiderabitis, ex ijs quæ magis sunt recondita & abstrusa per vos ipsi sine duce. Sed & illud non minus quā cætera mirabile: qua terram attingunt iridis capita, diuinus odor exhalat, cui cōparari suauitas nulla potest. Auctor Plinius, diuinæ sapientiæ argumentum præclarū. De qua nouo ex principio disputare pergimus, atque vim eius rursus ex mundi inspectione subtilius manifestare. Ac primum hanc mūdi *Plin. lib. 11. Cap. 7.*

fabricam vt templum quoddam magnificum aut regium palatium consideremus. Totum opus fornicatũ, cælis & elementis quasi contignationibus in sublime erectum. Infima & maximè ignobilis nobis & terrestrib⁹ designata terra domicilio est. Informem natura fœdaque specie herbæ, arbores, flores mirificè exornant, atque ita vt cum cælo de pulchritudine saltem aperiente se verè certare videatur, illique conuitium facere. an nõ varij coloris & formæ flores cum stellis contendant? Vinaria in hoc palatio dispicite, mare superum & inferum terris insertum, & terras cingentem oceanum. *Hoc mare magnum & spatiosum* alueis David cecinit, piscium multitudo & agmina innumera, eaque admirabili fecunditate, vt esca suppetat maioribus serueniur imbecilliorum genera. Hortos & saltus quis requirat in tanta copia arborum mitium, in syluarum tanta vastitate pecudum & ferarum gregibus per montes errantium? Huc huc oculos & animũ. Septem orbis miracula, Aegypti pyramides cæli æmulæ, Domitij Neronis palatium vrbis instar, vilia putẽtur, præ hoc palatio. Gemmas, smaragdos, carbunculos in terram abiecit tãtæ fabricæ architectus & dominus, aurum & argentum sub terram condidit, vt contemnẽda indicaret, quæ mortales per ferrum & ignes petunt. Penu geminum terra atq; mare, vnde cunctæ animantes petunt escas, ex aëre quoque quæ pennis suspensæ ingredi per terram non possunt. temporis spatia ita diuisa, vt feræ nocte cõcubia quærãt cibos quasi latrones, homo & mansuetæ animantes per diem ad opus procedant vti Dauid cecinit elegãter ad Deum conuerso sermone. Quis hic se cõtineat, aut quis cum eodem vate non exclamet? *Quàm magnifica sunt opera tua Domine: omnia in sapientia fecisti.* Et quidem cæteras animantes natiuis indumentis texit aduersus iniurias temporis, ad tutelam alia cornibus, dentibus, vnguibus armauit, pedum alijs vel alarum velocitatẽ largitus est; homini, quoniam nudus in hanc vitam quasi ex naufragio ꝓcedit, in vestuarium attribuit, linũ, lanam, gossipium, bombycem, ad conflanda arma ferrum aliaq; metalla, quibus faceret ingenium & manus. Ijs præsidijs vita nostra multo securior redditur & commodior quàm aliorum animãtium. Quid de remediorũ apotheca aduersus multiplices morbos dicam? nulla est herba, nulla arbor, nulla gemma, nullum metallum, quod virtute salutari nõ sit præditum, quasi prouidente Deo, vt cũctæ naturæ partes homini quasi domino tributum pendant. Quid plura de spectaculis addam; quæ in terra dieb. omnibus exhibẽtur quasi in communi ac stabili theatro. Quid de re nauali qua ope in mutuos vsus remotissimæ nationes conueniunt: de quo parcius, quoniam paulo post sermo recurret de re eadem. Verùm singulas orbis partes accuratius perspiciamus. Cælum quasi fornix est & laqueare, quo tantum opus tegitur stellis in gyrum actis multo splẽdidius & ornatius quàm auro. Perpetua ratione tẽporis spatia bifariã diuidit. Luce in terris diffusa diem efficit, subducta ab oculis noctem opacat: lucis & tenebrarum vices ita dispensat, vt vbiq; terrarum quãtum in æstate nocti detrahitur temporis, tãtum reponatur in hyeme, æqualia prorsus sint spatia lucis & tenebrarũ. Noctu terra fœcundatur, herbæ & arbores radices agunt, interdiu calore tepefacta tellus fœtus emittit, virgulta, & gramen, in folia dilatantur & ramos. Per noctẽ homo quiescit, per diẽ in opere & negotio versatur. Ea vicissitudine redditur lucis aspectus gratior interruptę quã cõtinuatæ. Sic auroræ, quia tenebris succedit gratior quã vespertini crepusculi facies. Notatur tẽpora ea vicissitudine quod in cõtinenti luce nõ cõtingeret, nostræq; mortalitatis admonemur, quãtum de vita detractũ, quantũ in

Psal. 103. 25.

Psal. 103. 24.

ætate ꝓgressum. Tres lanificæ sorores quas Parcas dixêre, hoc est, tria tempora, ex ea motus in sua varietate cõstantia existunt. Ea rota vitę stamina & fila ducuntur perpetuo in corpus nostrũquasi in fusum glomerata. Eadem'supremus figul⁹ magno incitata impetu ex argilla & luto varias species fingit quasi figulina vasa, & solis vapore quasi in furno decoquit. Ad hæc haustri vsum præbet: in quo vt aqua in sublime leuatur rota, sic astrorũ calore aqua extenuata in vapores, mõtes, quo fontes & flumina nõ pertingunt, perpetuo rigat fœcũdatq; , ne maxima terræ pars ariditate ardoreq; torreatur. Quid septem stellarũ errantium errores ordinatissimos cõmemorem vsib. terrestriũ imprimis necessarios? Annũ sol ambitu facit Zodiaci signa pcurrens dieb. trecentis sexaginta quinq; & quadrante. Mensem luna auctu senio labore describit, idẽ spatiũ peragens diebus viginti nouẽ horis duodecim. E regione solis facta incurrit in vmbram terræ obscuraturq;: eadẽ subiecta soli opposit u, eius lumẽ eripit oculis nostris. Ex hac varietate terrestrium ortus interitusq; existit, dies noctesq; , hyemis & æstatis spatia. Hyeme se homines intra limen cõtinent ne syluescant soboli ꝓpagãdę dant operã. Veris & æstatis tẽpora in cõmercio & agrorũ cultu ponunt. Quod si vnius & alterius astri tã varij & mirabiles vsus existũt, quid de alijs omnib. neq; magnitudine, neq; virtute minoribus erit iudicandũ? è paucis quæ sunt dicta cętera cõijcite. Sed à cælo tamen ad aërem gradum faciamus, relicto igne, quoniam de eius elemẽti natura & forma philosophi variant, sit ne aliquid præter lucẽtes stellas ab illis discretum inuisumq;. In quolibet cũ Iobo sciscitari. Quis

Iob.38.28. *sit pluuiæ pater, vel quis roris stillas genuerit? quis ingress⁹ est thesauros niuis, aut grandinis thesauros quis aspexit?* Mirabilis Dei sapientia in rerum harũ dispẽsatione. Cæli rota, vti paulò antè dictum est, aqua in sublimè elata montium cacumina irrigua & fęcunda facit. Eadẽ vi excitantur à terra flatus & venti quorũ est mirabilis natura. Aquarũ redundãtia ne mergatur plaga terræ septẽtrionalis, sublimior cæteris regionib. eminet, Australis multo est humilior. Sic flatus australes quia calidi aquas extenuãt in vapores, & ꝗa ab humiliori terræ parte nubes in sublime impellũt, vbi aëris frigore in pluuias concrescunt. Ex aëre spiritũ ducunt animantes. ꝙ si perpetuò nubibus obductum esset, nõn posset, non esse noxiũ & graue, sic factũ ventis alternãtibus, vt aquilonares quasi scopæ eas sordes pellant, quoniam è sublimiori loco flãt disiectis dissipatisq; vaporib⁹ atq; ad terrã deiectis, vnaq; opera aquas & maria frigore innato cõnstringunt, ne in vapores ampliùs soluantur: resistantq; imbres. Illud etiam in aëre insigne, ꝙ tenui substãtia est, vt facilè cuncta sequatur & repleat, seque idoneum cũctorũ vsib. præbeat. eoq; aut nulla præditum est ingenita qualitate, aut certè alienas facillimè recipit, vt cũctis reb. se accõmodet. Idẽ aues volatu suspendit, & spiritu duct⁹ terrestrium vitam sustẽtat. De aqua Iobus disputare volens. *Nũquid ingressus es,* inquit, *profunda maris, & in nouißimis abyßi deambulasti?* Iob.38.16. Mirabilis sapientia in aquæ constitutione, quæ mole multo maior terra, ne eius omnes partes inundaret, diuino præcepto intra profundas valles & loca caua compacta est: ibiq; captiua detinetur: Quis enim conclusit ostijs mare Deus ait quando erumpebat; quasi de vulua procedens: *Circundedi illud terminis meis, posui vectem & ostia* Iob.38.11. *dicens, vsque huc venies, nec procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos:* Quibus Iobi verbis satis indicatur Dei præcepto cõtineri mare ne terras inũdet. Eaq; causa vel sola, vel maxima marini æstus reddi potest, vt ex pugna perpetua veniat inter fræti naturam diuinumq; vrgens & retro cogens præceptum, cum præfixos terminos aquæ attigerunt

retro relabuntur & fugiunt, & quasi in se ipsas glomerãtur. Sed & eodem æstu mare purgatur, & ad littora eijcit corpora quę propter leuitatem enatãt. Quam enim esset impeditum nisi eæ sordes eijcerẽtur, quam fœda eius facies? Per terras omnes insinuatur mare, vt vaporibus excitãdis quę in pluuiam concrescunt, se cõmodũ exhibeat. Ita regiones quæ procul à mari sunt æstu & ariditate vastantur; contra quæ mare circumfluum habent, agrorum fertilitate & vbertate præ cæteris nitent. Sed in quo diuinę sapientiæ lumen maxime conspicitur. quãdo in vastissimis regionibus Africæ & Asiæ, quoniam mare longinquum, maris vicaria flumina nõ pauca campos inundant. In India Ganges, Tygris, Euphrates. in Asia ipseq; Iordanis, in Africa Nilus & Nigir, Aegyptum ille, hic interiorem Aethiopiam anniuersaria inundatione fœcundant. Magnum & perpetuum naturę miraculum; innumeris fluminib⁹ & copiosis in mare deuolutis nunquam redundare tamen, ꝙ quantum accedit, tantundem in vapores extenuetur, vnde imbres existant, siue per occultas terrę venas & meatus perpetuo transmittit humorem quo fontes vbiq; permeant. *Sic ex mari prodire flumina* Salomon dixit, *eodẽq; redire, vt iterũ fluãt.* Quibus consona Lucretius alioqui parum pius de aqua agens. *Eccl.1.7.*

Partim quod subter per terras diditur omnes:
Percolatur enim vir⁹ retroq; remanat
Materies humoris, & ad caput omnibus omnis
Cõuenit: inde super terras fluit agmine dulci.

Hæc verò syncerior fõtiũ origo quã q ab alijs designatur intra terræ viscera ab aëre cõcreto. Quantũ enim, id est, vt ex eo perennes & copiosi fõtes existãt? Sed & nouũ à mari cõmodũ, facilitas cõmercij: ea enim nauibus metimur spatia & littora, ad q terrã nisi magnis exhaustis periculis, magno labore, lõgissimo tẽpore nõ possemus peruenire. Sic copię oẽs ad victũ cultumq; corporis, ex varijs locis in q cõsulto natura dissipauit, in vnũ conferũtur, multi copiosi mercat⁹ vbiq; terrarũ instituuntur. Ad nauigationis facilitatẽ in cõtinenti portus excauauit fidas nauiũ statiões cõtra ventorũ vim, insulas in medio mari quasi diuersoria, vbi vectores recenti cõmeatu & quiete reficiant vires nauigationis molestia fractas. Mutuæ inter homines amicitiæ præcipuũ à cõmercio vinculũ. Sic factũ vt nullã regio bonis omnib. abundaret, nulla sua dote careret. In remotissimas nationes & solis ardorib. exustas gẽmas, aurũ, aromata relegauit, q cupidissime peterent gentes alię. Terrã demũ videm⁹ nõ nouercã, sed piam matrẽ cũctã, q ex se emisit, suis viscerib. recipere, nulli animãti denegare quietẽ. Iobus *terrã super nihilo*, Dauid *super stabilitatem suã* fundari dixit, alijs verbis eadẽ vterq; sententia in se ipsam cõglobari indicauit, neq; alio egere fũdamẽto ne imposito cõcedat ponderi. *Iob.26.7.* *Psal.103.5* Nam ꝙ idẽ vates alio loco *super aquas firmari* dixit, aut ad vulgi opinionẽ respexit vndiq; mari cinctã & littorib. clausam id existimãtis, aut super aquas idẽ valet quod iuxta aquas, qui modus loquẽdi in diuinis libris frequens est. *Psal.135.6* Verum nõ vndiq; plana est, neque ad medium æqualiter conuoluta, vti eius grauitas postulabat; sed ad omnem cæli plagam campos tendit, montes erigit, valles excauat, ne terrestres animantes aquis obruta deleret. Ita montes quasi tecta sunt, per quæ aquæ dilapsæ in valles & communes locos defluant. Plana frugibus seruiunt & pascuis, montes salubritati & securitati in ijs habitantium. Cacumina plurimum niuibus rigent, vt in æstate auræ flantes ex ijs suauissimæ solis ardores temperent, ne terras penitus exurãt. Sic factum, vt regiones frigidæ plurimum planæ sint, quoniam eo præsidio minus indigent: quæ ad austrum vergunt perpetuis iugis montium secãtur in sublime elatis. Sed &

in æsta-

in æstate quanta factum sapiētia est, vt in mari & locis maritimis, vbi æst⁹ maximè vigent, ex septētrione perpetuo horis pomeridianis perflent venti, quos *Etesias* dicimus. Qui in opere versantur, q iter faciunt, aut nauigāt, ijs flabellis recreati sine noxa sine molestia perseuerant. Quis satis diuinam sapientiam admiretur? Sed & illud considera, terram ex se fœdā esse, siue quod in eam quasi in cōmunem sentinam, omnes vndiq; sordes defluant, elementorum, animantium, siue quod elementa alia lucida & perspicua sunt, terra obscura crassaq;. Eam tamen fœditatem herbæ cōtegunt & flores, vti paulò ante dicebā, eo ornatu & specie vt cælo ipsi mihi videatur facere conuitium, de pulchritudine certare. Ipsæ quin etiā terræ partes rupibus impeditæ, ob ariditatem infœcundæ salubritati & ædificijs mirificè deseruiunt. Syluæ & inaccessa loca feris sunt destinata; quę nisi essent, penitus à stirpe deficerēt hominum solertia captæ venatu interēptæ. Sic ea terræ varietatē genera omnia cōseruantur, orbis ex ijs decor & ornamentum. Quid plura? multa resecanda sunt, ne vobis fastidium pariant. Perge potius, Decanus ait, nullus mēti suauior cibus, quam ex rebus creatis diuinæ sapientiæ cognitio. Ex omnibus, inquam, in quibus sine modo vagari oratio possit, hominis fabricam inspiciamus non vniuersam, sed corporis tantū. Quo modo diuina sapientia corpus dorso & spina quasi carinam compegit, nō ex vno perpetuoq; osse, ppter necessitatem ingrediendi seque flectendi: nō rotunda forma, sed producta, capite extante, vnde sensus quasi ex specula vigiliæ despiciūt in omnes partes, & quid agatur renūciant. Ex imo bina crura formauit quorū alternis motibus perduceremur, quo mens eundum iudicaret. Præcordia & intestina costæ quasi crate obiecta muniunt, quoniam vt mollia essent & fluida naturæ necessitas postulabat. Per totum corpus venæ, arteriæ, nerui diffusi sunt, vt per venas sanguinis nutrimētum, per arterias vitales spiritus ad alia membra sensusq; ferantur. neruis quasi habenis singulæ partes & totum corpus circūagitur. Sensuū organa inspice, oculos, nares, aures miro artificio perfecta: atq; illud planè diuinum, quod in tāta tunicarum & membranarū, & tam subtili fabricatione, nulla tamen vsu vacat, nulla superuacua est; contra si minimam detrahas, tota corruet structura. Per arteriam asperā à pulmonib. ad os pertinentem, spiritus ad recreandum cor ardore nimio flagrātem ferrariæ instar, excipitur & reditur; qua ope vox mētis nuntia linguæ & dentium ministerio adiuta fingitur, quasi plectro & fidibus. Eadem claui tegitur, ne cibi influant in vitalia, q esset noxium. Mitto spiritum & sanguinis officinas, seminis vasa, cibi coctiones, ad egerēdas sordes patentes cloacas. omnia ea & singula ratione perfecta, qua maiorem non modo perficere, sed ne excogitare quidem mens vlla aut ratio possit. Verùm in homine accusant quidam quod inops, quod multis reb⁹ indigeat, quod inermis & imbecillis procedat in lucem. In quo tamen naturam vituperant seu diuinā sapientiam, in eo vis eius mirabilius apparet. Quod enim homines non solitariam vitā agunt, sed in cœtus & vrbes conueniunt, & mutuæ charitatis vinculis constringūtur, qua nihil est dulcius, ex imbecillitate corporis ex multarum rerū indigentia natum est, vt quod singulis deerat, multitudine certè & societate suppleatur. Ita, quæ præpostere facta accusantur, in ijs diuinæ sapientiæ vis mirabilius elucet. De brutorum animantium solertia vsuque multa addi possent. quo modo nobis deseruiant. alia plaustra collo trahunt, aut terram aratro moliuntur, aut onera portant dorso. Canes domos custodiunt, in venatione adiuuant. Pecora cibos ex se & tegumenta suppeditant. Summa, nulla est naturæ pars quæ

homi-

homini vt domino, tributum non pendat. Quo loco stultorum ineptæ voces comprimendæ sunt, minuta, noxia, inutilia animalcula incusantium, quibus carere profectò humana vita potuisset. Verùm qui in summa errarunt, nulla sapientia sed temerè mundum constitutum, in singulis partibus hallucinentur necesse est, similesque existant rustico artificis officinam ingresso, superuacuaq; omnia ferramenta putanti, cuius vsum ipse ignorat. Et erat promptum has incommoditates vitæ, antiquo humani generis delicto referre acceptas. eo enim sublato aut omnino, aut molesta nobis non exitissent. nostra culpa factum est, vt terra spinas proferat, noxia animalcula. Et alioqui nulla re magis excitamur ad diuinæ sapientiæ cõtemplationem. Apis ædificia & nectareum succum, formicæ stabula & horrea, araneæ retia, bombycis stamina, cantharidis venena, muscæ spicula, culicis tubam & lanceam dispice. Vbi tot sensus in pulice natura collocauit, videndi & audiendi facultatem quomodo inseruit? odoratum & gustum in culice? qua arte truculentam illam vocem & corpore maiorem ingenerauit? vbi nerui, spiritus, & sanguinis vicarius succus? Ex hominis fabrica, ex cæli & elementorum dispositione, an faciliùs mens ad Dei contemplationem assurgat nescio, quam ex his minutis molestisque animalculis.

CAP. X.

Diuina prouidentia res omnes regi.

DEVM quidam fatentur commoti vniuersitatis spectaculo ratione res omnes & sapientia condidisse: eundem rerum procuratione spoliant, quasi beatus esse non possit si se vertat in omnes partes curaque complectatur cuncta quæ in terris aguntur maxima minima mediocria. Id voluptarius Epicurus docuit. Aristoteles cælestia procurare dixit, neq; vltra lunæ sphæram prouidentia procedere. Quod impiorũ voce quidam expressit illis verbis. *Circa cardines cæli perambulat, nec nostra cõsiderat.* Iob.22.14 E rebus nostris maiora curare tãtum, minora negligere putarunt alij, quasi Deo indignam procurationem. Quam sententiam Cæsaris verbis cõtinua felicitate superbientis, Lucan⁹ exposuit illis verbis.

---Nunquam sit cura deorum
Se premit, vt vestra morti vestraq; saluti
Fata vacent. procerũ motus hæc cuncta sequuntur:
Humanum paucis viuit genus.

Qui omnes ne inaudita causa se dãnari conquerãtur, quibus argumentis in eos errores fuerint prolapsi explicandum est. Negant vnum posse tam multas res tam minutas, cura & cogitatione complecti, non modo quæ in vniuersis generibus aguntur, sed inter homines, atq; adeo in vna vrbe & pago vno. ꝙ si posset, quanta ea molestia esset, quantum tædium? Aiunt, multa in rebus esse quæ diuinam prouidentiã redarguant. Mitto noxia & minuta animalcula, ne quis delictum primum excuset. Sed certè imbres sæpè decidunt, cum frugibus & arboribus sunt vehementer infensi. repentino grandinis nimbo labores totius anni, agrestium spes pereunt. Procella excitatur mari classibus constrato. Multa in montibus iacent, quæ ex vsu essent in oppida translata, ligna, lapides. Infinitam auri & argenti vim mari mersam, aut in terræ visceribus inclusam. Quod magis mouet, sursum deorsum verti omnia criminantur. Scelerati bonis omnibus circumfluunt sine offensione vsque ad vitæ finem. contra probi cum inopia & malis omnibus sine fine conflictantur. quam iniquitatem in diuinis libris sanctissimi viri grauissimis verbis accusant, cum Deo expostulantes. Ac illud præsertim

ſolicitat, quod Deus ea bonitate praua & iniuſta opera vt fiāt ſancire ſua A prouidentia certè nō debet. Permittit inquis, non fauet. Sed rurſus ex ea permiſſione putas delicta prouenire neceſſario, an libere? ſi prius, eodem reuoluitur ratio, Deum ſancire mala. Si libere, poſſumus ergo contrarium operari conſonum probitati opus. Quod ſi datur, Deum neutrum prouidiſſe dabitur, nam ſi vt fieret bonū id opus ſanxit eo loco & tempore, contrarij peccati facultatē nullam reliquit. quod ſi à diuina prouidētia actionem vnam eximimus ſiue bonam ſiue malam, cur de omnibus idem non ſtatuamus, actiones noſtras diuina prouidentia nō regi, ne aliorum quidem animantium? Hæc fere argumēta ſunt, quibus quidam inducti non Dei prouidentia, & numine ſingulas actiones procedere putârunt, ſed vel temere, vel aſtrorum poteſtati ſubiici quod fatū C dixere. Quæ de Dei nutu dicuntur: Caſtellonius addit ea à magnis philoſophis eſſe conficta ingenioſe magis quam verè quidā putant, ad continendam eo fræno humanam prauitatem. Inde verò varias religiones natas, quæ fuſæ per orbem terrarum homines multiplici errore dementarunt. Miſeram inquam, virtutis conditionem, ſi mendacio nititur, D neque ſolidis radicibus proprijſque viribus ſtat. Et conſtat nihil eſſe homini nec magis proprium, nec commune magis quam notitia Dei, religionis ſtudium, non loquela, non ratio quibus bonis vel ſolis vel maximè ab alijs animantibus diſcrepamus. Cùm enim ſuas voces proprijs inter ſe notis diſcernunt, colloqui videntur, ridere cum contracto rictu auribus & oculis heris, aut fœtibus blandiuntur. Quando vtilia ſibi conſectantur, reſpuunt contraria, latibula in plures exitus diſparentia parant, ſæpè hominem deludunt: quis negabit aliquam rationis imaginem neque obſcuram, ſed expreſſam mutis datam à natura?

Ex tot tamen generibus præter hominem nullum eſt animal, quod habeat notitiam Dei, quod cæleſte numen colat: ipſiſque in hominibus nulla eſt gens tam fera & inculta, quæ, etſi erret in cæteris, Deum tamen aliquem non colat. Quod iudicium ſi falſum eſſet, neque à natura ipſa inditum, profecto neque tam latè pateret, neque eſſet tam ſtabile. commenta & fictiones delet dies, naturæ notiones confirmat, nulla vt temporis B diuturnitas euellat, nulla ſæcula. Et nimirum qui ad cæli contemplationem effic̄ti ſumus, quod dixit Anaxagoras, quo corporis ſtatura prouocat ad cælum erecti, in religionis cultu diuinæ maieſtatis contemplatione mirabiliter conquieſcimus. Enos quidem inter homines celebraſſe primus diuinas laudes memoratur: vt Hebraicæ vocis interpretatione, qua homo ſignificatur, hominis officium notetur, nihil naturæ noſtræ ſalutarius, nihil iucundius eſſe religionis ſtudio. Quod ſi eadem voce homo ærumna preſſus malis contritus, certè ſignificatur, rebus aduerſis præſentius religione remedium nullum eſſe ex ea Hebraica item notatione indicabitur; quod eſt veriſſimum. Condita enim hac pulcherrima mundi fabrica, quoniam cæteræ animantes tanti operis pulchritudinem admirari non poterant, quippè in terram pronæ, poſtremò loco homo eſt in hoc templum inductus, vt vniuerſa ſpecie commotus diuinas laudes ſine fine celebraret. Vides ergo E religionis ſtudium inditum à natura non confictum ab hominibus. Porrò religionis ratio tota ex perſuaſione pendet diuinæ in nos beneficentiæ. Quid enim coleremus, vnde neque in præſenti aliquis fructus exiſteret, neque in futurum ſpes premij? Quam eſſet ſtultum noſtris cupiditatibus indicere bellum, vitæ iucunditati-

bus

bus renuntiare præ pietatis cultu, A præ iustitiæ, si nullus est qui videat, qui pro meritis pœnas mortalibus & supplicia distribuat? sublato numinis metu, quid efferatius homine esset, quid immanius? quas non strages daret præsertim ob potentiam, aut latebras legum & iudiciorum vt sæpè contingit timore sublato? Magnam vim hoc argumentum habet Castellonius ait, quod à religione ducitur. Ex hoc naturę sensu cum ad B tribunalia inquam, à iudice, aut priuatim à potentiori iniuria premimur, oculos ad cęlum tollimus, quasi ad diuinam opem prouocantes.

Iusiurandum. Eodem pertinent sacramenta quibus gentium consensu fœdera & pactiones firmantur, atque ita vt nulla promissio nullius fides satis stabilis credatur, nisi iurisiurandi religione firmata. Tolle de vita humana C sacramenti sanctitatem, qua sublata prouidentia stare non potest, commercia inter homines magna ex parte substuleris, quæ nisi fide steterint, opibus non stabunt. Sic Deus in diuinis libris διαθήκη, id est, *pactum* dicitur, quod sol⁹ fœdera sociare possit, sine eo inania conuenta sint & instabilia. *Gen. 31. 44.* Itaque Laban fœdus cum Iacobo genero suo initurus remotis D arbitris, quo maior religio esset, illi iusiurandum dixit testatus quoniam testes abessent, diuino numini magis, quæ sanciebant fore curæ, acrius vindicaturum si fallerent. Hoc alterum argumentum est, quod à iurisiurandi fide sumitur.

Deus. Deindè qui Deum rerum procuratione deturbant, verbo Deum confiteri, rebus negare E mihi videntur. Qualis enim Deus ille, qui si se commouerit, non possit esse beatus, in voluptatibus quasi in lustris & popinis exigat vitam. ad actionem vita refertur, imò tota vita actio est. neque verendum vt se solicitudine & cura multiplici obruat. Fusus per omnia se rebus omnibus miscet, non secus quam si multiplex esset, innumeræ mentes in vno inessent tot capita quot negotia. Eo pertinet Ægyptiorum celebris nota Dei A significatione effingentium circulo serpentem inuolutum quoquo versus, capite imposito accipitris. quæ auis acie oculorum prædita est acutissima. Orphæus Deum dixit esse ὄμμα ἄπειρον. *oculum infinitum*, vt quemadmodū sol ex ortu radios sine molestia in orbem vniuersum effundit, ita sine labore Deus credatur luce intelligentiæ collustrare cuncta suprema media infima, nulli⁹ prorsus inscius. B Anima solo voluntatis impulsu membra corporis omnia circumagit, vertit in quamcumque partem necessitas inuitat aut libido. Testudo seu struthio oculorum acie in oua defixa fœtus excludit. Magnum naturæ miraculum. Et Deum dubitabimus placida mentis contemplatione in omnes mundi, quem condidit, partes dispicere? C Fixum ergo sit, posse sine molestia Deum rebus omnibus prospicere, qui totus sit intellectus. Facultati an voluntas desit? non planè, siue quia artifex opus à se factum tuetur & promouet, siue quia naturæ parens incredibili amore curaque fœtus suos amplectitur & fouet. Matres aliquando inopia coactæ infantes à se editos alienæ D misericordiæ exponunt, certè nutritionis molestias exhorrentes ære nutrices externas aduocant. Deum nulla subigit necessitas nulla defatigatio, vt à se editos fœtus deserat. Et alioqui in ea elementorum pugna, mundi fabrica qui constaret, nisi Dei virtute constricta & castigata continerentur in pace? Iam hominum quanta stultitia est, quanta amentia? E Milites exiguo stipendio conducti mille periculis vitam obijciunt, mercatores vile ob lucrum & dubium se vasto mari committunt. alij perpetuis se curis cruciant, vt honores indipiscantur. Hæc studia prępostera ita sunt & inania, vt sine illis tamen respublica nō constaret. Quis singulorum errores sapienter ad bonum publicum dirigit? in eo diuinæ sapientiæ lumen maximè elucet,

quod

quod quæ à fine proposito imprimis aberrant, prudentissimè moderatur A & temperat quasi ex noxio veneno salutarem potionem. Ad hæc melius est consilio regi quam casu & temeritate. Mundo autem nihil est pulchrius, præstantius nihil; alicuius ergo prudentia gubernari est necessum. Nauim in portum inuehi sine nauclero, cum hoste in pugna conferri signa sine duce, structuram palatii superbi ad culmen perduci architecti arte destitutum nemo dicat. B Et erit qui mundum eiusque partes ad suos fines procedere temere & sine rectore vllo pronunciet. Apage amentiam. Aut qui possint virtutes constare si nulla sint præmia? Quid stulti⁹ quam sibi nocere, vt alijs quis prosit, quod præcipit sæpè virtus. renunciare vitæ commodis, & cupiditatibus ingenitis perpetuum bellum C indicere? sed virtutis tãtus est splendor, arguit Castellonius, vitij tanta turpitudo, vt vindice nullo hoc fugiendum, illa sit amplectenda. Pulchrum figmentum; quo quis adducatur voluptates abdicare, amaritudinem sequi qua virtus inspersa est. At iucundius cum virtute viuitur. nullus supplicij metus solicitat. delusi homines honores & opes confe D runt in eum de quo est integra probitatis opinio. Sed quid, inquam, nisi hoc sit virtutem nundinari, mercaturam exercere? quod neruos omnes probitatis elidat. Quanto simplicius, si credatur, Deo curæ esse virtutes; quarum officia ipse præcipit; fouet cultores; contra improbos grauissimis supplicijs addicit; viuos E mortuosque mactat: Acutula hæc postrema argumenta sunt, ait Castellonius, pungunt non penetrant vt aristæ. Solidis fundamentis vastisque saxis magni ædificij moles imponatur; minuta rudera cedant oneri. Quid vitij in nostris argumentis est, quæ vanitas, inquam? Num religionem sublata prouidentia collabi negabis, eamq; non commento fulciri sed in natura insitam. Id quidem &

quæ in eandem sententiam adiecisti A præclara sunt, inquit, non negabo, iam dixi. Verum quę postremo loco inculcabas ex mundi pulchritudine consilio duci colligebas, id mihi inualidum videbatur: neque placebat virtutem non constare præmio sublato, an non hoc virtutem etiã mercenariam facit, quod in aduersarijs accusabas? Mirum inquam, singulas partes, nauim domum, currum, vrbẽ B consilio agi, vniuersum ea pulchritudine & ratione temere inuerti. Sed & probos in præmium respicere culpandum non est: quando omnes qui in opere versantur, qui cursu cõtendunt aut pugna, ea spe concitantur. tametsi nõ negârim maioris esse animi & mẽtis solidioris in pulchritudinem tantum respicere virtutis, Deumque præcipientem potius quã C mercedem habere præ oculis, eoque cõtendere vt illi nos probemus. Verum id paucorum est. Nos quod multitudinem alliciat, id inducebamus. In aduersarijs non spem præmij, sed commenta vituperauimus, eorum qui vt fallant se virtutis larua tegũt, facie homines, reliquo corpore sine ratione bestiæ, centauris similes aut faunis ficarijs. Quid verò quod nisi D orationem abrupisses somnia & vaticinia volebã inducere, quæ vt pleraque sint falsa & conficta, ex vnius veritate & constantia satis conuincitur præsidere menti Deum, cuius instinctu & inflatu diuini homines futura percipiunt ipsi, prædicuntque alijs. Sed finis esto. vestra amplius patientia abuti non constitui. Modo aduersariæ partis argumentis re E spondeamus. Quod ad rerum multitudinem spectat, mouere id non debet. Deus enim infinitam vim habet, quod idem est, ac si infinitos haberet intellectus, cuique negotio diuersum & propriũ applicaret. Id est, eius sapientiam & naturam per omnia quæ sunt in mundo diffundi, omnia percipere consulere omnibus, quod vulgato carmine Orpheus antiquissimus expressit:

Virtutis merces.

 Πάντα

Πάντα ὁρᾷς καὶ πάντα ἀκούεις καὶ πάντα βραβεύεις.
De pluuia, grandine, procellis quod afferebatur, nullam maiorem vim habet. Punit Deus aliquando sceleratos ijs malis, bonos exercet, aut suam maiestatem ostentare vult. qui terræ nata disturbet, quæ maximi faciunt homines, ea per agros dissipat, intra mare & terræ viscera abdit. Molestiæ proborum virorum vim diuinæ prouidentiæ confirmare potius debent, quasi in futura vita exæquantis quæ in præsenti deprauata videntur: eoque permittentis vt improbi copijs omnibus circumfluant, modestos egestas premat. molestiæ in eos quasi facto agmine incurrãt. fluxa sunt quæ caduca, neque magni momẽti in alterutram partem. Dei prouidẽtiam cum peccatis (quæ postrema obiectio erat) ab humana libertate profectis conciliare magnus profecto labor; & qui nouam ex alio principio disputationem postulat. Adeste vos animis, adesto de cælo parens humani generis & lux. Nisi fortè placet hanc postremam salebram in aliud tempus sustentare. Imò perge vterque ait, iucundum erit audire quid ipse sentias in nobili controuersia, quæ inter duos ordines vestrum & Dominicanum, magna contentione annos iam aliquot agitatur summo ipso Pontifice arbitro & disceptatore. Faciam si modo tantisper à superiori labore respirare concedatur.

CAP. XI.

De præscientia Dei.

Æterna diuinæ mẽtis sententia nexuque causarum latentium (quod *fatum* vocant) tum res alias, tum quemque hominem suum cursum peragere: neque esse aliquid in nostris consilijs ad euitandum quod est immutabili lege sancitũ, persuadere quidam conati sunt tum philosophi, tum theologi. stulte dices & inaniter. quis id negat? quis non fateatur? an maior esse furor possit, quam homini per quod homo est consiliorum suorum & vitæ arbitrium detrahere? an manifesti⁹ aliquid, quam in singulis actionibus suscipi eas posse à nobis & simul repudiari, vt erit libitum, vt insederit animo? Et præstabat quotidianis experimentis de nostra libertate ea adaptare, quæ de Dei prouidentia, de fato latent; quam vt hæc defendamus, in claram lucem mentem impingere, negare quod est oculis subiectum. Ea susceptæ disputationis occasio vt cum diuinis decretis, cum notitiõe diuina qua Deus quasi ex specula cũcta instantia, facta, futura cõtemplatur, neque falli potest, humanam libertatem & arbitrium in pace ponamus. Ex vtraque parte periculum vrget haud leue, ne impij iudicemur, si Deo suum numen detrahimus, aut sceleri patrocinemur, Si vitandi mala nullam in homine agnoscimus facultatem. Verùm apertior disputatio erit, si à notione singulorum nominum procedatur *prouidentiæ, fati, arbitrij*. Omnia ex diuinæ mentis decreto procedere fatendum est, quæ in sua simplicitate, multiplicem modum rebus gerendis constituit. Is modus ad Deum relatus prouidẽtia dicitur, rebus, quas disponit, comparatus, fatum. Est ergo diuina prouidentia, diuina ratio quæ immota cuncta disponit. Fatum inhærens rebus mobilib. ordo & dispositio, per quam quæque aptè procedunt momentis librata suis. Ita prouidentia simplex & in Deo est, fatum multiplex, & in re quaque suum. Nam & artifex operis simplicem formã pręcipit: deinde varijs temporibus & per partes efficit quod conceperat animo. Porrò arbitrium facultas quædam est voluntatis & rationis: per quam positis, quę necessaria sunt ad agendum, & velle potest & nolle. Ratio proponit simul & sub vnum conspectum bona & mala quæ insunt in re proposita: in eo radix

indif-

indifferentiæ & libertatis est, & in quo à brutis & pueris discrepamus: A mens enim pueri nunc hoc nunc diuersum proponit, eaque variantis voluntatis causa nunquam simul rationes omnes volendi explicat. Homines ad ea quæ proponuntur mente per voluntatem varie afficimur, optamus quod magis placet. in eo indifferentia est, & electio mentis libera. Hæc tria inter ipsa conciliare id quidem opus & labor. B *De fato* non est quod labores Castellonius ait. Hunc siue ἀδραςείας νόμον, siue εἱμαρμένην, à plerisque incusari video, ac nomen ipsum vetant vsurpari nimium religiose. quando ea voce plerique Patres vsi sunt sententia tamen stoicorum correcta & in melius commutata. *Prouidentiam* mihi cum *libertate* nostra concilia. C Omnes numeros impleueris. nostra dixi, quoniam cœlestium voluntatem, qua certè incessanter Deum contemplantur & amant, id facere necessario quamuis libenter & sponte conceditur. nostra libertas in vtramque partem agendi & non agendi, tum hoc & contrarium operandi quomodo cum certitudine diuinæ prouidentiæ stare possit, id verò cupimus capere. D Nodum tetigisti, inquam, hic est cardo, in quo vniuersa disputatio voluitur. Vt ordine tamen procedatur, quoniam prouidentia vtrumque significat, & præcognitionem diuinæ mentis, & decretum definitionemque, iuxta vtramque significationem explicabo diuinam prouidentiam rebus & actionibus necessitatem non imponere. Ac primum E Dei nuda cognitio necessitatem non infert. vides sedere aliquem. Falli visus non potest. non tamen propterea visio tua sellæ hominem alligat. ac illud potius verum, quia ille sedet, vides illum sedere non ordine conuerso, quia tu vides, ille sedet. Idem de Dei oculo iudicandum, non alio modo. Sed illud examinare reliquum est, Castellonius ait. Qui videri certo possint, quæ in se ipsis sunt incerta, nempè futura contingentia. Deindè cum certitudine cognitionis diuinæ quî possit stare libertas humana, rerum aliarum incertitudo? Hæc enim inter se pugnant certam cognitionem esse, nutare quod cognoscitur. Laudo acumen ingenij. hæc ipsa ipsissima est Salebra & Syrtis in qua hærent cunctorum ingenia, neque possunt assurgere. tentandum est tamen, quoniam nusquam maiori periculo erratur exitio certiori quam in hac disputatione, siue in Deum pecces, siue in humanam libertatem. Et quidem Deum futura quæ contingentia vocantur & à libera causa non procedunt, cognoscere non est Deo difficilè, vt fore eras pluuiam, niuem, similia. causis enim omnibus perceptis, earumque nexu, diuinare quæ sunt ventura, nullus labor. Quæ à nostra voluntate procedunt, ea certo cognoscere quidam putant ex efficacia diuinæ voluntatis definientis certo, quæ ex proximis causis vacillant. Quæ ratio eo minus probatur quod euertat libertatem. Si enim Deus sua sententia statuit in æternitate, quidquid ego in tempore sum facturus, quantumuis lento gradu & sine vlla vi procedat, indubitato tamen eueniet quod eius animo insedit, neque poterit mutari. Ita alij ad perspicaciam diuinæ mentis confugiunt qua eo complectitur naturam voluntatis, eoque sine errore conijcit re ancipiti & varia in vtram partem ferri debeat. Sed quid hoc, nisi nouam caliginem inducere? quo enim attentius voluntas inspicitur, eo indomitum magis ingenium eius cognoscitur, neque frænari posse vlla arte, vt non resiliat cum libitum erit. Simpliciùs quidam se expediunt futura per simplicem intuitum à Deo cognosci contendentes. Si vrgeas scientiam constare non posse, nisi quod cognoscitur in se sit certum, se in nebulam nouam condunt, eminentiam & perspicaciam diuinæ

mentis, qua futura sibi proponit quasi terminum suæ cognitionis. A Verùm quæ facilè dicuntur; ne per caliginem quidem percipio, neque certam cognitionem esse nisi aliunde quod cognoscitur, pro eo tempore in se existat, certè è causis determinatis sit euenturum. Solem oriri ante exortum sine errore affirmes, quia exortus certam habet causam. Sessurum hominem quis certo dicat vacillante penitus sedendi B causa libera hominis voluntate? Ita Aquinatis sententia semper animo insedit futura cognosci à Deo ex sua æternitate: qua complectitur omnes differentias temporis, præteriti, futuri, instantis: illisque adeo coexistere secundum rem. Ergo Iudæ proditio, Imperatorum Romanorum in pios homines carnificinæ priusquam essent in tempore, ad ea C æternitas extendebatur non cognitione modo, sed coexistentia: eoque non minus ab ipso mundi exordio vtraque cognouit, quam postquam acciderunt. Ergo sicut Petrum antequam sedeat non vides sedere, quia futurum, quia incertum: si sedit illud sine errore vides; sic Deus omnia, quia suo ambitu cuncta D comprehendit. An hoc satis clare? Imò nocte obscuriora Decanus ait: nisi explicas ampliùs, in æternis nos tenebris relinquis. Qui enim Deus nunc coexistat rebus quæ futuræ sunt? eas existere simul & non existere fatearis oportet. non existere quia futuræ, existere quia Deo re præsentes facis. An euadas nisi sepiæ instar atrum humo- E rem effudis verba quædam incognita & barbara quod facitis vt medici sæpè etiam Theologi. Non faciam, inquam, verba quidem erunt perspicua, rei difficultatem demere non possum. conabor tamen. Erratis quidem in eo quod obijcis, sed cum multis. non ea mens nostra est, *nunc* id est, hoc tempore existere futura in æternitate. Sed æternitatis *nunc* quæ indiuidua est & tota simul re ipsa ad futura extendi. eoque non præscientia Dei rectè de futuris dicitur, sed quasi de præsentibus scientia. Exemplo faciliùs quod dico intelligetis. Deus æternus est & immensus. Immensitate locis remota iungit, & quæ apud Indos fiunt aut in intima Africa nobis enunciare potest. An hoc dubium? Sic per æternitatem pariter indiuiduam & simplicem iungit re tempora: & quod nobis est futurum, quasi factum in æternitate & perspicit, & in præsenti enunciat. Vera quæ dicis videntur Decanus ait, cæterum humanæ mentis captum superant. Num hæc, inquam, & non multa alia quæ in manibus habemus & fatemur vera. Animus noster indiuiduus est: iungit tamen omnes partes, assistit membris omnibus. ex eo numero vnum obtruncas, manum aut aures, iam animus ibi non est, neque abit tamen neque retrahitur, aut se colligit quasi in gyrum. Quid *de tempore* dicam? per momenta effluit & fugit, nulla eius nunquam parte existente, quod est planè mirabile. Tenerum virgultum lapidum compagem firmissimam ex ortu suo diuellit & rumpit. An hæc percipitis? non magis quam sexcenta alia, quæ ratio quidem & vsus vera esse docet, qui fiant penitus ignoramus. Ex his verò facilè constat Dei scientiam nudam, non pugnare cum libertate, ne cum contingentia quidem rerum: quando sedere aliquem in præsenti, cumque adeo sedentem videre, non aufert si præteritum tempus respicias, quo minus liberè sedere dicatur cogente nemine. At Deum falli non contingit, neque fallere: quod si futura cognoscit, adde enunciauit, fore antequam fierent, mutari profectò non poterunt, euenientque non libere & contingenter, sed necessario. Nempè: duplex enim *necessitas* est, vna absoluta, vti hominem morti esse obnoxium, altera ex conditione, vt si moueri

moueri aliquem vides, ipsum

ueri necesse est. Sed hæc conditio liberæ actionis naturam non mutat. At conditio ea necessaria est, neque moueri potest, erit ergo absolute necessarium quod ex illa sequitur: neque enim Dei scientia mutatur, neque diuina enunciatio fallit. Stulte nonne percipis quod sciat, quod enunciet, vtrumque ex re iam facta in æternitate pendere? neque enim quod quis riserit, post factum mutari potest. Sed neque rursus id arguit omni tempore & simpliciter fuisse risum necessarium, neque euitari neque prohiberi vllo tempore potuisse. Maior multo luctatio superest cum prouidentia in significatione definitionis & decreti quæ vocis posterior notio est, vti superius est dictum.

CAP. XII.

Deus peccati auctor non est.

DVO scopuli sunt in hac disputatione vitandi, ne cymba mẽtis frangatur & pereat: primùm ne dum diuinam prouidentiam asserimus, Deum mali auctorem faciamus: quod certè impium esset, & audax dictum; alterum ne ex hoc fonte hominem spoliemus libertate, quod est absonum. neque enim prouidentia, quod de præscientia diximus, nihil ponit in rebus, sed potius æterno decreto, medijsque in tempore aptis res quasque ad præscriptos fines lege immutabili perducit. eo cautius pedeque suspenso & lento gradu ingrediendum est. Et quidem Deum absolutè auctorem peccati antiquo & nostro tempore peruerso homines ingenio fecerunt, quod audire aures recusant. Neque enim peccare potest qui nulli legi est obnoxius, neque ad peccatum alios impellere vindex malorum. Hoc prouidentes incommodum acuti quidam theologi in peccato actionem ab eius forma seu fœditate discernunt, Deumque negant fœditatis auctorem, concedunt actionis. Et quid mirum actionem Deum velle quam facit adiuuans nostras actiones, sine qua ope nullæ prorsus existerent? sed cui fœditas peccati displicet, supplicioque vindicat, causa dici peccati non debet. Est ergo Deus auctor omnis motus, sed boni tantummodo fautor. Quod bonum operaris, illo sciente & adiuuante fit, quod delinquis sciente & sinente. Exemplo rem accipe. Ad scribendum calamo vtor distorto, charta bibula. quod scribitur à manu est, quod distortis & vacillantibus litteris, ab instrumenti prauitate. Pedibus ægris claudisque tibijs ingredior, quod ambulo ab animæ virtute est, quod claudico pedis crurisue vitio. Terra vno humore salutares fructus profert & noxios. vnde discrimen? neque à terra neque à succo, sed à vi insita radici, quæ alimentum vertit in venenum. Sic in rebus omnibus, quod bonum impetum concipiunt à Deo habent, quod in prauum desinunt proueniit aliunde. Verùm quæ acute dici videntur Deum calumnia non liberant, quod mali sit auctor. Age, Deus mandet vt calamo distorto scribam, equum claudum concitem, an non idem & claudicationis & distortæ scripturæ auctor erit? tametsi ab ipso vitium non proueniat, sed aliunde existat defectus. Hoc ipso quod præcipit, quod statuit, dicetur auctor vtriusque. Quod si Deus æterno consilio vt Iudas esset proditor definiuit, vtique proditionis auctor absolutè dicetur. Nimirum actionem non vtcumque definiuit, sed vt suo tempore exerceretur; non nudam, sed suis circumstantijs vestitam, in quibus vna est vt sponte peragatur & libere. Si ergo Deus prauam actionem hoc modo fieri sanciuit, profecto peccatum voluit; quid enim est aliud quam actio distorta à men-

te sui compote profecta. Censeo ergo Deum nunquam præfinisse vt quisquam aut parricidium aut stuprum perficeret. In eo ingenium hominis prauum est, quod in Deum vellet quæ facit mala retorquere, vt honestior susceptæ prauitatis excusatio esset. Nos igitur constanter negamus, Deum æterno consilio definisse, vt actio praua fieret. procul id & à Dei benignitate & à nostra mente esto. At facit nobiscum Deus, Decanus ait, vti paulò antè dicebas, quid ergo mirum si vult quod facit? Nempè Deus inquam legem æternam constituit, fore vt hominẽ, quem sui arbitrij constituit, ipse sine quo non subsistimus, iuuaret nobisque adesset. Ita quod malum fit, nostrum est, qui ope Dei & iuuamine abutimur non eius qui se duci suasque vires permittit, quo ipsi volumus. Id non fauorem dicit non definitionem in Deo sed permissionem, quam solam aduersus mala concedimus. Si quis daret pecuniam vt in quos velles vsus expenderes, tu ad lupanaria conuerteres ad lustra & popinas. an ea prauitas, is abusus tribueretur dantis largitati, quod sine pecunia non fecisses, an potius abutentis prauitati? At sæpè in diuinis libris Deus auctor peccati dicitur. Mitto innumeros alios locos, geminum ex Actis Apostolicis proferre satis habeam. *Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum*, Petrus ait, *per manus iniquorum interemistis.* quod verbis alijs eadem sententia paucis interiectis repetitur, *conuenerunt facere, quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri.* Quod si Deus mori Christum voluit, tortores quoque adesse sanxit; quod fieri sine crimine non poterat. Difficiles nodi fateor, sed expedita explicatio. [redacted]

Act. 2. 23.

A

B

C

D

[redacted]. Verum de peccati ratiõe & forma quid dicis? quam priuationem quidam faciunt, alij cõtendunt è contrario inter ea quæ existũt numerari debere. Quæstio, inquam, vulgaris & multorũ ingenijs detrita, nescio autẽ an satis explicata. Ego quidem ita statuebam, peccati rationẽ in fœditate & priuatione esse, quoniam exorbitantiã à lege dicit & à regula; lex enim & peccatum aduersantur. Idẽ tamen contendo mala quędam per genera nõ priuationem dicere sed formam verã. Quippè ardor aquæ malum est vt maximè frigus aquæ naturæ insitũ non depelleret, dolor menti, quoniam morsum facit. His adijce vitia quæ à peccatis sumunt speciem & ipsa sunt virtutibus contraria, formæque adeo affirmatiuæ. Quod

E

si quis

si quis contra tendat, atque ex hoc ipso eliciat Deum esse auctorem peccati certè quatenus malum est, dicam non sequi, neque enim res quæuis secūdùm omnem rationem in Deum refertur. nam homo, equus & alia similia, vt effectus vniuoci sunt, Deum non respiciunt; sed caussas priuatas tantum, eiusdemq; cum ipsis naturæ. Actiones vitales comedendi, bibendi, ingrediendi, vt tales sunt, à Deo non pendent, sed ab animante, nam Deus neque comedit, neque ingreditur, neque videt, nec potest quidem aliter cōtingere, vti acuti philosophi disputant in scholis, & res in confesso est. Adiuuat Deus vt fiant eæ operationes, sine qua ope nihil existit, sed rationes eas non à Deo habent, sed ab animanti, quod comedere & bibere dicitur.

CAP. XIII.

De prouidentia.

Canamus receptui, longa & difficili nauigatione iactati, demissa antenna contractis velis portum occupemus aliquem, ne cum multis profundo mergamur pelago. Ciceronem videtis, vt humanæ libertati faueret, sustulit prouidentiam, vt homines faceret liberos, fecit sacrilegos. Aristoteles eadem procella iactatur & perit cælis definita prouidentia? Peccati actionem à Deo non esse definitam dixi, quid alias actiones euentusque varios liberos, contingentes? Deus sanè vim nullam nostræ libertati infert, nihil de illa, sua prouidentia delibat, rebus vtitur, vt singularum natura exigit. Supremum cælum inferiores sphæras sua quidem conuersione ab ortu ad occasum rapit, sed ita vt peculiares earum motus in contrariam partem non perturbet. Sic Deus sua prouidentia trahit omnia suo ductu, peculiarem cuiusque vim motionemque non tollit, arbores & herbæ crescunt sine vlla vi, homines quos liberos fecit deliberant, nullo cogente in contrarium. Incolumi libertate de prouidentia statuendum, & cum illa prorsus aptanda, quoniam manifesta est, & vsu quotidiano percipitur nec fallit. Quidquid electuri sumus, vidit Deus intuitu æterno, cognitio necessitatem non affert, vti antè est dictum. Vidit, inquam, non sanxit, prædixit, non definiuit, vt fierent. Præscit omnia, sed non omnia præfinit, quæ sunt Damasceni verba latinè reddita. Quæ enim libertas esset, si in diuino decreto quod res concedit non sequitur vt scientia, euentus omnes essent definiti, quos nulla arte vitare detur? At Deus suauiter cuncta dirigit, atque ita euentus definit singulos, vt nobis volentibus fieri sanciat non secus. Rectè id quidem. Sed media subijcit, per quæ decretum eius falli non contingat, ad exitum perducatur, volentes quidem faciamus, sed necessario, neque vitare ea sit in nobis. Ergo vt in pauca disputationem conferamus. Censeo actionem peccati à Deo non definiri, permitti tantum. Quod si ita est, quo tempore delinquimus, vitare peccatum licet actione contraria. Quod si peccatum non est prouisum, neque actio quæ pro illo reponitur, alioqui peccare non esset arbitrij nostri, neque id facere possemus, si Deus contraria vt fieret actio, immutabili decreto statuit. Ergo actiones bonas DEVS sua prouidentia ita complectitur, vt ad eas inuitet & impellat, offeratque opem suam ad peragendum quod est honestum; non tamen vt sigillatim definiat, vt singula suo ordine, loco & tempore fiant.

Pleraque nostro arbitrio nostroque relinquuntur consilio, à quo & defi- A nitionem accipiunt. Sic arbitror iudicandum de minutis alijs tum rebus, tum actionibus. Rectè Thomas Aquinas quodam in loco, Deum in sua prouidentia culicum & muscarum numerũ non prędefiniuisse ait. Aliud est an hæc ratio in omnibus actionibus teneatur: quod non puto. *Prædestinatio* pars quidẽ est quæ- B dam prouidentiæ: ea sigillatim & vocationem & perseuerantiam in bono vsque ad mortem sanciri certo credo. Eo pertinent diuinorum librorum multæ sententiæ verbaque, vt illud: *Cõpelle intrare*, inuitatos nẽpe tum illud. *Nemo rapiet eas* (oues certè) *de manu mea*. Quibus verbis non vis aliqua prædestinatis illata significatur, sed certitudo diuinæ p- C uidentiæ prædestinationisque. Idem in multis alijs actionibus vt statuatur procliue est, electione Apostolorum, Virginis in matrem delectu. Num in his actionibus hominem libertate spolias? Decanus arguit. videtis profectò, quãdo definitionem diuinam vniuersa disputatione contendis cum libertate pugnare. [redacted] D

Luc.14.2.
Ioan.10.2.

Hoc ad omnes vitæ humanæ actiones bonas & malas extendere, vt plena libertate non fiant: sed sint adeò prorsus æterno consilio & quasi fato inexorabili definitæ, id verò recusamus concedere.

Ex ijs quidem certè quæ sunt dicta, incorrupta manet nostri arbitrij libertas nulla eius parte delibata. Diuinus oculus inspector nostrorũ consiliorum & vitæ nulla rebus illata vi. Diuinum consilium & definitio immunis labe & contagione peccati. Prouidentiam diuinam extendi quidem ad omnia, non tamen eodem prorsus modo. Sed definite præcipua quædam alia nobis definienda relinquere. Leges denique esse sanctissimas, quæ voluntati omni necessitate solutæ præmia & supplicia pro vitæ conditione proponunt. Miseros qui praua dulcedine illecti, neque cuncta cernentem iudicem reueriti se in æternæ mortis laqueos inducunt. Felices qui contra tendunt, & perpetuo nisu se suaque Deo, cælestibus, hominibusque vitæ innocentia probare satagunt. Certa nobis videntur quæ disputasti, omnia hospites addidêre, obscura quædam, an supersunt alia? Nihil, inquam, vos læti in vrbem abite: mihi hac etiam nocte rusticari placet. De tertia totius disputationis parte videbimus alia die.

(.·.)

IOAN. MARIANAE

De Morte & Immortalitate Liber tertius.

PRAEFATIO.

POST bidui disputationem cõuenire in vnum locum, qui instituerامus, non licuit. Occupationes, quæ sunt continuò subsecutæ, socios ab ea commentatione distinuerunt aliæ ex alijs aptæ. Ipse etiam re necessaria ex vrbe egressus Eburam natale solum petij. Est in medio itinere ad dextram militaris viæ Carmena vberi gleba, amœnæ regionis pagus. Optimum eius oppidi sacerdotium obtinebat Ioannes Ferrera Toleto patria, professione Theologus nostro suffragio ad id munus allectus, quo tempore pro Quiroga Cardinali Toletano nominandis per Ecclesias curionibus, qui sacra procurarent, diu operam cum alijs dedimus viris præclaris. Ob eam necessitudinem (& erat alioqui ab annis superioribus amicitia) diuiso propter ætatẽ itinere constitui in eum pagum diuertere; securus gratum fore, & lętum aduentum nostrum, quod ante non semel fueram expertus, neque concepta animo fefellit spes. Aderat Franciscus maior natu frater, cum quo is coniunctissimè semper vixit; vnum spiritum in duobus corporibus credere, tanta erat rebus omnibus coniunctio & animorum concordia. Iuris ille peritia instructus magnam sibi laudem paresque opes sine iniuria, sine inuidia ex curiali professione quæsierat, impetrandi per amicos à Romano Pontifice, vt res se dabant, varia diplomata. Vbi accessi, amiceque inter nos salutauimus. An soli hac nocte agere volebatis? inopinatum hospitem habetis, sed neque grauem; neque morosum, publici diuersorij molestias & sordes vestri conuictus humanitate mutare, si placet, hac nocte consilium erat, die proximo reliquum iter conficere. De profectione inquiunt, videbimus: nunc in cœnatione proxima assidens calcaria detrahe, puluerẽ excute, qui adulto iã verè non potuit non esse molestus. Imò Euro à tergo flante aura temperata, vix vt solis æstus sentiretur. Sed num structura templi, quod ab imo totum magna cum laude profecto excitasti æternum tuæ pietatis & munificentiæ monimentum, ad culmen tandem peruenit? Iam dudum, inquit, structura imprimis eleganti, qua impensa? duodecim millium aureorum. Quorum? illorum, inquit, ad quos redeunt decimæ subiecti agri, pro modo percepti fructus collatione ad assem redacta: multa etiam oppidani de suo contulerunt in subsidium fabricæ omnibus annis. Sed & tu, inquam, exemplo præibas: cæteri sequebantur non inuiti, quæ præcipiendi ratio efficax est. Tantundem ad Barptolemæi fanum præstitisti, quo tempore ea sacra procurasti vir gnauus & nunquam cessans. Mitte ista, ait ille. Multum verò diei superest ad noctem, in vicinos agros dum cœna paratur, nisi molestum est & lassitudo prohibet, excurramus. Segetes ad maturitatem festinant hoc anno solito lætiores, eo spectaculo mentem & oculos oblectabimus. Libenter, inquam, vos sequar, nulla specie magis quàm amœni & fœcundi agri reficior & capior. Dies festus erat, magna per plateas populi frequentia benignè exeuntes, salutantium gratulantium de aduentu. In ipso egressu iuuenes videmus cum clamore & plausu bolis ludentes, paxillos teretes pro-

sternere magno conatu certantes. Ratio lusus haec est. Nouem paxilli A querni torno perfecti in summo solo recti extant, terni quoquo versus paribus inter ipsos interuallis. Gemini item querni globi adhibentur capitis magnitudine. Ij ex aliquanto spatio manu rotantur à ludentium quoq; in paxillorum ordines singuli deinceps nisu non magno, ne longius procurrant. Qui gemino iactu, eo, & quem è loco repe- B tunt, vbi globus substitit, plures paxillos prostrauit, is se iuuenis victorem fert, palmam petit dexteritatis & præmium victoriæ. Eo aspectu tantisper oblectati in agros sata & prata processimus. Quid rei diebus superioribus egissem amice inter eundum illi rogârunt. Inter alia memoria recenti de nostro secessu C & disputatione habita in eo *de morte & immortalitate* sermonem intuli. Ac priori disputatione quidem de vitæ conditione actum, non magnopere expetendam, neque verò timẽdam mortem, vt maximè cum corpore in auras euanesceret anima. Die postero actum *de animæ immortalitate diuina prouidentia*: eo minus timendam mortem, si im- D mortalitate vita caduca mutatur, virtuti merces certa apud Deum est. Luteum domicilium marmoreo quid ni mutemus, vestem detritam & laceram, recenti & pretiosa? Gaudet sanè anguis exuuias veteres relinquere, etiamsi sudandum illi sit, euadẽdum per foramen angustum & asperum. Supererat disputatio tertia, *de vita beata*, & ijs per quæ ad E illam peruenitur diuino dono & gratia, quæ propria Christianæ religionis spes est, neque cum alijs gentibus, ne cum philosophis quidem communis. Quæ commentatio vel sola vel maxime morti molestias omnes detrahat, ac potius mirabili perfundat iucunditate; si ex vita ærumnis plena in felicitatem, è tenebris in perpetuam lucem euadimus. Verum hanc disputationis partem in aliud tempus reiecimus, neque venit opportunitas tamen. Tum illi, libenter vniuersæ disputationi interfuissemus. Sed quando id negatum est, saltem ad reliquias conuiuij aut secundas mensas accedamus. Equidem quæ biduo sunt dicta, referre molestum esset: ea vobis de scripto cognoscenda & castiganda tradam. Quæ supererant, communicare graue non erit. Placet id vterque ait, dum aura spirans leniter membra fouet, occidentis solis radij ne sint molesti, prohibet sub proxima oliua, quales multæ per vniuersum agrum sunt consitæ, sedeamus, medium ab vtroque latere dextra læuaque stipabimus. honoris prærogatiuæ, sed & audiendi opportunitati dabitur.

CAP. I.

De vita beata.

SEdimus in herba viridi, simul ego in hunc modum sum exorsus. Ea est vitæ beatæ & cælestis præstantia, vt neque mente concipi, neque verbis explicari pro dignitate possit. De patria communi & felici silere, quàm pauca dicere consultius esset. Suscepti tamen officij ratio cogit hanc partem quasi foueam intactam non relinquere: quoniam mortis terrores nulla re magis amo ueantur, quàm si sit homini persuasum, extinctis non modo superesse vitam immortalem, sed & bonis omnibus redundantem, quæcumque in hac vita expetimus, honores, iucunditates, diuitias, pulchritudinem, firmitatem, ac cætera quæ prima ad felicitatem putantur, & pro quibus singulis plerique vitam profundunt & sanguinem, in ferrum flammasque irruunt: ne graue & molestum videatur mortis beneficio vitam hanc caducam

perpe-

perpetua & beata mutare. Caligat mens humana ex se ad tam splendi- A dam lucem, ex ijs tamen quæ sunt oculis subiecta, ad cælestia quasi per nebulam assurgamus. Ac primum loci amplitudinem & immensa spatia considerate. Vnam quamlibet stellam maiorem vniuersa terra esse dixêre viri præstantes, quasdam etiam multis eam partibus mole superare. De veritate non disputo, B multa in scholis pro veris suscipiuntur, quæ vix sunt ab insolentia verisimilia. Sed ex ipso commento tamen vastissima corpora esse astra, maiora quàm videantur oculis dubitare nemo debet. Adde inter stellas spatia interiecta multo latiora quàm pro ipsarum modo. Ex his quanta sit totius sphæræ amplitudo, quanta laxitas dicere non est C opus, taciti vobis eam vastitatem animo subijcite. Terræ extensionem aliquot passuum millibus complectimur, cæli spatia quis radio describat! complectatur numero? De terræ pugillo digladiantur homines, lites nectunt sine fine. De iure finium inter Principes bella exitialia concitantur. Angusta sunt & vilia quæ possidentur in terris, præ huma- D ni animi vastitate:

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.

Beatam patriam, in te nullæ sunt angustiæ, tam lata æquora quàm fingere animo, cupiditate complecti quamuis vasta possis. In custodiam quispiam conijcitur quamuis spatijs latam regiæ ad instar. Angusta omnis ea amplitudo videtur, laxiores fines suspirat animus: neque quiescit ante concessam libertatem. In insulam compingitur, quoniam lege littoris constringitur mari circumfluo, exæstuat animus, luctatur cum locorum angustia. Immodicus est humanus animus, maior, quàm pro totius terræ modo ad indicium insitæ immortalitatis, quando amplitudine cum cælo ipso certat, tantulo quamuis corpori adscriptus. Ita si nil aliud esset in cælo quàm amplitudo, maxima contentione eo deberemus contendere, quæ pro bonis habentur in terris vilia omnia & angusta arbitrari. Quid verò quod terræ magnam partem squalida siccitate loca, rupes horridæ & saxa tenent, saltus & montes impediunt ibicibus, ferisque alijs & alitibus modo peruij, paludes, æstuaria operiunt terras exiguo sæpè fructu. In cælo nihil horridum, nihil incultum, aut incolis vacuum. Quid de pulchritudine dicam, & elegantia eius vrbis? Ex hoc cætera conijcite. Si in terris quam seruis, damnatis exilio hominibus, multisque animantibus Deus domicilio destinauit, multa sunt specie & pretio admiranda, quę oculos & animos ad se rapiant, gemmæ quasi ludentis naturæ pulchra colorum varietate, metalla pretiosa, aurum & argentum quæ cupiditas insanos homines agit, arbores onustæ pomis, nucibus, glandibus, herbæ odoratæ, flores specie admiranda, auiculæ cantu & plumis conspicuæ, feræ in syluis lustrisque suis, pecora & armenta per montes errantia, gemmati amnes amœno riparum vestitu, arte excitata palatia cæli æmula, signa, statuæ, vestes illusæ & rigentes auro; quid credamus in cælo factum, vnde quasi guttæ terrestria omnia è copioso thesauro liquantur, vt vbi Deus & maiestatis suæ palatium, & beatorum omnium domicilium esse voluit! Qui in cultum victumque seruorum tam multa ea elegantia & pretio concessit, qui stabula iumentis construxit è marmore pario, tecta laquearibus aureis, quid de interiori regia iudicandum est, Regi seculorum & aulicis designato penetrali? ex inuersa veste eiusque fultura, de specie & pulchritudine totius operis statuimus, pulchriora esse quę latent ijs quæ videntur. Intuere in cęlo fulgentes stellas, ornatum vniuersum terræ & maris. Ex ijs quæ nō vi-

des certo conijcito inuerſa; ex facie ſpeciem intimam, ex atrio fronteq; conclauia. Ioānes quidem Apoſtolus cæleſtis Hieroſolymæ plateas auro ſtrauit, mœnia gemmis cōſtruxit, ſaphiro, topazio, ſmaragdo, iaſpide, duodecim eius vrbis portas è ſingulis margaritis excauauit. An hæc anicularum fabulæ ſunt, poëtarum figmenta, & non potius diuina vaticinia, quibus intelligamus multo maiorem cæleſtis patriæ eſſe gratiam, quàm fingi animo poſſit, oratione explicari, niſi aliunde petitis imaginibus rerū, quæ in pretio ſunt, & præ cæteris fulgent. In terra luci tenebrę ſuccedunt, in cælo perpetuo fulget claritas, ꝙ de Elyſijs cāpis Pindarus dixit. ἴσον δὲ νύκτεσσιν αἰεὶ, ἴσα δὲ ἐν ἀμέραις ἄλιον ἔχοντες ἀπονέστερον ἐσλοὶ νέμονται βίοτον.
Ita ſolem nunquam occidere beatis dixit. Ioannes prudentius, non egere beatorum ſedes ſolis aut lunæ lumine, ſed potius Dei gloria collucere omnia: ἡ γὰρ δόξα θεοῦ ἐφώτισεν αὐτήν. Quod ſi orbem terrarum cùm condidit ante ſolem productum lucem effudit in hanc vaſtam terræ & maris molem. quid ni idem præſtet in cælo in ſuorū gratiam clariſſimam aliunde lucem? Mirabile, inquit Curio, lucem initio ſine ſole extitiſſe tribus certè diebus, neque qua ſit ratione factum couenit inter theologos. Hallucinatur, inquam, quidam mihi Gregorij Niſſeni & Damaſceni ratio ſatis placet, ignis vaſtum globum emerſiſſe ex aquis primo die, eius circum molē rotatione tres priores dies & noctes deſcriptas, quarto die eum globum tributum modo in partes in ſolem, lunam & aſtra, ſic ſtellas factas. Caducæ arguit ille naturæ hac admiſſa ratione cælos facis, atque ea quæ ſunt in cælis. Facilis, inquam, reſponſio, me in Ariſtotelis verba nunquam iuraſſe, in ijs præſertim quæ ab antiquis Patribus contra illum paſſim, vt ſcis, vituperantur. Verùm de re tanta hoc loco diſputare non conſtituo, per me ſuū quiſque iudicium ſequatur, neq; noſtro ſubſcribat: Ad alia & meliora feſtinat oratio. Quid de ciuibus dicam? eos numero ſuperare quæcunque in terris videntur. Herbarū multitudinem diſpice, lapidum, piſcium terreſtrium animantium, alitum, inſectorum, plures cæleſtes ſpiritus in cælo verſari viri magni & antiqui affirmant, ex quanto terra cælum eſt maius. Attexite vos beatorū numerum, qui in dies ex noſtro genere cęlo certè adſcribuntur omnis ætatis & conditionis. Ibi inuicti martyres verſantur, virgines candidę, innocētes pueri priuſquam ſe poſſent noxa fœdare, nulla vitæ aut mortis propria laude, ſed propter Chriſti ſanguinem in eum accepti numerum. Tum aliorum promiſcua turba & præclara, honeſtis actionib. promeriti vitam immortalem. Quid de nobilitate dicam? omnes ſunt Reges & Regibus ſati. Quid de diuitijs? nullus ibi inops qui manum ad ſtipem porrigat, qui aliena ex miſericordia viuere opus habeat. Quid de valetudine? exulant morbi, regio ſaluberrima, nulli cibi inſalubres, corporum conditio firma, nullę temporis iniuriæ. De pulchritudine dicere plura non attinet. Procera omnibus & pulchra iuuenta, nulli rugoſi ſenes, nulli membris defecti, cuncti ad Chriſti ſeruatoris exemplar & imaginē corpore pulchram expreſſi. Ne de cultu quidem immortalitatis togam veſtiunt auro fulgētiorem & purpura, pannoſi nulli, aut verò detritis veſtibus. Quid de prudentia & eruditione adijciam? cùm ruſtico ex ſtiua & ligone in cælum accepto, nulli philoſophi, ne theologi quidem comparentur, non prudentes legiſlatores. Cum ijs agere, eos audire, quam iucūdum? ex ore quorum melle dulcior effluit oratio. Quid plura? dies me & verba deficerent. Fingite tantùm animo vrbem vbi nulli egeni, nulli ægroti, omnes in aureis veſtibus, omnes ſapientes, nullæ caſæ paleis conſtructæ & ramalibus, ſed

ædes singulæ regiarum instar. Talis est cælestis patria, multo prædicatione nostra etiam fulgentior, in eam vrbem easque sedes vos vocari cogitate. Insanum quantum ea cogitatione seriò suscepta de molestia mortis minuatur. Humanas res despiciet, & infra se positas arbitrabitur animus ea luce illustratus. Sordebūt sanè illis comparata gaudijs, quæcumque in præsenti magna & præclara videntur. Finis non sit, sed vt mittantur cætera, de amore ciuium & mutua caritate dicendum. Ita inter se amare, vt non minus aliena felicitate singuli gaudeāt quàm sua. procul inuidia quæ ex alieno bono marcescit, inuidū magis quàm quibus inuidetur supplicio excrucians, non magis singuli suis bonis libēter fruuntur, quàm ijs velint vti socios. Magnum gaudiū, ac quo haud scio an sincerius ferè aliud sit. Ita in vniuersa vrbe in singulas ædes cunctos accipi ea lætitia, eo plausu, qua herus ipse, nihil esse secretum alicui, nō mensam, non stratum, proprium nihil. Tentauit eam reipub. formam inducere rerum omnium inter ciues communionem suis præceptis Plato, sola tanti boni deceptus imagine: quam terra certè non caperet, sibi cælum vendicaret. Membra corporis inter se amare vides iuuareq; participare actiones sine exceptione omnes; quare? nempe ab vna anima reguntur. Beati quoque nihil seiunctum ab alijs habent, quoniam diuino omnes inflantur & inspirantur numine, in bonis suis numerant singuli, quæ ab omnibus possidentur, præclara via ad immensas construendas opes, aliena vendicant sibi, Dei ipsius infinitas opes sibi adscribunt verissimè, qui est supremus lætitiæ & copiarum cumulus. Conspectu Dei cōditoris frui, cum Christo seruatore eiusq; matre vsum habere familiarem, quàm erit iucundum? Non omnia dicēda sunt, multo plura quàm dicimus animus sibi subijciat, mentisq; pacem & securitatem metu sublato, gaudia ex omni parte multiplicia. Corporum restitutionem cùm supremus dies aduenerit, vt quæ in opere & molestia iuuarunt, sibi acriter in hac vita impetrarūt, præmia & ipsa laborum percipiant. Sensus iucunditas perpetua complebit. Musicis concentibus pascentur aures, oculi gratissimi tanti theatri spectaculo, sapores suauissimi palato non deerunt. Lingua in Dei laudem soluetur, colloquia mutua socijs singulis, quæ gesta omni tempore sunt, quæque ipsi pertulerunt, cum fide & libenter in magna contentione explicantibus. Nullæ denique voluptates deerunt modo honestæ & cælo consentaneæ. Multiplex potius reddetur quicquid in pręsenti abdicauimus virtutis & pietatis ob studium. *Fluminis impetus lætificabit ciuitatem Dei*, nullo definito tempore, sed in perpetuas æternitates. *Psal. 45. 5.*

CAP. II.

De amicis.

NVlla re magis vita pręsens morti assimilatur, quàm multarum rerum absentia, quæ nobis essent carissimæ. Quid enim aliud mors est, quàm spoliatio omnium, quæ pro bonis in vita putantur, coniux, filij, propinqui, amici, possessiones, ipsius etiam vsura lucis, cæli & terræ aspectus? Quid vita hæc? nonne vicissitudo quædam rerum, qua alijs succedūt alia, perpetuo spoliamur ijs quæ imprimis erant cara, & sine quibus lux ipsa videbatur ingrata? Mittite vitæ iucunditates, ætatis & tēporum spatia, quæ sunt in perpetuo fluxu, rapidissimi instar amnis defluunt & pereunt. Sensus dispicite vsu continuo hebetari non secus quàm gladij acies, lusus & ioci iuuenibus expetiti, accedentibus annis insuaues redduntur & graues; in theatro residere, histriones spectare, quod ante detinebat, molestum. Quid prædia &

possessiones? inter varios dominos, intra paucos annos alternare plerA-que videmus, commutare in fronte signa. Quid patria, qua nihil mortalibus iucundius esse solet? plerique varijs casibus ea carent, atque ijs quæ in illa gratissima erant, sine illis vita grauis: Singulas vrbes oculis lustra, non pauciores fortasse aduenas in ijs quam indigenas numerabis. Multi in alieno solo senescunt, in natali pauci. Quod acerbissimum est vulB-nus, propinquis & amicis identidem spoliamur, alios mors importuna rapit, alios disiungit rei quærendæ necessitas, casus alij, multos auri cupiditas per innumera discrimina ad Indos rapit, qua finis est orbis terrarum. Quàm iucunda redderetur vita si in vnum locum & quasi corpus disiecta membra & palpitantia conC-ferre possemus, quæ tempus & ætas abstulit omnia? notos & necessarios loco iungere, eorum conuictu, alloquio & contubernio vti, nullo amplius absentiæ metu? Nulla profectò ea vita iucundior esset. Quod in pręsenti vita nulli datur, in futura & beata bonis omnibus conceditur, quasi tunc incipiant viuere morte penitus & mortis æmula caduca viD-ta fugatis. In cęlo sanctissimos Patriarchas, pręclaros Apostolos, fortissimos martyres cõuictu familiari iunctos habebimus. Aquæ festinant ad mare, in eoq; amnes inter se remotissimi iunguntur, cum Eridano Tagus, cum Nilo Iberus, cum Istro Anas & Bætis. In cælesti patria omnes qui Christiano nomine insigniti sumus, eo peruenturi tandem nisi aberrasse contingat, præposteræ illecebræ alio rapiant. Quanta erit eius diei lætitia, quantus plendor? nulla nebula in futurum obfuscabit, ex ingenti numero nullus recedet amplius. Inanes metus decedant fortibus animis, contra noui indies adiũgentur ciues, noui amici, in idẽ collegium cooptabit diuina benignitas. Vel ex hoc solo fonte quantũ sit beatorum gaudium, & quàm perẽne nullius oratio possit explicare. Vos ipsi considerate, quãti redimeretis extinctos amicos & necessarios, si donis eos liceret in vitam & pristinum conuictum reuocare, si exules aut alioqui regionibus disiunctos loco iungere. Quid si eosdem diuites & beatos præstare, ne inopia cuiquã molesti essent. Quæ in hac vita negantur, ac verò in dies singulos plura detrahuntur & pereunt, ea in futurum integra prorsus seruantur. Quàm lætus ille dies nobis certè priuatim, cùm *Ignatium Loiolam* nostri ordinis parentem primum operibus præclaris promeritum, vt templis & cælo adscribatur, *Iacobum Lainem* præstanti virum eruditione & morũ suauitate, *Franciscum Xauerium* notum periculis & laboribus nomen. *Alfonsum Salmeronem* varia admiraculũ doctrina, *Franciscum Borgiam* Gandiæ prius ducem, nostri deinde ordinis socium & præfectum, huius sæculi miraculum, *Hieronymum Natalem, Ioannem Polancũ* viros prudentes & graues, & qui me in hoc vitæ genus adscripsit *Antonium Araozũ* denuo videre cõtingat, eorum sacris pedibus aduolui, vestigia deosculari & amplecti. Quid alios dicam nobis æquales & contubernales? Compluti *Franciscum Villanouam*, *Emanuelem Lupum*, qui vitam diu propagauit, & anno superiori extinctꝰ est, *Ioannem Carreram, Martinũ Fernandium, Paulum Salinam*, cui primum ritè sum omnia peccata confessus, *Petrum Rodericum, Alfonsum Dezam* præceptorem nostrum, theologum præclarũ, *Aluarum Ortiuium* ipsis gratiarũ manibus factum iuuenem. Romę *Ledesmium, Emanuelem* collegas in scholis theologicis explicandis, tum *Iacobum Paecium* nostri animi dimidiũ cunctorum delitias ab eximio candore animi corporis dignitate. Adhæc *Franciscum Toletum*, quem Clemens octauus Põtifex maximus donauit purpura meritis debitam gratiã: Laureti *Organtinum Brixianum*, qui in Iaponios profectus, magnum

sui nobis desiderium reliquit, *Iulium Planum* Maceratensem, *Ioannem Giliolum* Ferrariensem. In Sicilia Sardos patrem medicum insignem & filios tres habui carissimos, sed præ cæteris è tribus natu maiorem Marcum Antonium, quos è nostro ordine cælo omnes receptos puto, tum *Paulum Parmensem* virũ mitissimũ, qui diu Panormi rectorem egit nostri collegij, *Stephanum Tuccium* insignem poëtam, neq; à theologia abhorrentem. E Sicilia Lutetiam abij clarissimum litterarum omnium domiciliũ. In ea vrbe vsu familiari coniunctos habui *Ioannem Maldonatum* in Theologię professione collegam, varia virum eruditione ac solida, ac qualem vix alium nostra ætate tulit Hispania, quem Romæ in media ætate extinctũ ægerrimè tuli. Gallos *Arnoldum Saphoriũ*, *Petrum Loieriũ*, *Clementem Puteanum*, *Ioannem Gentilem* Heduum, quem tum adolescẽtem ingenua facie, moribus cãdidis, nunc virum superi diu volentes sospitent & propitij. E Gallia in Hispaniam postliminio redux tandẽ Toleti diu hæsi. In ea natione quos in literis sodales habui, viros factos inueni, *Alfonsum Sandoualium* patre Anagari duce, *Alfonsum Montoiam*, *Petrum Bernardium*, *Ioannem Azorium*, quem nuper Romæ mors importuna rapuit è multis, quæ de Theologia instituerat commentaria primo duntaxat volumine publicato, *Ioannem Emanuelem*, *Egidium Gonsaluum*, qui multis annis ad nostri ordinis gubernacula cum laude sedit. Alios de nouo adiunctos magno numero hoc loco numerare nõ attinet, quod pleriq; eorum in viuis sint, quidam recenti memoria decesserint. Sed amanuenses nostros præterire certè non debeo *Michaelem Vrream*, qui à nobis ꝓfectus inter barbaros Peruanos sanguinẽ fudit, *Ioannem Basam*, *Franciscum Otazum* quamuis superstitem, sed inter Philippinos nõ procul Sinis dissitos ad extremã cæli & orbis plagam, quorũ ingenio & suauissimis moribus aliquãdo sum oblectatus, & nunc eorum vel sola recordatione reficior. Externos item multos nominare possum beneuolentia vsuque deuinctos: in his *Garsiã Loaysam* è magistro Philippi Principis Toletanum præsulem, *Baptistã Peresium*, quẽ ex humili loco virtus & eruditio ad Segorbiensem Episcopatum euexit. *Ioannem Calderonium*, *Andream Fernandium*, Toletanos canonicos, *Ballistam* in arte grammatica, in philosophia *Marcum Sanctiũ & Cyprianũ*, in Theologia *Mantium Dominicanũ* institutores nostros, *Aluarum Gomecium* Græcæ linguæ professorem Toleti, Medicinæ *Rodericũ Fontanum*, è ciuium aliorum Toletanorum numero *Hieronymum Castrium*, *Gasparem Sanctium*, *Iacobum Turrium*, quorum munificentiam sum sæpè & in reb. multis expertus. Quid parẽtes commemorem, auos, fratres, patruos, auunculos, propinquos alios, ex ijs quosdam vsu, alios solo nomine cognitos. Hos omnes aliosq; multos quos silẽtio tego, mihi puncto temporis omnes adiungere quãta voluptas? Quàm gratum eos nobis, nos ipsis restitui. auri fulgor & pretium leue sit, si cum ea possessione conferatur. longum & molestum suscipis iter, vt amicũ videas, viri eruditi aspectu & alloquio perfruaris, quod paucis diebus vt cõtingat, res aliæ necessariæ compellunt. Vt natale solũ repetas, propinquos & necessarios inuisas, ab extremis solis oris per magna pericula curris: neque labori vlli neq; sumptui parcis. Tam multos amicos & necessarios tibi in perpetuum recipere, quãti sit? vitæ ipsius & sanguinis ac rerũ aliarum, quas carissimas habes, leue pretium. Iustissima mors est & mater benigna pro paucis, quæ demit in præsenti, multo plura & præclara restituit in posterum die suo.

CAP. III.

De labore viæ.

Μάκρος δὲ καὶ ὄρθιος ἐπ αὐτήν
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηιδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπήπερ ἐοῦσα.

LIceat mihi versibus exordiri, quibus virtutis studiosos affatur Hesiodus non eadem religione neque ijsdem præceptis imbutus, sed eruditus tamen & prudẽs, & leporis cuiusdam non ingrati vates. Quæ ille de via virtutis dixit, esse initio arduã & angustam, eandem in fine facilem reddi, & in planiciem desinere, ad cælestis patrię viam traducere quid vetat? Nam si cuiusuis virtutis via cliuosa est, spinis horrentibus aspera; qua itur in cælum per virtutes omnes ad vitam à morte, multo difficilior erit profectò. Non est tamen desperandum. Oculos ad cælum tolle, ad viæ exitum extremum, in fastigio plana sunt omnia & amœna, cum summo labore, cadendi metu gradiendũ est, per molestias omnes procedendum. Sed vbi ad finem magno nisu perueneris detritis quamuis pedibus, benè & feliciter operam collocatam esse, ac verò momentanea quę patimur & indigna fateberis esse tanta gloria. Vitia in præcipiti sunt, ad ea via ducit prona & lata, floribus & viriditate omni delectabilis. Occurrent in illa omnia, quę pro bonis habentur in terra, opulentia, quies delitiæ, illecebræ omnes. Ad extremum si ventũ erit, vnde regredi non licet, cum omni sua pulchritudine in barathrum desinet profundũ prę cipitium. Quisquis enim specie captus prima in futurum prospectum non extẽderit, in æterna is supplicia deijcietur. Virtutes in arduo sunt, ad eas sine sudore & labore multiplici non peruenias. cum ignominia, inopia, frigore & æstu luctandum. Sed vbi patientia iugis ad summum cliuum perduxerit, dabitur corona iustitiæ, molestię omnes immortalitate mutabuntur. Sanè quod magnum est & humanum captũ superat, magno constare mirum nõ est; sæpè homines quę vilia & ludicra sunt, summo & pretio & labore parant. Voluptas corporis sordida est, momento temporis effluit, mœstitiam animo inurit, & dedecus sempiternum. Eadem tamen furenter appetitur, vt eã consequantur sępè homines rem familiarem, pudorem, vitam ipsam prodigunt prę explenda praua cupiditate. Ea sæpè non minus quàm igne ædes amplæ & possessiones, ac reliqua quæ quis in terra possidet, vruntur & pereunt. Incensæ libidinis vim considerate, vbi suas faces admouit, quas non facit strages? quid non euertit? Homines ambitiosos dispicite, quæ flãma est per quam non currant, qui honores ambiunt & magistratus? multa turpia seruiliter pro dominatione faciunt & patiuntur. In omnes se formas mutant, adulantur potentioribus, mẽtiuntur, nullum in hyeme, nullum in æstate laborem periculumve recusant, vt honores cõsequantur, ad fastigium conscendant, vnde maiori sæpè casu præcipitent. Et erat multo præstãtius, nobilioris animi argumentum, honores despicere, humana omnia infra se posita arbitrari. Iam aurum & copias quam ardenter plerique concupiscunt?

Per mare per terras currit mercator ad Indos.

Quo pretio? vt diues fiat. qua spe? nõ admodum certa, plures in medio quęrendi cursu destituit, neq; ad frugem tantus labor peruenit. Eo conatu & diligentia similius mihi morti nihil esse videtur. Ad plagas terræ vltimas relictis quæ possident omnibus, vxore, filijs, amicis, cum patria, re familiari nauigaturi soluũt è portu sublatis velis inter suorũ lachrymas & lamenta quasi funus efferentium, quos nũquam visuros sibi planè persuadent. Verissima ea mortis imago est. Si labores cõsideras, multo maiores in longinqua nauigatione ex

ne ex iactatione maris, nauseæ tetro odore & cæli mutatione, quam ex morbo quamuis graui morituri. Si rerum absentiam omnibus quæ erãt in pretio puncto temporis carent. Si profectionis longinquitatem spatia, in nouum orbem abeunt quasi in aliam planè vitã, vbi omnia sunt noua, animalia, pisces, aues, arbores, herbæ, gentis mores vel maximè. Quod si plures, eas omnes molestias deuorant ob spem conceptã lucri incerti & inanis. Quid nos exhorremus tantopere profectionem, quæ in morte fit, per quam diuitiæ æternæ & cælestes nunquam interituræ parantur haud dubium? Imbecillitas ea fidei est, nihil aliud. Aut diuinis verbis & pollicitis credamus professionis memores, aut cuncta vno impetu repudiemus quasi fabulas, quasi morte pereant omnia & non potius commutentur in melius. Magna sunt hæc, audite reliqua. Leues sunt labores, quib. ad beatam vitam peruenitur, tum ex seipsis cõsiderati. Quid enim præcipitur insolens, nisi vt legi obedias, tibi imperes, nulli noceas? quæ natura ipsa à nobis omnia exigit. Quod si frenare libidinem ac ceteris cupiditatibus bellum indicere graue est, videndum ne animi mollities potius quàm rei difficultas terreat, tetras in mente commoueat, fingatq; imagines & vmbras. In terrena militia quantum laboris exhauriũt milites, vt ea sibi pariant, quæ breui solent perire, paucis assibus corpus & sanguinem periculis addicunt maximis. Nobis quanti labores tolerandi, quo id acquiratur, quod nullo modo amittant semel cõsecuti? Excita præterea in animo cupiditatem boni cælestis, æterna premia mente contemplare, multum de labore & molestia minuetur. Quod vehementer cupimus, ad id cum oblectatione cõtendimus, quantum voluptatis accedit, tantundem de molestia detrahitur. Ludẽtibus pila, ludicro militari certantibus laborem alioqui nõ minorem, quàm diurnæ operæ tolerant, minuit oblectatio, ac potius iucunditate mutat. Iacobo legimus breues visos fuisse, & leues septẽ annos, quibus socero seruiuit præ Rachelis amore. Sed & Regina Saba ex magno terrarum interuallo Hierosolymam accurrit, vt præsens videret, quæ de Salomonis gloria, sapientia, copijs fama vulgãrat. Sexum cupiditas non distinguit. His adde quondam multo grauiores in hoc stadio extitisse labores. Veteres patriarchæ & prophetæ quamuis labore multiplici & molestia atque miseria ad metã non perueniebant tamen, aditu in cęlum nondum hominib. patefacto. Verè enim Paulus dixit, *iuxta fidem*, hoc est in fide, *defuncti sunt omnes non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes.* Deinde post Christum sub initia nascentis Ecclesiæ, quo tẽpore in pios homines sęua carnificina exercebatur, omnes cruciatus in eorũ corporibus consumebatur, horrida erat, spinis obsita via cælestis patriæ. ea tempestate sedata gratis nobis offertur exiguo pretio, pro quo sanctissimę & generosæ animę vitam & sanguinem profuderunt. Pudeat ergò viæ difficultatem excusare deinceps, quæ iam vtiq; est complanata, euulsis spinis mollior. Quæ si multo esset asperior, nusquam maiori fructu neq; magis ex animo deberemus laborare, molestias exhaurire omnes, si opus esset, in salutari certamine, conatu nunquam interrupto ad extremum vitæ spiritum.

Gen. 29. 20.

3. Re. 10. 1. 2. Par. 9. 1. Math. 12. 42. Luc. 11. 31.

Heb. 11. 13.

CAP. IV.

De peccato originis.

GRaue malum, viam ex se facilẽ redditam plerisq; asperã, pauci vt cæleste iter arripiant, plerique in mortis laqueos proni ferantur, quæ magna miseria est, tanti mali aperiendæ causę. Culpa id factum est tum nostra, tum parentum. Ingredientium paucitas facit, vt iter omne enatis sentibus & virgultis, saxisq; extantibus incultum & horridũ pro-

fectò reddatur, quamuis ex se planū & spatiosum. Maiores etiam diuino mandato rebelles posteros eadem contagione mali debilitarunt, vix vt pedibus ingredi possint. Graue, ait curio & durum auorum peccata nepotū supplicio lui. Sed vsitatum, inquam, inter omnes gentes, legibus sanctum, nimirum iudicabant legislatores prudentes, filiorum caritatem reddituram parentes cautiores, ne se improbitati penitus dederent, neu leges patrias violarent quamuis temerarij. Vt mirum non sit, Adæ posteros peccati ab eo cōmissi perpetuas pœnas luere corpore & animo vitiatos. Inde verò tanta difficultas faciendi quod iustum est, frænandi prauas cupiditates rectum arripiendi iter. Huius calamitatis non obscura vestigia Græci retinuerunt, quando orgia Bacchi celebrabāt crudarum carnium esu, coronati serpētibus & clamantes Euam. quod princeps totius mali origo nomen tulit *Eua* cunctorum viuentium mater. Philolaus quin etiam, vti apud Clementem Alexādrinum affirmatum inuenio, veteres ait theologos & vates dicere solitos animum ob aliqua luenda supplicia iunctum corpori. Vnde *σῶμα* quasi *σῆμα*, id est, sepulchrum, corpus dici Græcè putarunt. Ab his Romanæ eloquentiæ parens mutuatus in libro *de consolatione*, luendorum scelerum causa nasci homines scripsit. Inhibe orationē ait. Priusquam vasto te mari cōmittas, geminum scrupulum eximere certè debes, qui me solicitum habēt. Prior est, libros qui ante paucos annos *de consolatione* prodierunt in vulgus Ciceronis nomine, eius esse credas; video enim inter viros eruditos magnum de ea re fuisse certamē. Magna inquam, est digladiatio & cruenta. Pleriq; à Carolo Sigonio confictos suspicati sunt cōmutato titulo more malorum mercatorum, quo maior esset plausus certius operæpretiū: Ego à viro Principe sententiam rogatus respondi mihi non videri confictos.

De consolatione Ciceron.

Neque nunc muto, duobus argumētis. Stilus elegantior est visus, quā p nostræ ætatis facultate, an fallor: difficilis enim de stilo dijudicatio est. Addo quod non minus vrget. Quæcunque loca apud Lactantium, Augustinum & alios veteres ex ijs libris productos legimus haud exiguo numero, totidem verbis in ijs libris extant. Magnum miraculum extitisse ea lectione & obseruatiōe & memoria hominem, quem nullus ex ijs locis effugerit, omnia consarcinârit. Quæ argumenta si non conuincunt, multos libros veterum dubios faciamus, minoribus certè præsidijs munitos, vt credatur eorum esse quorū in fronte nomen præferunt. Ea nostra sententia est. alterū explica scrupulū. Is est luāt posteri primi parētis peccatum supplicio tantū, an culpæ etiam cōtagione inficiantur. Discrepāt hæc vt vides, miserū prius, posterius multo grauissimū parētum culpa posteros cōtaminari. Implexam, inquam, quæstionem, scopulum, in quem ratem impegerunt olim Pelagius, parentum ætate Zuinglius, negantes primorum parentum delictū ad posteros permeare. Si baptismum opponas, quo frustra abluerentur infantes & temerè, nisi ad eos originis vitium pertineret; non vna responsione & arte ex eo se laqueo explicare conantur. Nobis tamen fixum est, actionem peccati originis ad posteros non transijsse: quippe vnica fuit & in primo parente subsistens, neque enim in eo posteri sua ipsorum voluntate, & propria actione peccârunt. Macula, quem reatum dicimus, & transacto peccato in flagitiosis singulis manet, dum non eluitur per pœnitētiam aut sacramenti vim, in posteros ab Adamo est transfusa, non illi solum, sed cuique mortalium propria. Nec mirum, quando inter homines quoque proditoris vniuersa posteritas lege maiestatis paterna & auita hæreditate depellitur, & honoribus alijs ei familiæ haberi consuetis, quæ

sunt

sunt omnia supplicia delicto parentis consentanea. Sed etiam inuisa Principi redditur & inimica, quasi cõmuni proditiõs macula polluta. Sic humani generis parente primò cadente, cecidimus reliqui. supplicia omnes eius culpæ sustinemus, sed & odium conditoris. In quo cernitur, ratio ipsa peccati. Est enim peccati macula non gratiæ diuinæ nuda priuatio, qualis esset in humana natura nuda nullis extrinsecus ornamentis, sed inimicitia cum Deo, quæ est diuinæ gratiæ & beneuolentiæ contraria. Quid hic vespertiliones miseri hallucinantur. Lux est. se ipsi in suas tenebras, & nebulam condant. Si malius, macula peccati sit gratiæ priuatio cum debito eam habendi, vt balbi melius intelligant, nos etiam balbutiamus. Ita Paulus Apostolus *omnes in Adamo peccasse* confirmat, hoc est culpæ communis labe esse contaminatos, donec seruatoris beneficio in pristinam dignitatem & gratiam reponamur originis sordibus elutis. Ea est in infantibus baptismi Christiani necessitas, vt expiati peccato primo, Deo cari & grati reddãtur. Sed num alia parẽtum peccata posteriora deriuantur in posteros? Parentum peccata in classes tribuere ardua res est, vt hoc in parente resistat, illud ad posteros manet præsertim Deo Mosis ex ore comminante *vindicaturũ peccata parentum in filios in tertiam & quartam generationem.* graue & acerbum, ferendum tamen, si Deo ea staret sententia, haudquaquam ab æquitatis legibus aliena. Neque enim iuris ampliùs Adamo in filios suos fuit, vt suo eos peccato reos faceret, quam in suos alijs hominibus. Et fortassis ea causa tertiam tantum & quartam progeniem designauit, ne qui posterius nascuntur peioris conditionis præ cæteris essent, si maiorũ omnium tam lõga serie luerent peccata omnia. Ea certè fuit Augustini sententia. legisti Enchiridion? capite sexto & quadragesimo subiecta verba posuit. *Parentum quoque peccatis paruulos obligari, non solum primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur.* Neque id ad peccati pœnas retulit, quas filij pendunt pro peccatis, sed ad reatum & maculam quando de peccato Adæ & aliorum parentũ eodem prorsus loquitur modo. neq; distinguit. Sed & à Dauide dictum. *Ecce in iniquitatibus cõceptus sum*, nõ de originis culpa interpretatur, quæ virtute continet multa peccata, sed de peccatis etiam aliorum parẽtum, quæ sunt multa, & in prolem descendũt. Nam quod Ezechiel dixit: *filius non portabit iniquitatem patris*, ad noui id testamenti gratiam referendum ducit, quando baptismo eluuntur peccata tũ propria, si quæ existũt, tum omnia parentũ, quo premimur onere. Hæc Augustinus. Nam Iudęorum fabulas de re hac referre nõ iuuat. Mosis verba ab Ezechiele correcta. Atque illud potius statuo, singulorum peccata parẽtum ad filios nõ transire: quod Ezechiel explicauit, exigi tamen à filijs pœnas propter peccata parentum, non æternas, sed in præsenti tantum: quæ fuit Mosis sentẽtia, Theologorum scholis magis cõgruens quam superior. Potuit quidem Deus alienæ parentũ culpæ filios facere reos: neq; si fecisset, ęquitatis leges violaret; noluit tamen summo iure nobiscum agere, vt in multis alijs, indulgentissimus pater. Itaque vt disputationẽ in pauca conferamus, culpam primi parentis posteri luimus. propterea in hæc mala præcipitauimus, quæ per totam vitã patimur, in luto versamur & sordib. de naturæ gradu & rationis dignitate deiecti. Ex vitiato fõte alia extitere peccata quibus fœdamur in dies, indigniq; reddimur sorte felici, ad quam suscepti & instituti initio fueramus. atq; ita vt cum mortuis potiꝰ quam spirantibus numerari debeamus. Quare prudentissimè excogitatum est, vt succedẽte morte finis culpæ esset. post mortẽ eadem condito-

Marginal notes: 1. Cor. 15. — Exo. 20. 5. — Psal. 50.

ris manu, quæ nos initio formauit è luto, restitueremur post cineres in A eam formam & vitam, quam ipse finxit, nos corrupimus. Sic mutilam statuam aut alioqui fœdatam ad informe æs prius redactam peritus artifex noua diligentia typis prioribus instauratis in elegantiã pristinam & formam reponit.

CAP. V.

Cupiditates abdicandæ.

NOS quoq; si partes mortis in vita occupamus, minor cũ venerit, molestia erit. Mors rebus omnibus quæ iucunda sunt, spoliat, illa remoue in vita, fibras omnes præscinde, terrã circumeffodito, minori labore arbor ad terram cadet, quam si vno impetu prosternere satagis; neque cõtingat, nisi atroci turbine ventus impotens aruis incumbat, stragẽ C obnitentium arborũ late faciat. Quę se mens erigit à terra, & à corporis abducit contubernio, ijsq; voluptatibus quæ percipiuntur corpore, is animus melius habet, vegetior euadit ad omnia virtutum officia præstãda. Quid mors? ab ijs illecebris salutari manu liberat, à corpore quasi graui & incõmoda sarcina, vt anim⁹ quasi D ruptis vinculis & aperta auis cauea in puriorem aurã euolet. Auiculas vidimus aures demulcere solitas cõcentu, caueam & vincula amare, detrectare oblatã libertatem. Falco in aucupio solutus, vltro tamen ad vincula recurrit, ad tenebras & perticã. Longa consuetudo decipit, esca sine labore in captiuitate ab hero parata. Similis nos errore decipimur, ne auo E lare cupiamus. Quod si diuitib⁹ id & beatis contingeret minus mirãdum, nolle præsentes iucunditates futuris mutare. Illud planè miserabile, eadẽ amentia implicari quibus res est angusta domi, quorũ vita omnis in manibus est & quotidiano sudore. Nulla commodior via ad emolliendum metum mortis, quam si illi pharetrã

& arcum demamus. Ijs sagittis varias quotidie cupiditates vitæ defigamus, nobis ipsis crucẽ erigamus. Variæ nos voluptates quasi vincula terræ defixos tenent. Si nos frangimus, si rũcina prauos affectus extirpam⁹, nil erit quod magnopere in hac vita detineat; morti sic vires detrahim⁹, ne ferire possit aut molesta esse. Diuitias cupis ardẽter, cõtemne, proijce, in alimenta pauperum, in salutares vsus conuerte. Morti ea arte clypeum obiecisti, ne ea parte ferire possit. ac verò iucũda migratio erit, quo B copias omnes bene ijs vsus præmisisti. In voluptatũ cœno volutaris, libidini seruis, sæuæ & impotenti dominę? Emerge ex eo gurgite. quod senectus ꝙ morbi ex eo fontè multiplices facturi sũt, prudẽtia faciat, amor honestatis. Honores & imperia ambis, expetis magistrat⁹, opima sacerdotia, primum inter ciues dignitatis locum? Ab ijs te flãmis & incendio eripe memor modestię, memor mortalitatis. Quid enim breuẽ vitam excrucies vano labore, altiora te expectas? Id si præstas, si nostris præceptis morẽ geris, tranquillitas in vita maior erit, in morte angustia minor, ad vitã beatam vita expedita sentibus & spinis extirpatis penitus & cõuulsis. Quid enim terreat, quid detineat, si nos spoliemus ante ijs omnibus q̃ ad felicitatem prima in hac vita putantur, quæ sua dulcedine implicant detinentq; mortales: & quibus sublatis nil fit, quod in præsenti magnopere expectatur? *Vnde bella & lites*, vt Iacobi Apostoli verba vsurpẽ, in vita nẽpè & in morte, nisi ex noxijs cõcupiscẽtijs q̃ nos lacerãt, mentẽ in diuersa trahũt, quasi equi, fontis ad id damnati, mẽbra discerpẽtes in diuersum cõcitati. Ex amore cupiditas, metus, ira, tristitia, alijq; affectus præposteri ortũ habent: stirpẽ cõuelle, cætera cũ illa cadent. nil erit in vita ꝙ terreat, ꝙ afficiat molestia, ea arte vel morti ipsi contumeliã facies. maior te ipso & animosus cũ illa in arenã descẽdere non dubitabis his cogitationibus Iacob. 4. 1.

quasi

quaſi caſſide & ferreis maculis armatus. Quid enim mors? quod ſępè repe- A tam, opum, amicorũ, propinquorũ, aliarum rerum expoliatio. Ea in vita ſponte & animoſe repelle, nullum in te ius morti reliquiſti, prædam hoſti abſtuliſti; non ſecus, atq; qui annonã corrumpunt, aliò comportant, ne ea potiãtur aduerſarij bello laceſſentes. Vnam modo corporis ſarcinã auferet, quod magno ipſe comparare deberes. Augiæ ſtabulum repurgare letamine multorũ annorum, eam laudem Herculi præripere quãtum? Sed & ſi ſapis, ſi me audis, non integrum corp⁹ inueniet mors in quo deſęuiat tandem, ſed debilitatum inedia & labore. Sic minor erit iniuria, nulla iactura. Ex cõtinua lectione & ſtudiorum nunquã interciſſa contentione caligẽt oculi, obſurdeſcant aures. caput cęleſti contẽplatione, aſſiduis ad Deũ precib. debilitetur. dẽtes pituitæ defluxione corrũpantur & decidant. manus pedeſq; neruorũ dolor affligat. Quã in alijs Venus pręſtat & crapula, tu honeſtis laborib. & vigilijs facito iacturã. mortis ea arte iniurias & officia occupaſti maiori ex parte. Neq; enim fas eſt aut decet corp⁹ ꝓcerum, venuſtum, bene & delicate curatum, vino & epulis ſaginatũ, quaſi altilem porcum ex hara, pretioſa veſte & odoribus emollitum in foueã proijcere quaſi in ſterquiliniũ & ſaniẽ, terræ repente mandare vermib⁹ Saginã ἀνθρωποφάγοις. Quanto præſtãtius morti eam palmã præripere, victoriã extorquere de manibus, ſublatis omnib. diligenter, in quæ ſæuire illa poterat & graſſari. Ergo quę ſunt cariſſima te ſi potes, ſin minus voto tẽpeſtiue abdicato, corporis partes & mẽbra laborib. vltro ſuſceptis debilitato, de ſęuiſſimo aduerſario, ſi min⁹ collatis virib. aſtu & prudentia triũphaſti. Sic Numantini vrbe incenſa, ſe ipſis cũ filijs & vxorib⁹ trucidatis, ſupellectile omni & commeatu eodẽ igne corruptis, nihil Romano reliquerunt, ꝙ rapere ferreq; poſſet in patriam, ſuo ipſi ſepulti triumpho.

CAP. VI.

De prædeſtinatione.

Deuicta morte in cæleſtes ſedes cõſcenditur. Ibi vota omnium & gaudia felicium. ibi conceſſa libertas, nobilitas, opes, pulchritudo, nominis claritas, gloria perpetua, quidquid animus expetit, quidquid ſitim explet animis inſitam. In eas tamen ſedes, nullus accipitur, niſi quẽ Deus decreto ſuo & delectu ante naturæ ordine compoſitæ cõditionem idoneũ ea ciuitate iudicauit aut fecit. Id decretũ *prædeſtinatio* latinis dicitur, Græce προορισμός, de qua hoc loco diſputamus, vt quibus gradib⁹ eo ꝑueniatur, quoque ordine omnes intelligant. Mentes quidem incorporeæ, quos Angelos dicim⁹, ad vitam [redacted].Naturam illis integram cõceſſit Deus nulla fœdatam macula, contra dotibus eximijs inſignem, gratiæ opes copioſas, quibus ad vitam peruenirent. Vim tantum voluntati non intulit, ne neceſſitatem quidem. In eorum arbitrio poſuit vtram ſectari viam mallẽt, vitam an mortẽ amplecti. Ea libertate & optione data, maior pars diuini numinis ductum ſecuti ingeniumq; ſuum ad bonũ certè procliue, ad optatam metam felicitatem peruenerunt, alij & naturæ donis & diuinis ornamentis ſuperbientes de faſtigio dignitatis, in perpetuas tenebras deciderunt nulla emergendi ſpe; quoniã certa ſententia & voluntate propria nulla aliũde neceſſitudine mala pro bonis ſunt amplexi. Qui diuino dono ad ſalutẽ ſponte vſi ſunt, ij pręde\u017ftinati vocãtur, qui ſecus reprobi, [redacted]. De⁹ enim & naturã rectam dedit, & gratiæ donũ negauit nulli. vt ad ſpem reſponderet euẽtus, in ſingulorum arbitrio

reli-

reliquit. Quæ quoniam fallere poterat post factum sementē nulla subsecuta fruge, à quibusdam ex effectu prædestinatio ea mobilis dicitur. Re intellecta in verbis faciles esse debemus. Nouum hoc inquit curio, quod theologorū scholis haud facilè probes dari prædestinationis cuiusquā causam. Nouū, inquam, fortassis, sed Augustini auctoritate nixū & fide, gratuitæ & sine causa prædestinationis fautoris præcipui. legisti librum *de correptione & gratia?* capitibus decimo & vndecimo id definitum perspicies. Hæc de Angelis. De hominibus non vna ratio est, neq; vno modo in vtraq; conditione loquendū, naturæ integræ & peccato fœdatæ. Integrum hominem Deus in salutē non alia ratione quam Angelos in salutē destinauit. Diuino dono, naturæ vitijs, si quæ inerant, castigatis, ingenio ad meliora excitato satis habuit, in medio vitam & mortem ꝓponere, vt pro arbitratu ad quod magis placeret manus extenderent, fructus ad optionē responderet, siue in salutē, siue in exitium. Si in bono primus humani generis parens perstitisset, alia prædestinationis forma opus nō esset, quam quæ cū Angelis erat cōmunis. Hoc etiam ex ipsa positum Augustini auctoritate putato. Quid post lapsum primi parentis, & ea culpa infectū omne genus humanū? Nō vna quoq; in eo sentētia est, sed diuersæ atq; pugnātes. Græci patres oēs ac plerique ex Latinis, quos nomine citare non est opus, nouam quidem & magis copiosam gratiam ad sanandam eam plagam adhibitā dixerunt Christi sanguinē sacramentorum in vtraq; lege vim. Verū non alio genere prędestinationis quā ante casum & quam Angeli. Diuinas opes omnibus propositas in cōmune: vt quisq; ꝓ suo arbitratu sine discrimine salutis viam aut exitij sequeretur. Qui salutis viā tenuerunt, eos ad vitā beatā destinatos, relictos alios in sordibus quib. se vltro fœdarunt, nulla extrinsec⁹ necessitate. Quæ ratio mirificè cōgruit cum Dei benignitate, vt qui non sua voluntate certaq; sententia corruerunt, porrigat omnibus manū modo velint: in pristinum dignitatis gradum restituantur oblata ope. Sed & diuina oracula fauent, omnibus testantia oblatam salutem, neque per Deum stare, quo minus resurgāt à malo. *Quoties*, inquit, *volui congregare filios tuos, & noluisti.* Tum illud. *Tota die extēdi manum meam ad populum non credētem.* Et quod in ore est omniū. *Deus vult omnes homines saluos fieri.* Id est votū eius, vt omnes salutē consequantur. neminē à Deo deseri, qui non priùs ipse se deserat; ei⁹ opē pręsto omnib. esse; quod quidam pereunt, culpam ipsorum esse tantùm nil aliud. Ita si duobus par auxilium proponatur, quod alter à casu resurgat; in cœno hæreat alter, & sordib⁹, (ita hi disputant) libero arbitrio tribuatur id discrimen non gratiæ, quæ par vtrique est oblata. Deindè quod hic sit prędestinatus, reprobis ille annumeretur, operib⁹ singulorum totum adscribi, non diuinæ voluntati nudæ. At qui ita sentiunt, curio arguit, à recentiorib. inter semi Pelagianos numerantur, qui etsi gratiam non negent, nobis tamen tribuant, quod ab illa pręstatur. quibus *Ioannem Cassianum* annumerant *& Faustum Rhegiensem* viros alioqui præstantes, eoque merito putant eorū scripta à Gelasio Pōtifice fuisse reprobata. Plumbeum, inquam, pugionem, grauem contumeliam, velle traducere omnem ferè antiquitatem, abdicare Græcos omnes Patres quasi hallucinantes in re omniū grauissima. Neq; enim illi gratię donum excludunt, aut voluntati vim resurgendi tribuunt, nisi diuina ope regatur & iuuetur à principio ad finē boni operis. Verè enim Paulus dixit: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* idem sibi de gratia Dei de humana imbecillitate vtrique proponunt, quamuis sententia discrepent in prædestinationis forma.

Marginalia: Luc. 13. 34. — 1. Tim. 2. 4 — 1. Co. 3. 7.

Exem-

Exemplo res erit apertior. Regem finge vim auri ex æquo duobus offerre. Alter oblatas opes respuit sua sorte contentus: alteri placet quod datur. Quod diues hic repente euasit & beatus, à regia totum benignitate fuit, quamuis non sine eius consensu. Alterius proteruia prioris inopię malo puniatur. At hoc, oblatum donum accipere non contingat sine noua gratia. Esto: sed quæ nisi cõsentienti nunquam dabitur. Itaque totum à gratia pendet, sed quę libertatem nostram non excludat, non constringat necessitate aliqua. Geminæ quasi arces religionis sunt *gratia & libertas*. vt alteram defendas, prodere alteram stultum. Neque enim sublata altera publica salus stabit. Verùm dilapsam ad gratiam, orationem, ad prædestinationem, vt cœpimus, referamus. Augustinus [redacted]

Videbat Paulum docentem *non ex operibus*, sed ex vocante dictum, *quia maior seruiet minori.* (Rom. 9.12.) *Non volentis neque currentis esse salutem, sed miserentis Dei.* (Rom. 9.16) Quod si quis audaculus conqueratur, & accuset Dei æquitatem, quod ad omnes homines non extendat sua dona. *O homo,* inquit, *tu quis es qui respondeas Deo? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facendi, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* (Rom. 9.21.) Potestatem dicat quispiam non negamus. miserum autem, plerosque perpetuis tenebris addici, non ex suo merito, sed ex voluntate communis patris & conditoris. id planè alienum à diuina benignitate. Quas angustias prior sententia planè euadit, vasorum discrimen ex conditione luti non ex sola optione figuli constare. Videbat præterea Augustinus, quosdam homines in extremas orbis oras eiectos, feris propiora quam hominibus ingenia, tenui aut nulla emergendi à malis spe. Pauci inter nos sapiunt, quid inter barbaros ab omni humanitate alienos? Quis hic copiosos diuinæ benignitatis thesauros agnoscat oblatos singulis vt à malis resurgant? Videbat non paucos ea esse ingenij prauitate vt omnem medicinam respuat. Si vel maximè omnia remedia consumantur, vix vnum eorum à prauitate reuocari. Quid infantes dicam? quidam in matrum vtero pereunt nulla salutis spe, quæ sine baptismo in eam certè ætatem non cadit. Ex ijs, qui nascuntur, non paucos sine baptismo ex hac vita decedere. Quo id ipsorum merito? nullo planè, quando nulla affulsit lux qua bonum præferrent prauitati, ad noxæ expiationem concurrerent. Quid quod Deus auxilia consulto quibusdam aut hominibus aut gentibus detrahit, quibus datis salutem consequerentur? Quid enim aliud verbis illis exprimitur. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone facta fuissent signa quæ in te facta sunt, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* (Luc. 10.13.) Noluit ergo Deus eas gentes saluari, quando remedia non adhibuit, quæ sciebat fore illis certè necessaria. [redacted], post lapsum hominis, non fluxam quoad euentum & inconstantem, quippè ex libero arbitrio, sed ex gratia certam prorsus & ratam atque ex vocantis voluntate. Culpa primi parentis in posteros diffusa effecerat, vt omnes ex ea propagine essemus filij iræ, odium sustineremus conditoris. Ex eo veluti pugna quædam extitit inter Dei iustitiam & clementiam. Hæc veniam petebat non sua voluntate peccantibus, iustitia vt vindicarentur peccatores supplicio ad legis præscriptum. Temperamento vti in ea controuersia placuit, lege in sontes agi, quosdam eximi priuilegio. Sic plerique perierunt ac verò multo maior pars, quoniam paucorum est priuilegium

plurimū lege in sontes agatur. Pauci illi selecti ex omnibus nullo suo merito sed conditoris benignitate, prædestinati ex gratia vocantur, ad salutem admissi, non quidem sine ipsorum voluntate, quid enim id esset, an muta animantia & non potius homines vocari? certo tamen neque vllo amplius interitus periculo. Felicem sortem & votis omnibus exoptandam. Huc illa verba spectant.
Ioh.10.28 *Nemo rapiet eos de manu mea.*
Luc.14.23 Tum illa. *Compelle intrare.* nempè in conuiuium magna Regis impensa paratum. Cæteri in suis sordibus relinquuntur non temere, sed propter originis labem & alia peccata, quæ ex eo fonte, & perspecto cuiusque ingenio profecto manabunt, quæ Deus præscit ante quam fiant, pro mentis suæ perspicuitate. Neque tamen ita eos destituit, vt non sępè inuitet ad salutem offeratque suam opem conantibus haud leui prouentu, quando cum Deo singula peccata vitare poterunt, cæterum perueniendi ad frugem, & ad extremum spiritum in bono perseuerādi nulla prorsus spe: quando perseuerantiæ donum nō omnibus datur sed solis prædestinatis. Hoc tēperamento ita diuinæ seueritati cōsultum est, vt locus aliquis clemētiæ relinqueretur. Pulchrè hæc dicūtur, Curio ait, & acutè. ratio discriminis preclara quare ex angelis nulli sint restituti, tum quia multo plures salutē erant consecuti quam qui periêre: tum quia ex sua sunt voluntate certaque sententia in malum prolapsi. nam an sua natura habeant, vt verti nō possent in contrarium eius, quod semel mēte sunt amplexi, alia quæstio est, quā hoc loco versare non est opus. Sed certè ex proluuie hominum quosdam ex priuilegio eximi necesse fuit, ne totum genus periret, & quoniam alienæ tantum culpæ rei agebantur, quod erat planè miserum. Acerbum & durum hac forma prædestinationis admissa deseri multo maiorem hominum partem, nulla salutis spe. At auxilia omnibus, inquam, non negantur, quibus si voluerint ad beatam vitam perueniant. Quid tu, arguit ille, an ludere verbis placet, offundere luci tenebras? Quid præstat ea iacere salutis fundamenta nisi grauioris supplicij rei vt fiant, quæ scit ipse qui iacit, ad culmen nunquam peruentura, siue eorum culpa contingat, siue structuræ totius imbecillitate? An putas sufficientem gratiam omnibus oblatam, siue ad inchoandū salutis fabricam, siue ad perseuerandum. Ita aiunt, inquam. Quid verò subdit ille sufficere ais, quod ad complementum nunquam perueniet? Denique quid hoc aliud est, quam hominem fati necessitati subijcere, non ex stellis, sed quod est validius ex diuina sententia, vnde nulla sit ad maius tribunal prouocatio. Quis consilio locus, quis arbitrio? vbi quorundam salutem Deus certò sanxit, sine ea sanctione & certo decreto, quod moueri non potest, nullus illam consequatur. Nodum, inquam tetigisti. In eo nostris theologis sudandum, præsertim qui ex Thomæ Aquinatis præscripto Augustini rationem magno animo tuentur. [redacted]

[redacted]

C A P. VII.

Plures gratiæ diuisiones.

DVO genera actionum sunt in nobis:naturales quædã naturæ nostræ consentaneæ & à naturæ facultate profectæ, nempè videndi,audiẽdi,ingrediendi,cognoscẽdi. Aliæ supra naturam quæ ad promerendũ Deum & ad vitã beatam referuntur. vti iustificatio impij, expiatio peccati,meritum vitæ æternæ,& quæ eodẽ pertinent multæ aliæ.Minores sum⁹ diuino præmio. supra vires nostras & naturę facultatem est non tãtum, vt tantum bonũ assequamur,sed etiam vt illud ꝓmereamur bonis operibus & sanctis.In vtroq; actionũ genere diuino adiutorio eget vita humana.Verùm est illud à Paulo in Actis affirmatũ. *In ipso viuimus, mouemur & sumus.* Tum illud Pindari in Pythijs; Ἐκ θεῶν γὰρ μαχαναὶ πᾶσαι βροτέαις ἀρεταῖς.

Act.17.28

Hac imbutæ persuasione A olim gentes sine diuina ope præstari ab homine nihil, nisi auspicato litatoq; magnæ rei quidquã aggredi nefas putabant.singulę ciuitates Deum aliquem adoptabant,in cuius tutela essent, & qui suo numine publicos, & priuatos conatus iuuaret. Neque enim vt filius absente patre & subsistere & operari per se potest, sic nos sine Deo. Sed potius vt lumen præsentiam solis & vim requirit, sic res omnes creatæ Dei conditoris ex nutu pendent. B Ad actiones naturales perficiendas opem quidẽ participat, sed communem minùsq; præstantẽ. Posteriores actiones maiori conatu & virtute iuuando in nobis nobiscũ perficit. Hæc plana sunt & vulgaria. Illud anceps. quid hoc adiutorium Dei auxiliũq; sit, qualitas ne in subiecta & proxima causa,an actio aliqua à Deo profecta. Interest vtro sentiatur modo. C Equidẽ sic arbitrabar Dei auxilium nullam in proximo agẽte affectionem dicere aut etiam operationem, sed ipsam actionem videndi in homine, calefaciendi in igne, diuina etiam promerendi, vt procedit à causa proxima ijs nominibus vocari, vt à Deo adiuuante eandem esse auxilium opemq; diuinam. D Finge aliquem humeris ingens pondus sustinere velle viribus impar, Atlantis æmulatione cælum. Accedit qui opem ferat,ne sub pondere corruere sit necessum. Iuuamen illud nil est aliud profectò,quam sustẽtatio ipsa molis vastæ, vt processit ab eo qui in subsidium accessit, opem conãti tulit. Sic de diuino auxilio cogitãdum est.actionem ab vtroq; agente profectam diuersa induere nomina & rationes non easdem cum sit eadem. E Esseque adeo veluti canalem & tubum,per quæ procedunt quæ sunt vtrique agenti consentanea,vt ab homine humana,vt à Deo diuina & incorporea aliquando.mirabile dictu, sed verum.exemplo rem vniuersam capies. Calefactio tum à calore ignis procedit,tum ab ignis substãtia, sine

qua neque ardor consisteret, neque verò operaretur. Sic calefactio vt est à calore admotæ stupæ infert calorem, vt ab igne nouam ignis formã. Quæ ratio latissimè patet & actionibus Sacramẽtorum adaptari potest, quę Dei virtute, hoc est vt à Deo profectæ animum expiant ingeneratis virtutibus & sanctitate. Magnum est aquæ lotione corpus elui sordibus, animam etiam incorpoream peccatis, sed Deo operãte consentaneum. Tũ spectra in sensu interno quæ vocamus phantasmata, intellectus agẽtis ope & lumine adiuta supra vires assurgunt, & in intellectum possibilẽ, qui est incorporeus, transmittunt species & imagines incorporeas rerum quæ sub sensum cadunt, εἰδέας, Græci vocãt. Atque hæc in cõmune quidem dicuntur de auxilijs diuinis: aliud est an præter actionem qua effectus producitur, aliquod auxilium detur præsertim ad perficiẽdas actiones, quæ supra naturã sunt, per modum habitus affectionisq; in agente. Ex multiplici gratiæ in suas partes diuisione melius id intelligetur. Vobis, curialis ait, istas subtilitates relinquo: quibus & pallio magnum vobis sapientiæ nomen arrogatis. mihi caput iam dudum his nænijs obtunditur. De illis ad rauim disceptate & ad noctem si libet. Ego me domum ad cœnam refero, curatum ne quid desit. Attenti, inquam, ad rem iurisperiti estis. nulla sapientia placet, nisi quæ cum crumena & culina sit coniuncta. Mineruę inquit ille, exemplo sapiẽtiæ præsidis, quæ inter arbores oliuam fructuum causa legit, infrugiferas dijs alijs reliquit in tutela. ne honorem, pretio vendidisse viderẽtur scilicet gloriantibus. Risimus argutiam & ego, lautę vt sint epulæ vide: cũ calceatis dentibus festinamus. iter & disputatio acuit famem. Discessit ille. ad abeuntis fratem ipse, liberius sine arbitris exequemur quæ sunt reliqua. Itaque gratia alia habitus est alia actio. Animi vires imbecilles sunt, neq; in ipsis vt ad Deum & diuina sine vi altiori consurgant. Habitib⁹ virtutibusq; opus habet cęlo datis, quib. vegetatus faciat, quę ex se præstare non posset. Sic fidẽ. spem, caritatem, virtutes alias menti ingerit Deus, quibus cælestia cõplectatur. Ab ijs virtutibus procedens actio, vt à Deo noua ope oblata iuuante, sine quo nihil profecto sumus, gratia etiã vocatur. Hæc rursus gratia quæ actio est in excitantem passim tribuitur & adiuuantem. Excitat Deus per concionatores, prodigia, per mala quæ infert & supplicia. Aspectu quin etiam rerum omnium, quæ sub sensum cadunt, atque earum specie extrinsecus excitamur. Interi⁹ commotis in mẽte varijs imaginibus salutares affectus sæpè existunt, amoris, timoris spei, doloris & gaudij. Admonitio externa, commotio imaginum, affectus inde exurgentes, gratię excitãtis ambitu continentur. *Adiuuantẽ gratiam* intelligim⁹ ipsam Dei opem & iuuamẽ quo nobis iunctus subleuat infirmitatẽ nostram, vt præstare possimus eo pręstante, quas nostris viribus non possemus *salutares actiones* pœnitẽtiæ, dilectionis, abdicationis morum priorum vitæque turpioris. Possent quidem ipsi menti inditi habitus, posset & Deus ipse paratus opitulari in angustia, gratia adiuuãs vocari, sed abusu vocis & impropriè. Ipsa *actio salutaris* vt à Dei ope profecta gratia adiuuans propriè est. Alia diuisio gratiæ quæ in ore omniũ est cum priori consentit, nominib. modo cõmutatis. *In præuenientem*, quæ eadem *excitans* est, & *concomitantem*, subsequentemq;, quæ vtraque gratia cooperans est alia atq; alia ratione. *Concomitans* est, quoniam nobis adest, & imbecillitatem nostram subleuat. *subsequens*, quod sequitur gratiã excitantem seu præuenientẽ. Eadem res, rationes diuersæ: ne nominum multitudo decipiat. Quemadmodũ gratia *adiuuans operans seu cooperans* dici solet. In tribus vocibus vis vnica est. variæ tantum vnius gratiæ officia & functiones ijs nominibus designan-

signantur: quæ longiori explicatione non indigent. Abscedant sophistæ, neque inuolucris verborum & tenebris clarissimarum rerum, vt solent, signa confundant. Procede vlterius, ait curio, si tamen quoniam de sophistis mentio à te facta est, prius explices, quid eo nomine propriè significetur. ne hallucinemur in voce cuius frequens vsus est. Faciam libenter. His spinis iucundiora & faciliora miscere operæpretiū. Ergo qui falso sibi arrogat nomen sapientis, q multa mouet assequitur pauca, is iure sophista est. auctores Plutarch. in Themistocle, Suidas. Ita quod est in morib. hypocrita probitatis simulator falsæ & emētitæ, id in artib. ingenuis & in sapiētiæ studio Sophista est. Clamosum, tricas nectētem inanes, qui se profitetur de quacumque proposita quæstione disputaturū ex tēpore, hos vulgo sophistas dicim. nimirum ea quoque vitia plerumq; ex simulatione sapientiæ proueniūt. Quid hęc, subdit ille, an ignoras, eruditis id nomē datum, vt *Gorgiæ Leontino, Protagoræ Abderitæ, Libanio.* Nēpe: sed propter quandam similitudinem quam gerebant cum circulatoribus illis sapiētiæ ineptis simulatoribus, ac triconibus, quos verè sophistas dixerunt.

C A P. VIII.

De gratia sufficienti & efficaci.

EN scopulus ad quem multæ confractæ sunt naues. En Euripus rapidus in diuersas ac cōtrarias partes verso mari velut mōte præcipiti deuolutus torrens, feruens rixis & contentionibus. Nusquā maiori animo neq; odio partium magis implacabili hisce annis certatum est, vsq; eo vt ad seuera tribunalia vētum sit, dum vtrique aduersarijs hæresis crimen affingunt, quo nihil est grauius. Ipse Romanus Pontifex appellatus iam aliquot annos ea cōtrouersia districtus nondū in pace litigantes posuit nouo decreto ꝓmulgato. Noua *gratia* nomina, recens controuersia. Nā in Thoma Aquinate & vetustiorib. rara aut nulla vestigia. Cōtrouersiæ caput, cum gratia arbitrij libertatem conciliare magno vtrinque præcipitio siue gratiæ nerui collidātur, siue arbitriū necessitate aliqua constringatur. Ergo inter gratiam sufficientē & efficacem distinguimus: vt sufficiens sit qua facultas datur operandi diuina ante ipsam operationem. Sic intra ambitū sufficientis auxilij complectimur præter virtutum habitus cælo datos gratiam excitantē omnē & præuenientem, quidquid denique diuinæ opis actionem nostram præcedit. Atq; hacten. theologi omnes consentiunt. *De efficaci gratia* maior est concertatiō. Qui Thomæ Aquinatis placita amplectuntur, ij ferme auxilium efficax putant qualitatem menti inditam, non diu sed ad breuē tempus persistentem, aut certè actionē quæ præcedat nostræ voluntatis motum consensionemq;, quæ ad illam eliciendā omninò constringat, nulla vagandi relicta facultate. Itaque posito *auxilio efficaci* voluntas nunquam resiliet: ductum potius diuinum haud dubium sequetur ad salutem. Alioqui quę ea efficacia esset, nisi cum effectu iuncta? *gratiæ potius sufficientis* in castra, quidquid id esset profectò transiret, neq; esset efficax gratia actionis nostræ & consensus cōplemento nudata. Si roges, è duobus pari vtrique oblata gratia cur alter obtemperet, ille resistat in malo? fidenter respondent, quia noua datur gratia vni, quæ socio planè non conceditur. Mirabile prorsus atque miserandum, agi reum aliquem in quo non potuit vitare viribus, quæ erant ad id necessariæ, penitus destitutus. Alijs è contrario videtur, *sufficientem gratiam* hoc solo ab efficaci differre, quod ad priorem gratiam liber consensus voluntatis accedat: ipsamque adeò sufficientem reddi efficacem, quoniam effectui iungi-

tur. E duobus in pari oblata gratia, quod hic sanetur, alter in sordibus maneat, id discrimen non referendum in gratiam, quando vtrique par aderat, sed volũtatis humanæ libertati, qua alter deum inuitantem libere secutus est, renuit alter. Hi *libertatem nostram* tuentur, illi *gratiæ dignitatem*: sine qua neque opus salutare inchoamus, neque complemus. Vtrumque si iungeretur salutari aliquo temperamẽto consultius esset: quam inter se conuitio & linguę petulãtia pugnare, quasi priores nouis Lutheri placitis faueant: qui mẽtem necessitati subiecit sublata libertate fastu tumidus, procax ore. Et sanè quæ in nobis libertas reliqua erit in his certè actionibus, si ex anticipata Dei motione voluntas cõstringitur, ne possit excurrere in alia libereque spatiari? Posteriores accusantur, quasi Pelagium sequantur, nostris virib' tribuentes bona quæ facimus certè complementum (sine quo quid alia sunt?) dent nobis, neq; totũ opus adscribant gratiæ. Inter hæc duo præcipitia media tutissimi vadunt, qui supra gratiam quidem sufficiẽtem addunt efficacem: negant tamen ab illa voluntatem vlla necessitate constringi: ac potius actionem ipsam esse contẽdunt libere à voluntate elicitam, à gratia sufficiente Deoq; adiuuante productam quidem, non tamen sine nobis. Actio illa quà ratione à nobis proficiscitur volitio, cõsensus est, quâ à Deo adiuuante, diuinum auxilium & gratia. Quę sunt superiùs dicta, memoria tenere opus est de Dei auxilio in commune. Hoc temperamento sanè gratiæ dignitatem tueri procliue est, cum nihil nobis in iustitiæ stadio sine Deo tribuatur, nihilque de nostra delibetur libertate. quando ante ipsam volitionem nihil voluntati inest, per quod ad vnum constringatur. At posita ea gratia efficaci, curio arguit, quocunque modo eam finxeris, voluntas operationem retractare non potest. quam ergo illi libertatem relinquis? Concedam, inquam, quoniam qui operatur, dum operatur, necessario id ex conditione facit, sine iniuria tamen libertatis, quoniam ex ante dicto, inhibere eam actionem potuit: quod ipsum in alijs actionibus liberis agnoscere promptum est, ingrediendi, legendi, videndi, libere fieri eas omnes quantumuis ex conditione, dum iam fiunt, quãdam induant necessitatẽ. Placet hæc ratio ille addit, acute & vere hoc itinere suscepto *libertati* incolumitas, *gratiæ* sua dignitas constat. neutrum alteri aduersatur. Verùm quæ ex Augustino de prædestinatione explicasti, ea cũ his quo modo concilientur videre percupio. Sic prædestinatos à Deo dirigi ad capessendam beatitudinem, nulla vt fraude possint aberrare, neque præter eos ex aliorum numero quemquam consequi salutem. An credis cum his arbitrij libertatẽ constare? Arbitrij enim motus ancipites sunt, & in vtramque partem flectũtur, *prædestinatio* ea certa est haud dubium & constans. Non omnes, inquam, Augustini in eo sententiam probant. horrida multis videtur & aspera: neque video hactenus certo aliquo ecclesiæ decreto fixam, vt resilire non liceat. Sed in medio relictam, vti pleraque scholę placita. Ac præsertim si cum ea prædestinatione, *ex priori* forma prędestinationis, quam vagam vocant, aliquos ad salutem admittimus, vti superiùs est dictum, omnis illa seueritas grata dulcedine temperatur. Verùm quoniam in nostris theologorum scholis ea potissimum ratio valuit, ea suscepta libertatem nostram tueri deliberatum & fixum est. Id vt contingat, Deum finge modis omnibus tueri prædestinatum decreuisse, ne ex hac vita decedat labe contaminatus peccati. Quod in singulis actionibus & motionibus non cogendo pro imperio & viribus facit, sed placide inuitando & demulcendo. Ita qui omnibus machinis, quas Deus parauit, iunctis prædestinatus resistere

ftere non posset, & vocibus omnib⁹ surdas aures præbere; singulis potest repugnare, libereque consentit, eoq; in meritum adscribuntur quæ facit. Neque insolens hoc videri debet, quando in culpa ponuntur minora peccata, quia etsi omnia vitare nemini licet, singula libere facimus. Num hoc nouum est, & non potiùs scholis familiare? Quid verò si quis ita sit præfracto ingenio, vt omnes à se Dei motiones repellat, quod posse facere verum est, quando in omnibus liber manet: num ex eo euentu prædestinationis constantia debilitabitur? Non puto. sed potiùs ea hominem contumacia, quæ latere Deum profectò non potest, eo ingenio, suorum militum numero non adscribit: sed quos nouit certissimo eius imperio obtemperaturos. Ratione non alia in reprobis procedendum est. Posse quidem cum diuina ope parata omnibus, singula peccata vitare, tametsi fugere omnia non possint. ideoque singula in culpam adscribi. Sed num credis sufficiens auxilium dari omnib⁹ etiam reprobis ad resurgendum à malo, ad vitanda peccata? Credo equidem. verax est enim qui sine discrimine dixit. *Ego sto ad ostium & pulso:* & multa id genus quæ memoria tenes, & occurrunt passim. *Vocaui & renuistis.* Tum illud: *tota die expandi manus meas ad populum non credentem & cōtradicentem.* Verùm quid de infantibus dicas, qui in matrum vtero pereunt, quid de ijs qui in primis annis, sed inter barbaros, quibus nulla euangelij notitia est? Et constat illis sine baptismo salutem non contingere. De adultis non loquor, quoniam signatum est super illos lumen tuum Domine, tenue quidē & quasi in nocte illuni; nonnullum tamen. Ego de ijs infantibus sic statuo, in Adamo quo peccante sunt infecti, & cuius delicti pœnas luunt, sufficiens auxilium accepisse. Ea repudiata gratia mirum non est si à communi lege, qua post lapsum omnes inuitātur ad iustitiam aditu patenti, ij infantes excepti sunt. Sed num gratia sufficiens ad perseuerandum omnibus datur etiam reprobis? si enim nō datur, qua æquitate plectūtur, in quo ad effugium vires non suppetunt. Ad hęc eam dare ludibrium merum esset nullo vsu, ex tanto numero, nullo prorsus exequente ad quod facultatem habet paratam. *Gratia ἐντελέχεια* est, non facultas sine vsu vana, vmbra absque corpore inanis, statua iners. Ad hæc respondere sic possum. Donum quidem perseuerantiæ, quod ipsa perseuerantia est, nulli conceditur, præter prædestinatos, qui soli & omnes ad vitæ finem in bono perseuerant. De facultate sufficienti ad perseuerandum alia ratio est. Omninò secundi generis prædestinatis admissis facilis responsio esset ex ijs qui delecti primo non fuerunt, quosdam cum Deo euadere tamen, atque adeò facultatem datam omnibus in quibusdam cum vsu iunctam. aliorum culpa factum, vt ea gratia ad frugem non perueniat. Ea reiecta sententia (vti à plerisque repudiatur quasi absona) dicam reprobis initia quidem dari eius sufficientis ad perseuerandum gratiæ. vocantur enim omnes, & iustitiæ viam tenere, in eaque progredi ad tempus possunt: complementum autem & cumulus, quod ex virtutum habitibus, gratia præueniente & excitante conflatur etiam ante perseuerantiam, solis prædestinatis. Quid enim excitet hominem stola iustitiæ nudatum, profunde in exitu vitæ suis malis indormientem, neque euigilaturum prorsus? quid pręueniat ope inani? quid margaritas obijciat recusanti, nisi vt vindicta sit acerbior, casus grauior? Ita plenam ad perseuerandum opem non dari reprobis puto, non modo denegari perseuerantiam. Mirificè omnia cohærent socius ait, miseri homunculi terræ planè filij, qui in tenebris digladiantur sine vllo laboris effectu offendentes ipsi pars in gratiam, alij

Apo.3.20 · Pro.11.24. · Ro.10.21.

in libertatem, & in consortium erroris rapientes alios. quæ plurima turba est. Sed num putas in nobis sine Dei auxilio peculiari situm, vt bonum aliquod certè operemur, viasque nostras bonas faciamus? de quo etiam hoc tempore magna est concertatio.

CAP. IX.

Bonum ex nobis aliquod operari possumus.

GRauis hæc quoque disputatio, & quæ hoc tempore multis facessit negotium. Amicus quidam, quem nominare non attinet, in scholas non ita pridem inuexit, quod ante passim repudiabatur, nullum bonum opus ab homine fieri naturæ viribus sine auxilio gratiæ. Si obijcias peccatoris hominis & nequam fore opera omnia peccata: quod plures Pontifices suis responsis improbarunt. Negat id quidem, quoniam improbis etiam quoddã gratiæ auxilium adesse arbitratur ad bonum excitantis & adiuuantis. Ego tamen, vt in pauca disputationem concludam, sic statuo. In homine quamuis flagitioso & peccati labe contaminato situm esse sine vlla superaddita ope, vt bona opera moralia faciat non omnia; neque enim poterit, dum à malo non resurgit, omnia legis exequi mandata, sed quædam tamen. quod video dictum plerisque theologis placuisse. Neque enim peccati labe ita natura corrumpitur, vt non aliquod mente veritatis lumen eluceat, tenue quidem & malignum: illudque lumẽ affectu sequi possit lẽto quamuis gradu & cespitando. Qui vineas plantare possumus, magnis molibus & cæmentis ædificia construere, an non ijdem mendico manum ad stipem extendenti teruncium dare simplici voluntate miseriam subleuãdi, nullo alio prauo affectu, nulla alia praua circumstantia fœdata? Atqui hoc opus bonum est probitati consonum. Quin eo pleriq; theologi ꝓcedunt, vt Deum nos sine cælesti ope posse amare præ alijs omnibus contendant eo affectu quo pro amico, pro patria, adde, pro pecunia, pro libidine, pro secta solẽt quidam vitã sanguinemq; prodigere. Verax est enim qui dixit, *Maiorem caritatem nemo habet*. nosti cætera. Quid autem interest Deum inter & alia enumerata, vt pro illis possim vitam periclitari, pro Deo non possim, cui debere nos plusquam parentibus & patriæ natura duce plerique omnes nouerunt. Neque tamen ex eo colligas in homine situm peccatore primum de dilectione Dei decalogi præceptum ex suis viribus implere. Quoniam in eo non simplex amor præcipitur, sed ex quo sequitur quasi legitima proles vniuersæ legis obseruatio, iuxta illud. *Si diligitis me, mandata mea seruate*. Quæ homo peccato obnoxius præsertim, exequi omnia non potest, ne iusti quidem & sancti nisi vis superior adsit. Ea est imbecillitas ex peccato, vt diuina ope egeamus in quibusdã quæ alioqui naturę consona videbantur. Illud cauendũ, ne ita ad Dei auxiliũ omnia referamus, vt nihil præter prauitatẽ & malũ naturæ humanę nostroq; ingenio relinquamus. His nostris diuina ꝑfecto oracula consonant argumentis. Voluit Dauid nomini Domini ædem exstruere, volũtas ea & cogitatio bona fuit, vt diuinæ litteræ testãtur. Prohibetur autem opere id præstare. in quo indicatur eam cogitationem à Deo profectam non fuisse. An vetaret, ad quod ipsemet bonis cogitationib. immissis inuitarat? nõ arbitror. An aliquid opponi poterit tantæ perspicuitati? Illud, amicus ait, opꝰ religionis quale illud fuit humano ingenio nõ rectè tribui. Quasi interfit, inquam, inter religionẽ & alias iustitiæ partes virtutesque alias, quarũ actiones à prauo homine prę- stari aliquando confecimus, ipsam

Ioan. 15. 13.
Ioan. 14. 15.
2. Reg. 7.

Dei dilectionem, non quidem perfe-
ctam, sed inchoatam, sed informa- A
tam, sine vitio vllo tamen, sed Deo
eam voluntatem acceptam, ipsoque
à Deo auctore arguis. Non contendā.
Proli sanè ex Bethsabee natę cum in-
columitatem perijt, an id votū eam
pietatem accuset quis iure? an à Deo
profectum, quod irritum cecidit, &
cōtra vaticinium prophetæ mortem
infantis denunciantis? Ex eo saltem
efficitur, ille ait, bonam voluntatem
aliquando antè gratiam Dei præce-
dere. Quod si annuis, & illud fatearis B
oportet, iustificationē impij ab ipso
inchoari posse. quod auersantur au-
res, & à Ioāne Cassiano dictū passim
vituperatur. *Si enim impius ex se benè
operatur, Deus eo conatu placatus facilè
fundamentis iactis reliquam molem &
culmen imponet.* Nihil, inquam, pro-
hibet bona opera antè gratiam per-
fici, verum quoniam iis Deum im-
pius non demeretur, quod sint ini- C
mici opera, ingrata arbor, fructus in-
suaues (contra quam Ioannes Sco-
tus sensit) non potest impij iustifica-
tio ab iis operibus inchoari. At epi-
phonema illud vulgatum benè ha-
bet. *Facienti quod in se est, Deus non ne-
gat gratiam.* A nobis ergo aliquando
salus incipit. Rectè, si quis faceret
quod in se est, nempe legem omnē
impleret diuina mandata sine cæle- D
sti ope. Illud contendam in iustifica-
tione impij sæpè gratiam præcedere,
aliquando bona opera. Exempla v-
triusque rei proferamus. Paulus per- *Act. 9. 4*
secutor, Mattheus publicanus repètè *Matt. 10. 3*
nullis bonis operibus, contra multis
malis fœdati diuino dono honestā-
tur, traducunturque repentè ad Eu-
angelium. Econtrario Cornelij cen- *Act. 10. 31.*
turionis eleemosynę antequam pio- E
rum numero adscriberetur, sunt ex
auditæ, Zachæi fides & votum Chri- *Luce 19. 2.*
stum videndi sua largiendi, latronis
in cruce pietas & in socium dura in- *Luce 23. 40.*
crepatio videntur præcessisse subse-
cutam Dei benignitatē, qua eorum
peccata expiauit. Si hæc etiā omnia
contendas sine auxilio gratiæ non
contigisse. Sit sanè: modo in genere
concedas, potuisse illos, posseq; alios
ante iustitiā ex natura bona aliqua
operari. Id enim agimus. De iure di-
sputatio est: de exemplis per me, vt
volueris statue. Summa nos in pec-
catore nullum meritū apud Deum
agnoscimus, in quo Pelagius errauit,
errarunt alij quidam. Item morale
bonum non facimus proximam ad
iustitiam præparationem, sed remo-
tam alterius ordinis, & quæ vix id
nomen, ac ne vix quidem meretur
& laudem. Deus tamen remotè bo-
nis impij operibus & lachrymis fle-
xus aliquantum sua benignitate du-
ctus magis quàm re alia quapiā con-
summat q̄ ille inchoauit. Ita Deus
non nostris operibus flectitur; sed
spontè dona sua concedit homini,
eaque auget: neq; in nobis situm est,
vt vias nostras bonas faciamus, siue
iustitiam inchoemus. De his plura,
quam omninò putâram. Reliquum
est vt spinosis disputationib. in scho
las ablegatis, ad amœna prata recur-
ramus. Quem de morte instituimus
sermonem absoluamus, acerbū non
videri miseram vitam feliciori mu-
tare. Domum vt nos referamus tem-
pus admonet, socius ait, inter eun-
dum quæ suppetunt, exequaris.

CAP. X.

Mortuos non esse lu- gendos.

VIta præsens ærumnis multis ob-
noxia fœdaque, breuis, incon-
stans, & fluxa non amittitur in mor-
te, sed meliori & iucundiore mu-
tatur. æs in argentum occulta qua-
dam & altiori chalchymiæ arte, ar-
gentum vertitur in aurum fœnus
omnium maximum. In præsenti
hospites & aduenæ sumus, ne-
que enim, vt maximè velimus, do-
micilium diuturnum possumus &
proprium in terra collocare. Cæ-

lo adscripti ciues sumus. Sic Paulus. *Nostra conuersatio:* πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει, *nostra ciuitas in cælis est.* qua sententia Aristoteles πολιτεύματος μετέχειν, dixit, hoc est, *ciuitate donati sunt.* A prima ætate ad eam ciuitatem felicem, ad eam requiem festinamus & quidem magnis itineribus, pleno gradu; vbi labor amplius non erit, vnde exulat molestia. Corpus quasi canis rabidus in foueã includitur; ea molestia liber animus & societate graui, in cælũ euolat. quid ergo grauę est, quid cunctamur, quid refugimus, eo per mortem peruenire, quod ab ortu semper petiuimus? si ex viro graui & veraci opes & regnum paratum audires tibi, si modo sequereris intrepidè, quo ipse duceret, haudquaquam dubitares fidem dictis adiungere, te in viam dare quamuis longinquam & arduam. Deus de hac vita recedenti pollicetur immortalitatem, copias, felicitem, & te tuaque ei credere dubitabis? si quis optionem det, hodie quinque asses malis, an in crastinũ quingentos aureos, num dubitares priori conditioni posteriorem præferre? contra agunt, qui promissiones futuras contemnunt præsenti illecti iucunditate, quam stolidè nemo nõ videt. Hoc est fidem abnegare, violare Euangelium. Graue dedecus procul esto, facessat ignauia. Si in ferrum & flammam incurrendum sit, si in medias hostium acies penetrandum, securus tamen ad vitam beatam contendam ipso mortis contemptu hostib. formidabilis feroxque. Mors quacumque ætate optanda, infantibus viam in cælum patefacit, iuuenes à malis arcet, florem in fructum vertit: senes multiplici molestia liberat, qui sibi ipsi propinquis & amicis sunt graues intolerandi; meta omnibus, multis remedium, mors est nulli mala nisi qui malam arbitratur. Nullus hic lachrymis locus, nullus mœrori, prętermittimus, non amittimus, qui vocatione diuina tantisper à nobis recedunt. Alioqui si dolori habenas laxamus, incredulis occasio parata impiis nostra mordendi, natare spem nostram serio existimandi, commentitia esse omnia quæ de futura felicitate prædicamus. Et quid faciant, cùm videant quos viuere apud Deũ dicimus, eos quasi extinctos & perditos lugere? At in minori ætate certè nõdum decursis omnibus vitæ spatiis extingui graue est, dignum lachrymis malum, inepta iudicia nostra sunt, cogitationes inanes. Quid cuique conducat, agnoscit solus, qui facit. Tu immaturum putas pomum, quod ne putresceret Dominus opportunè decerpit ex arbore. An varios vitæ casus ignoras, pericula grauia? Ad ea quæ dicebantur, recurro. Gentes, quę sine spe viuunt & moriuntur, importunis lamentis æquamus, & speramus eas credituras vera quæ profitemur, & nõ potius simulata, ficta, fucata? Verbis fidem astruimus, factis euertimus, quod non minus noxium est. Insanum quantum ea cogitatio professioni nostræ noceat. Sic Paulus detestatur & culpat in suorum funere lamentari. *Nolumus*, inquit, *ignorare vos fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & ceteri qui spem non habent.* Christus Dei filius a morte in nouam vitam suscitatus, nostræ restitutionis specimen est. Iniuria tanto mysterio irrogatur haud dubium funebribus lamentis & lachrymis, referre nihil aut parum ne quis credat. Non potest vita æterna succedere, nisi ex præsenti migramus. Splendidam vestem auro fulgentem & purpura induere fas non est, nisi lacero rusticoque amictu detracto, æternisq; sordibus elutis & illuuie. Quid plura? conuitium Christo & professioni lachrymæ importunæ faciunt. Humanitatis sensum hominibus detrahis? dicat quispiam, ferreus & saxeus sis, si absentiam carorum dolere vetas: neque vetando proficias tamen, morem inter omnes gentes mortuos lugendi conuellere

Phil. 3. 20.

1. Thess. 4. 13.

arduum

arduum plane. Video & fateor, neque sumus ita rigidi, nihil sentire A vt in suorũ funere præcipiamus. Maius, id est, quam pro humana conditione ac beatæ vitæ seruatũ. Humanum dolere, quos diligimus, absentiam. Vt maximè ad maiores opes proficiscantur & fortunam, illorum profectionem nostram solitudinem lamentamur. Iumenta vides, cum quibus diu onera gestarunt, eorum gaudere societate, absentia requirere. Boues quin etiam visi sunt iugalibus extinctis distractisve effudisse B lachrymas. tanta continuatæ societatis vis est. Adde Christum in funere certè Lazari emisisse, cum singultu lachrymas ardentis amoris & doloris indices. Sed & templa ipsa, aræ, sacerdotes ex maiorum ritu & more in funere splendidum cultum luctu, vestem pretiosam atra mutant, cantus lugubres adhibent ad mœrorem prouocantes. Verissima hæc omnia C sunt, ita non dolorem inhibemus penitus, qui enim id liceret? sed modum præcipimus, ne sint diuturnæ lachrymæ & æternæ, ne curationis desperatæ. Lugeant ignaræ Dei & in omnem libidinem sceleríque proiectæ gentes ad eum modum, quibus præsens iucunditas detrahitur & lux, futuræ vitæ nulla spes est. Ij mortem exhorreant, laxent habenas dolori, D annos integros in luctu ponant, nobis modestia vti tum in alijs vitæ partibus, tum in luctu consentaneum. Quod autem de impijs est dictum, ad prauos homines extendito; qui suæ professionis obliti, noxijs corrupti voluptatibus Deo offenso vitæ impuritate, neque in morte certè placato decedunt. Eos verò perpetuis lachrymis prosequi, non pro- E hibemus. Lugendos merito, nõquod ex hac vita decedant, sed quod æternis cruciatibus addicantur nulla veniæ spe. Adijce ad superiores, si placet ex parte veteres Patres Iudaicæ gentis progenitores. Ante Christum fas fuit diu lugere defunctos, quippe nondum ad cælos via complanata, vitam beatam à morte non consequebantur. Eam modo spem à longè salutabant, vt Pauli verbis vtar. Sic Iacob diu ac serio luxit filium Iosephum, quem extinctum putabat. Iacobum ipsum defunctum in AEgypto luxère totis septuaginta diebus, qui mos solennis ei gẽti erat in suorum Regũ funere, auctor Diodorus Siculus. Sed vide commutationem in terra Chanaan, vbi sepultus est, septem tantum dies lugetur. Quo significaretur in terra promissionis felici, in ius populi sancti hæreditarium destinata, hoc est, futuro tẽpore nefas fore diu lamenta continuare. Quod ipsum in duobus primis ducibus gẽtis Iudaicæ eepressum est. Quãdo Moses lugetur extinctus antiqui temporis legislator. Iosue, qui Christum nomine & significatione, & factis exprimit, in funere non traditur luxisse populum, nihilominus vniuersæ gẽti cari. Ergo post effusum Christi sanguinem eius virtute in cælestes sedes aditu patefacto extinctos diu multumq; lugere inter pios stultum & turpe est. neque fictæ lachrymæ adhibeantur, quod faciunt in quibusdam nationibus næniæ pretio redemptę, vt passis capillis magno vlulatu lectum funebrem prosequantur, ex antiqua Græcorum imitatione puluere inspergẽtium capita, vellẽtium capillos, quos supra cadauer iactarent. Quod in Patrocli funere factum duobus locis Homerus ait. Mimicæ ex lachrymæ procul amoueantur, nostræ religionis probrum & dedecus graue. Vera etiã propinquorum lamẽta frænentur: placidis cogitationibus inhibeantur. Quod non erit arduum, si motus animi ad rationem reuocentur, sensúsque dolor ea fide leniatur, quam suscepim⁹ à primis annis. At occiso Stephano protomartyre luctum magnum instaurasse pios Lucas narrat in Actis Apostolicis. Ad funeris cæremonias & cantus lugubres, qui à primis temporibus in vsu fuerunt, refert Hieronymus, non ad verũ dolorem

Marginal notes: *Ioan. 11. 35.* — *Heb. 11. 13.* — *Gen. 37. 34.* — *Gen. 50. 3.* — *Gen. 50. 10.* — *Diod. Sic. lib. 1. Biblioth.* — *Deut. 34. 8.* — *Iosu. 24. 29.* — *Iudic. 2. 8.* — præficæ — *Iliad. 18.* — *Actor. 8. 2.* — *Hierony. in funere Paulæ.*

& lachrymas, quarũ nulla causa suberat, gaudij potius & lætitiæ in tanti viri triumpho, quem deuictis hostibus post Christum ducem primus in cælum intulit, quod pij ignorare nõ poterant, in veste fulgenti laurea capiti imposita curru sublimi elatum in cælum. In tanta lætitia & gloria, quam absonum lachrymis fœdare faciem, vestes atras induere, lugubrẽ assumere personam & habitum. Verum Ambrosiũ ea probitate & prudentia amarè fleuisse tradunt, cùm proborum maximè numero aliquis morte rapiebatur. Expedita responsio non extincti vicem dolebat quasi lugenda passi, sed ærumnam suam quod se prætermisso ille præcessisset ad palmam, non dolor lachrymas eas exprimebat, sed æmulatio. Deinde vrebat maximè imminut⁹ eo detracto virorum insignium numerus, quorum humeris Ecclesiæ salus incumbit, & eorum ob merita cæteri stant. Argumenta, inquit socius, præclara, sensus contumax, non mouetur ratione, non concedit veritati. Si non vincitur, inquam, certè placabitur nostris præceptis, & prudenti cõsilio mitigabitur. Reliquũ est in extrema tabula subdit ille ex his speciebus, vt pharmacum in nostri ordinis hominũ gratiam temperes salutare: quod in angustia morientibus sensim & placidè, quasi angustioris vasis instillatum molestias leniat & angores, metus inanes depellat. Admonitionis, inquam, forma ex ijs quas confecimus, quo tempore cum alijs librum de sacramentis manualem consarcinauimus iussu & auctoritate Quirogæ Cardinalis. In quo rursus nostræ mortalitatis memoria succurrit. Ex omnibus, qui faciundo operi multi operas communicauimus, vix supersumus vnus & alter.

CAP. XI.

Morientibus admonitio.

Diuinæ voluntati morem gerere cæteris omnibus salutare est, tibi necessarium: quo graui & periculoso morbo oppressus animæ primũ deinde corporis, siquidem ita cõducat, integrã impetres sanitatẽ. Commodato à Deo vitam accepimus. Si debitum exigit, libenter repræsentato, non recuses, non retractes. Tu hodie, nos, qui adsum⁹ cras, alius perendie ex hac vita migrabimus. Breuissima sunt velocissimi temporis spatia. Plures annos numera, celeritus opinione abeunt. Alioqui retro caput ad transactos refer, num qui supersunt longiores præteritis arbitraris? stulta ea cogitatio esset & vana. Ergo si persoluendi communis debiti tuum priuatim tempus aduenit, præscriptus in cæli tabulis & ab ortu terminus, quem nulla arte moueas, lætare tamen te huius vitæ ærumnas & molestias, quales & quantas? euadere. An non vides cuncta in republica in gente perturbata & inuersa, imis summa misceri, innocentiã esse ludibrio, pretio nõ æquitate iura describi, cuncta esse venalia? Inopum greges sine ope, sine lare familiari vagari, bella, famem, pestem multis locis sine fine grassari quid dicam? Naturæ ordinaria mala pugnam cum ardoribus in æstate cum molestis animalculis, cum glacie & nebulis per hyemem. Nullam esse requiem, in orbem eadem recurrere diebus omnibus & annis, quod certè tædium & satietatẽ pariat, dormire, laborare, comedere, bibere, implere, stomachum euacuare, ac quæ videntur honestissima discere, dediscere, legere, scribere eadem. Quæ maxima omnium calamitas peccãdi iniecta necessitudo sola morte vitabilis. At mortis angustię graues ex morbo, ex metu multiplici, ex amissione cunctorum quæ in vita delectabãt. Esto: sed diuina præsidia primum inspice aduersus timores qui te angũt. Christi sanguine toties armaris, toties es delibutus, quot sacramẽta accepisti? Pretiũ id nostræ salutis est, quod in cassum abire, qui pro nobis sæuissimã mortẽ pertulit paresq; cruciatus, haud

haud quaquã patietur. Quàm multi deinde repẽtina morte perierint re A cordare, mersi fluctibus, in bello, in rixa trucidati, apoplexi, abscessu sanguinis, nullis expiati sacris, nullius verbis ad tolerãtiam animati, nullis consilijs. Tu magno tuorum & amicorũ comitatu septus, sacris omnib. procuratis, nuncupato testamento. Nunquam Deus tot præsidijs munit, nisi quem in salutẽ adoptauit. Quãti B æterna salus constitit martyribus & cæteris viris sanctis qui cum Christo in cælo regnant? Ludibria & verbera experti insuper & vincula & carceres: tu gemitus vnius & lachrymulæ pretio ad eas sedes inuitaris, quid times? quid cunctaris? Num diuina promissa fallunt? num actæ vitę conditione moueris? Abscedant hoc tẽpore inanes cogitatiões & metus, Deum præ C oculis habeto. Christum in cruce pro noxis tuis piaculum, apud Patrẽ certissimum aduocatum & patronum, cui denegari quidquam credere fas nõ est. Sanctè vixisti, sine cuiusquam iniuria: lætare ad certa præmia contendis, ardua est via. Sic itur ad astra. Seuisti cum lachrymis, lætus nũc decerpe flores, vnde sertum mira arte contextũ capiti tuo imponatur, maturas fruges demete, spicarũ manipu D los in horrea cælestia cũ celeumate lætus infer. Vita hactenus soluta fuit, probris cooperta & turpitudine; cõfide: finis imponitur malis in futurũ, de cõmissis peccatis pœnitẽtiæ locus relinquitur, ingens thesaurus. Fidelis & verax qui denunciauit: *In quatũq; hora ingemuerit peccator, omniũ iniquitatũ eius nõ recordabor.* Salutare pror E sus obliuionis pharmacum ex dolore de peccatis & gemitu temperatũ. Fidei cõstantia, veniæ petitione, mutãdi mores certo proposito, consciẽtiæ acri examinatiõe, & delictorum confessione, dum spiras, omniũ quæ in mentẽ veniũt (quod hortor facias ex animo) certissimo tibi diuinã benignitatẽ polliceor. Quæ spes vt sit certior inimicis, si qui te violarunt, Dei & Christi exemplo parce, ac verò

Heb. 10. 7.

veniam illis orato. Si quid abstulisti cum fide & fænore ijs qui dãna pertulerunt, actutum reponi facito, aut manda. In hac angustia apud Deum vota pro operib. sunt, modo ex syncera volũtate certaq; sententia. Deniq; dolorẽ & molestiam quã pateris omnem, propter Deũ libẽter tolera, plures etiã & maiores cruciatus expete, vt pro noxis satisfacias. Magnum est vim in voluntatẽ vertere, quæ necessario incidunt, facere salutaria. Mortem Christus pertulit vt suos à morte eriperet, metũ mortis, vt eum à nobis excuteret. Securus igitur, quantũ nostra imbecillitas capit, ad Deũ & lætus ito. Agnoscẽt te angeli, ac is præsertim cuius in tutela es, excipient beati lõgo agmine, virgo Maria amanter amplexabitur, atq; ad filiũ suum deducet, ipsius charactere & nota inustum. In exilio agimus vitã, *hospites sumus & aduenæ*, amplectere diẽ qui restituit te domicilio, in patriã postliminio, in cæleste regnũ. Vita vniuersa quid nisi via est ad ciuitatẽ? eo te peruenire gaude, quo à primo die festinas. Quis peregrè constitutus, ad suos reuerti non cupiat? Quis non à puppi ventos secũdos optaret, vt celerius in carorũ complexum veniat? felicius haberi debet mense potius quã anno in portũ intulisse nauim, mortis celeritatem accusare stultum & vanũ est. Patria nostra cælum est, beatæ mẽtes propinqui & necessarij. quid hic detinet, quasi ad miseriarũ scopulos? Magna nos in patria amicorũ turba moratur, parentũ, fratrũ, propinquorum magna frequẽtia, de sua felicitate securi, de sorte nostra soliciti. Ad horũ complexum venire incredibilis illis & nobis in cõmune lætitia. Illic Apostoli de victo mũdo gloriose triumphãtes, illic prophetæ eorũ quæ sunt vaticinati, veritate lætãtes. Illic martyres proprio delibuti sanguine, in candida veste virgines calcatis voluptatib. pæana canentes. Illic deniq; qui aurũ & argentũ bona cælo data in alimẽta pauperũ cõtulerunt, bonaq; sua in cæleste regnum

per

per fideles mensarios & trapezitas præmiserunt. Ad hanc felicitatē nisi deposita corporis sarcina nō peruenitur: Age ergo morti gratias, per quā cęlo & Deo adscriberis: huncq; diem cādidiorem eo in quo natus es computato, solem ipsum clariori micare quàm solet luce. His dictis quieui. Famuli obuij curialis verbis denunciârant ad cœnam parata omnia. Luna præterea vt festinaremus, crepusculi vespertini fine sub lustris inuitabat.

CAP. XII.

Conclusio operis.

Decursis susceptæ disputationis spatijs, ad metam peruentū est. Superest cunctos, qui in hæc inciderint, exhortari ad cautionem & prudentiā: quæ in morte maximè cernitur. Mors anteactæ vitæ speculū est, vtraque inter se consentiunt, raro à via discrepat exitus. Qui mollitiem voluptatum, amœnitatis illecebras sunt secuti, seq; vitiorū cœno ingurgitant: ij se molles in morte exhibēt & pauidos. Contra qui in se ipsos rigidi censores extitêre, virtutis arduā spinosamq; viam cōstanter tenuêre; parum ij mortis molestijs terroreq; mouentur. Laruæ eæ sunt & vmbræ nocturnæ, meticulosos terrēt nō alios. At multū valet in vtramq; partem audendi timendiq;, ingeniū cuiusque. Esto: sed vitia tamen naturæ arte & virtute corriguntur. Ferrum attactu deteritur, pastoritiū pedum è recto curuum efficitur, bestię cicurantur mitigata ferocitate. Sic inductione & præceptis animus firmatur aduersus metus. Quod si rectè coputemus, non terrori mors, sed gaudio potius erit. Quāta felicitas subtractis terræ molestijs, corporis labe multiplici, ad benignū iudicem indulgentem parentē proficisci? qui pro laboribus requiē, pro tenebris lucem, pro fluxis æterna bona pollicetur & pręstat. Proinde si sapimus, si res ferent, carceres, catenas, tormenta, dolores, morbos non modo libenter sustinebimus, sed vltro etiā prouocabimus, quo cumulatior sit fructus. Sic mala minorē molestiam ingerent sponte suscepta, morte superiores erimus. Demus igitur operam, ne nos dies ille imparatos inueniat & incogitantes. Id fiet si identidem de vitæ exitu cogitabimus, si abdicabimus noxias cupiditates, & cum ijs omnia quæ in præsenti pro bonis habentur. Ea verissima cōmentatio mortis est: quod pręcipuum philosophię munus quidam dixit. Cogita quod sæpè est iam dictū, vitā breuē esse, per partes elabi & diffluere in singula mom ēta, datā omnib. precario, nulli mancipio, tēpus velocissimè trāsuolare ocyus sagitta, neq; vnquā resistere. Optādam mortem, quæ nos asserit in immortalitatē, & cælo adscribit in beatam sine noxa, sine molestia vlla, vitam. Non est magnoperè expetendum, quidquid finē habet, cęlestia optāda, quæ nunquam transeunt & pereunt. Ea vt consequamur, cum animo statutum ac deliberatū habere oportet, nihil illicitum in vita cōmittere, cuius è vestigio pœnitētia subsequatur certi nec turpes & fragiles voluptates sine supplicio, nec virtutē sine diuino pręmio fore. Nihil nobiscū ferre possumus, nisi vitā piè & innocēter actam: cętera priusquam nos ipsa destituant, excelso & generoso animo cōtemnamus. Sectemur iustitiā, quæ nos ad Deum sola perducet, Deo & virtuti militemus, impressione facta per ęqua & iniqua in hostes irruamus, qui nos vndiq; premūt. Sic parta de illis & de nobis ipsis victoria, fulgentem lauream, premiumq; probitati debitum cōsequemur. Cum Deo denique æuum exigemus. Hæc nostra hæreditas est parta sanguine Christi, parentis testamento relicta; quam neq; vlla iniuria eripiet, neq; poterit vllo tempore in alios transferri decreto mutato.

Plato.

FINIS.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI IN HIS TRACTATIBVS VEL EXPONVNTVR, VEL ILLVSTRANTVR.

NVMERVS QVISQVE PRIOR EST PAGINAE, posterior columnæ.



quæ

Com-



INDEX RERVM IN HIS TRACTATIBVS MEMORABILIVM.

NVMERORVM PRIOR PAGINAM, ALTER columnam indicat.

D.

E.

de Hi-

Legem

Mulie-

N.

O.

P.

Sige-

V.

X.



